### Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

### Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

### Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

PICTAV. S. J.

Digitized by Google

H. 621/13

Digitized by Google

Digitized by Google

# D. FELICIS NERINII
## ABBATIS HIERONYMIANI
### *DE*
# TEMPLO ET COENOBIO
### *SANCTORUM*
# BONIFACII ET ALEXII
### *HISTORICA*
# MONUMENTA.



ROMAE MDCCLII.

EX TYPOGRAPHIA APOLLINEA
Apud Heredes Jo. Laurentii Barbiellini in Foro Paſquini.

*PRAESIDUM FACULTATE.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# ANGELO MARIAE QUIRINO
## S. R. E. CARDINALI EMINENTISSIMO

D. FELIX NERINIUS
FELICITATEM.

QUOD *faciunt ii, qui Principibus Viris Libros ſuos inſcribunt, ut ſuſcepti conſilii rationes ſpecioſas plerumque magis quam veras exponant, id mihi nunc quidem praeſtandum foret,* CARDINALIS EMINENTISSIME, *ſi Li-*

*brum hunc meum cuivis praeter Te deferre inſtituiſſem; & afferendae ob hoc ipſum cauſſae, cur alteri potius quam Tibi. Patet enim, atque in oculis & in ore omnium verſatur exaedificatio Alexiani Templi ſumptuoſa, magnifica, plena ſplendoris ac dignitatis, quam animo vere regio aggreſſus, non potes non exequi uſque ad extremum; ut propterea Liber ipſe, qui de eodem Templo Coenobioque noſtro agit, alio nomine quam Tuo ſine quadam quaſi fraude inſcribi non potuiſſe videatur. Quod reliquum eſt igitur, eo cogitationes meas, eo ingenii vires & nervos omnes intendere deberem, ut eximiae hujus liberalitatis Tuae ac pene divinae veriſſimas laudes complecterer, niſi eae quidem ita ad omnium famam ſermonemque percrebuiſſent, ut jam non aſſentationis, quod Te apud Te ipſum, ſed imperitiae crimen pertimeſcerem, quod minus diſerte ac minus digne collaudarem. Illud tamen hoc loco ſilentio praeterire neque poſſum ne-*

*que*

Digitized by Google

*que debeo, quod ego de hoc Tuo erga Nos beneficio tum ipſe mecum cogitare, tum crebris uſurpare ſermonibus ſoleo, & quod veriſſime affirmare poſſe videor (de judicio animi mei, ut velit, quiſque ſentiat), ex Tuis maximis atque innumerabilibus ejuſdem generis laudibus nullam eſſe veriorem atque magnificentiorem ea, quam in Alexiano Templo reſtituendo es conſequutus.*

*Neque vero non intelligo res illas, quas praeſertim in Brixiana Civitate geſſiſti & quotidie geris, eſſe praeſtantiſſimas, ac dignas plane, quae omni praedicationis genere exornatae, immortalitati commendentur. Tu Sacram Aedem principem ita praeter ſpem atque exſpectationem omnium incredibili ſumptu aedificaſti, ut magnitudinem animi Tuam omnes admirarentur, pietatem agnoſcerent; Tu doctrinae ac eruditionis praeſidium, magnificentiſſimam ea in Civitate Bibliothecam conſtituiſti, Libris optimis inſtruxiſti, dote opulenta locuple-*

taſti;

*taſti ; Tu domum lautam atque peramplam apte aedificandam curaſti, ubi, qui ad Sacerdotia eligendi eſſent , ponerent Eccleſiaſticae Diſciplinae rudimenta , Tibique & vitam ſuam actam & conſequentem probarent ; quo Sacerdotis officio & nomine digni haberentur : ſed haec tam praeclara opera illic ut perficeres , aliaque permulta ( neque enim omnia ſingillatim deſcribi poſſunt ) flagitabat Epiſcopalis officii ratio ; cujus momenta omnia diligentiſſime perpendens, quae maxima tua eſt cognitio Rerum Divinarum, vereris fortaſſe , ne tanto muneri pro dignitate reſpondeas .*

*Jam vero liberalitatem iſtam Tuam non capiunt anguſtiae unius Civitatis . Ipſa Urbs , quae Religionis , quae magnificentiae domicilium habita ſemper fuit , undique ſuppeditat ; quo veriſſimis laudibus celebreris , quocumque fere non modo mens ſed oculi inciderint . Templum Divo Marco ſacrum adeo belle eleganterque exornaſti ,*

ſti, ut neglectum antea quod erat, nunc inter pulcherrima Urbis Templa ſtudioſe viſendum exiſtimetur: ſed eſt ampliſſimae Tuae Patriae honos, eſt Veneti Cardinalis exiſtimatio ſimul cum Templo illo conjuncta, ut nemini mirum videri debeat, Te, ubi multa exſtant veſtigia Civium Majorumque Tuorum, facile eorum gloria ſuperata, majora illic religionis ac munificentiae Tuae exempla poſteris reliquiſſe. Ecce Templum S. Praxedi, ecce illud S. Gregorio ſacrum; quorum utrumque Tibi multa ſua, & non exigua ſane ornamenta refert accepta: ſed alterum Cardinalitio, quem vocant, Titulo poſſides; alterum ii poſſident Monachi, quorum opulentam Abbatiam Vangadiciae Tuae fidei commendatam habes; atque id cauſſae, quodcumque eſt, ſatis eſſe judicaſti, quamobrem in utrumque derivares uberem fructum aliquem liberalitatis Tuae.

Quid commemorem ingentem auri vim, quam

*quam effudiſti, ut ſignis marmoreis propalam collocatis ornares Templum Sanctum atque Auguſtum, quod Berolini a ſolo faciundum curatur, ut in tantis ſuperſtitionis tenebris affulgeat quaſi caeleſte aliquod lumen? Verum id ut non faceres ſolum, ſed prolixe cumulateque faceres, valuit conſilium, auctoritas, exemplum* BENEDICTI XIV. P. O. M. *cujus divina vox dici non poteſt, quam Te, jam mirifico ſtudio Populos ſuperſtitione imbutos ad ſanitatem revocandi flagrantem, ad ſanctiſſimum illud opus obeundum inflammarit.*

*Denique fuerint haec magna, quae revera magna ſunt, atque ita, ut infinitis ac tam diſtractis ſumptibus Te ſufficere unum mirentur omnes; tamen (vere ut dicam) inerat in iis aliquid, quod beneficentiam Tuam deberi ſibi quodammodo poſtularet. Fuerunt cauſſae quaedam non neceſſariae illae quidem (neque enim pro magnitudi-*

*ne*

Digitized by Google

*ne animi Tui liberalitatem exiliter ad calculos exigendam putas), ſuerunt tamen; at hujus tanti ac tam praeclari beneficii erga nos Tui quidnam cauſſae afferri poteſt, niſi ipſa eadem Tua liberalitas, quae non officii neceſſitate expreſſa, non a genere, non ab occaſione aliqua repetita, non diuturnis precibus efflagitata, non alienis cohortationibus atque exemplis provocata, ſed ſua ſponte manat ipſa latius, atque ad communem quamcumque Chriſtianae Reipublicae utilitatem diffunditur?*

*Dolebas enim, vehementerque angebaris* (*), *quum videres Templum Romanum, antiquiſſima religione praeditum, Romanorum Civium Sanctiſſimorum memoria conſecratum, jam vetuſtate corruptum, vix non jacere in ſolitudine & ſquallore; & non Romanus quum eſſes, tamen vo-*



(*) Videſis Commentar. de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. S.R.E. Cardinalem Quirinum part. 2. lib. 2. cap. XIV. pag. 316. & ſeq.

*luntarius Romanae pietatis patronus ac defenſor, in tanta licet oppugnatione rerum maximarum, ut aliena reſpicere vix poſſis, inaudito liberalitatis exemplo, infinito ſumptu, Templum ipſum reſtituendum curas, atque ita reſtituendum, ut propter novum aedificii ſplendorem, illa ipſa Templi ſenectus ac prope ruina optanda nobis propemodum atque expetenda fuiſſe videatur. Quae igitur illuſtrior, quae verior laus liberalitatis eſt, niſi haec eſt?*

*Sed habet eadem Tua erga nos liberalitas praeſtantius quidpiam atque cumulatius, quod non diſſimulabo, licet vulneris noſtri ſenſum refricare poſſit. Etenim non modo nihil cauſſae erat, quamobrem de Alexiano Templo reſtituendo cogitares, ſed erat, aut eſſe aliquid videbatur, quod Te a ſuſcepto illo conſilio dehortaretur. Nam, quum propter obſcuras quaſdam ſuſpiciones Hieronymianae Familiae noſtrae patrocinium abjeciſſes, non Tu paternum in*

nos

*nos animum, non difficillimam reſtituendi Templi curam abjeciſti; ſed, quum per ea tempora nobis animus eſſet abjectior, ac ſpes noſtrarum rerum fractior, Tu confirmaſti majorem in modum, ita quidem ut, priſtino illo vinculo diſſoluto, arctior quaedam maneret conjunctio amoris atque beneficiorum. O liberalitatem maximam ac certe divinam! nam, quo alio nomine appellem, neſcio. Non enim hoc effici poteſt niſi divina quadam virtute, quae in ipſa conſcientia recte factorum & nulla in re alia laetatur. Hoc vulgus hominum, qui ſpecie rerum capiuntur, fortaſſe non intelligit, ſed certo atque incorrupto ſapientiſſimorum hominum judicio expenditur ac laudatur. Hoc denique Tuum unius eſt,* QUIRINE CARDINALIS AMPLISSIME, *quod ita me in admirationem rapit, ut (niſi fallor, propterea quod, quae nos afficiunt, ea magis ſolemus admirari) certe quidem reliquis a Te in eodem genere praeclare*

*geſtis rebus omnibus anteponendum putem. Quare ſine, quaeſo, ut in hoc uno & Tibi & nobis, tibi quidem de virtute Tua, nobis de felicitate noſtra vehementer gratulemur; ſine, ut hoc immortale Tuum beneficium & gratiarum, qua poſſumus, actione proſequamur, & benevolentia complectamur ſempiterna.*

*Et quidem aliae virtutes Tuae ſane maximae atque admirabiles, Religionis ſtudium ſingulare, ſanctiſſimae vitae conſtantia, Eccleſiae Tuae regendae prudentia, ſplendor in publicis, in privatis frugalitas, jam omnium ſermone & plauſu celebrantur. Nam ingenuarum artium doctrinam & Divinarum Litterarum ſcientiam ſatis ea, quae abs Te profecta, propter exquiſitam eruditionem & elegantiam jam omnium teruntur manibus, pulcherrima ingenii Tui monumenta teſtantur & praedicant. Haec autem omnia non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando, non*

erat

Digitized by Google

*erat mearum virium, non erat perbrevis Epiſtolae, qua id ſpectavi unum, ut oſtenderem, hujuſce Libri inſcriptionem deberi praeter Te nemini.*

*Hactenus de cauſſis, quae mihi cum reliquis noſtris hominibus communes ſunt; ſed non deſunt aliae peculiares & propriae, quibus Tibi me in perpetuum obſtrictum habes. Nam, quum rerum mearum ſtatus, ut ſunt humana, immutatus eſſet, & in repentina quadam calamitate, veluti uno in ſcopulo, haeſiſſet ille Tibi non ignotus curſus induſtriae meae, memoria teneo, & nunquam profecto excidet ex animo, qualem Te habuerim, quam promptum, quam benevolum propugnatorem ac defenſorem nominis, exiſtimationis, ac fortunarum mearum. Tu me jam pene labentem excepiſti, corruere non ſiviſti, fulſiſti auxilio, patrocinio, auctoritate; ut propterea quicquid ſum, ſiquid ſum, Tibi maxime deberi libentiſſime prae me feram. Quid*

*quod*

Digitized by Google

*quod, quum Tibi hujuſce Libri perſcribendi conſilium meum aperuiſſem, Tu mihi auctor, ſuaſor, hortator fuiſti, ut ne ceſſarem, ſed illum emitterem, in Te ipſe quodammodo recipiens, fore, ut eruditis viris non injucundus, & fortaſſe non omnino inutilis ſit? quod Tuum magnum intelligenſque judicium tanti facio, ut publicum minus pertimeſcam.*

*Habe igitur hoc munus,* QUIRINE CARDINALIS EMINENTISSIME*, & communis omnium noſtrum, & meae praeſertim erga Te obſervantiae grataeque voluntatis teſtimonium ſempiternum, non illud quidem amplitudine Tua, non tantis beneficiis, quae in nos contuliſti, ſane dignum; ſed, ut ſpero, muneris noſtri tenuitatem humanitatis Tuae magnitudo compenſabit.*

PRAE-

Digitized by Google



*Ex marmore long. ped. 14. ad S. Alexii A.D. 1751. in cujus averſa parte legitur* DIOCLETIANA S C *v. pag. 360.*

# PRAEFATIO.

QUUM domeſtici Tabularii Chartas, ne in hac tanta novae aedificationis turba & confuſione rerum omnium interirent, diligenter ſeponendas ſervandaſque exiſtimaſſem, tantum aberat, ut de Templo ac Coenobio Alexiano ſcribere quidquam & in lucem proferre cogitarem, ut iis potius aſſentirer, qui infinitam hujuſmodi Librorum copiam ingenuo quodam liberoque faſtidio ferre vix poſſunt. Quid enim plerique hi Scriptores conſectantur praeter inania quaedam & puerilia, quae ſine ullo fructu ac

dele-

delectatione legas? Et tamen magnos ſeſe Hiſtoricos profitentur, eoſque Libellos ſuos (ſi Deo placet) Hiſtorias inſcribunt, quaſi Templorum atque Aedicularum deſcriptio, cujuſque modi ſit, apte ac vere Hiſtoria dici poſſit; quam ſapientiſſimi viri rerum publice geſtarum diffuſam & continuatam narrationem eſſe voluerunt. Quum igitur ab hoc ſcribendi genere vehementer abhorrerem, nihilominus coepi eaſdem ipſas Chartas, ſive animi ſive curioſitatis cujuſdam cauſſa, pervolutare ac legere. Sed, quum illic multa ſane & maxima inveniſſem, quae antea ignorabantur, neque digna tamen erant, quae in ſilentio & tenebris deliteſcerent, primo quidem miratus ſum, in tanta hujuſmodi Scriptorum copia fuiſſe neminem, qui de Templo Coenobioque noſtro plene accurateque ſcripſerit, & ſiqui fuerunt (1), qui men-

(1) *De Templo S. Alexii paucis egerunt Pompejus Ugonius in Hiſtoria Stationum Urbis, Stat. prima S. Sabinae pag. 9. edit. Rom. 1588. Octavius Pancirolius in Theſauris Urbis abſconditis, Region.*

Digitized by Google

mentionem aliquam utriuſque fecerint, eos propter noſtrorum ignorationem Monumentorum, & multa & turpiter peccaſſe (2); deinde a priſtina illa ſententia diſcedens, ſtatui quidem, me ipſum in eam Scriptorum turbam conjicere, ac malui tantarum rerum explicator incultus, quam occultator invidus exiſtimari, non quo Hiſtorici nomen & laudem aucuparer (quod in hujuſmodi argumento, ante ut dixi, ridiculum), ſed ne, dum Templum



Region. IX. Eccl. IX. Franciſcus Maria Turrigius in Sacris Cryptis Vaticanis part. 2. pag. 329. Joannes Severanus de ſeptem Urbis Eccleſiis, Floravantes Martinelli in Roma ex Ethnica Sacra, Bartholomaeus Piazza cum in Hierarchia Cardinal. tit. 48. tum in Hemerologio Sacro ad diem 14. Maji & 17. Julii, Philippus Titi in libro, cujus titulus, Studio di Pittura, Scultura, ed Architettura, Joannes Marius Creſcimbeni in Hiſtoria Baſilicae S. Mariae in Coſmedin lib. VII. cap. XVIII. aliique, ſed prae ceteris & accuratius Bollandiani in commentar. praevio ad Acta Sanctorum 14. Maji & 17. Julii &c.

(2) Turrigius in Cryptis Vaticanis part. 2. pag. 329. edit. Rom. 1675. enarrat, Corpus B. ALEXII A. D. 909. in capſa argentea fuiſſe religioſe collocatum ab Ottone II. Imp. & Leone Abbate; quum plane conſiet, eo anno nondum Ottonem & Leonem illos natos fuiſſe; translationem vero illam Corporum SS. BONIFACII & ALEXII ab Ottone III. Imp. factam eſſe Anno Dom. Incarnat. DCCCCXCIX. Gregorio V. Pont. Max. ut Cap. XII. oſtendimus.

&Coenobium magnifico ſumptu reſarciendum aedificandumque curatur, antiquiſſima utriuſque religio, exiſtimatio, dignitas, quoad ejus fieri poſſet, non reſtitueretur.

Quamquam ſi res ipſas, quas nunc primum in lucem proferimus, ſi ordinem rationemque ſcribendi ſpectemus, ſane id omne aequis aeſtimatoribus ita probatum iri confidimus, ut ſuſcepti hujuſce conſilii & laboris noſtri minime poeniteat. Res enim, quae pertractantur, non ita Templi Coenobiique noſtri propriae ſunt, ut quandoque latius non pateant, atque ad Hiſtoriam eorum temporum univerſam pertineant.

Primum igitur omnium Templum ponimus fundatum ab Aglae Matrona Romana in honorem S. BONIFACII Romani, qui Tharſi Martyr occubuit; ſed & Beati ALEXII res geſtas ex Actis, quaecumque ſunt, quae de illo & Latine, & Graece,



Digitized by Google

& Syriace ſcripta circumferuntur, breviter admodum ſtrictimque attigimus, non ignari, in reprehenſionem doctorum hominum atque prudentum eos haud immerito incurrere, qui, quum de Templis agendum ſuſceperunt, in laudibus eorum Sanctorum, quibus Templa ipſa dicata ſunt, perſequendis cumulandiſque & multi & inepti reperiuntur.

Mox Templi Coenobiique ſtatum, ampliationem, inſtaurationem, nec non Abbatiae (uti vocant) inſtitutionem aſſerimus. Coenobii Abbates Viroſque Illuſtres a Saeculo X. ad noſtra uſque tempora e tenebris oblivionis eduximus, eorumque ſeriem continuatam (quod vix fieri poſſe ſperabamus) exhibuimus (3). Commemorantur

 autem

(3) *Pancirolius in Theſauris Urbis abſconditis Regione IX. Eccleſ. IX. primum putat, Coenobium iſtud a Benedictinis fuiſſe adminiſtratum uſque ad A. D. 1400. quod eſt falſum. Nam illud ab A. D. 1231. uſque ad A. D. 1426. Praemonſtratenſes inhabitarunt; deinde in eo etiam labitur, quod noſtros cum Hieronymianis Feſulanae Congregationis a Comite Montis Granelli inſtitutis confundit, qui nunquam Alexianas Aedes incoluerunt, & nil* quid

autem in primis multa cum laude Sergius Antiſtes Damaſcenus, Creſcentius Dux Romanorum, Leo Apoſtolicus Legatus, Sanctique Nilus, Adalbertus Pragenſis & Gaudentius frater, Anaſtaſius & quinque Socii, qui ex Alexiano Sodalitio Martyrii gloria illuſtres, decimo Saeculo Chriſtianam Rempublicam exornarunt.

Neque eos praeterivimus, qui XI & XII. Saeculo in Alexiano Coenobio Abbates ac Viri Inſignes floruerunt, & praeſertim Gebizonem Abbatem, mox Epiſcopum, ac Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalem.

Quo plane tempore a Benedictinis ad Praemonſtratenſes, ac demum ad noſtros Alexianarum Aedium procuratio devenerit, ex Monumentis oſtendimus Littera-

rum

*quidquam cum nobis eas poſſidentibus unquam commune habuerunt. Bartholomaeus Piazza in Hierarch. Card. tit. XLVIII. pag. 672. haec ſcribit*: Non v' ha memoria ſucceſſiva di chi per tanti Secoli da 1000. e più anni dopo Sergio Damaſceno conſervaſſe il Monaſtero di S. ALESSIO. *Nos tamen Cap. IX. X. XI. & XX. ſeriem continuatam exhibuimus Abbatum, qui Alexianum Monaſterium a Sergio uſque ad haec tempora adminiſtrarunt.*

Digitized by Google

rum Pontificiarum, quae nunquam adhuc in lucem prodierunt.

De mira Corporum SS. BONIFACII & ALEXII inventione, quae Honorio III. Pont. Max. accidit, deque Templi ſolemni Dedicatione nunc primum diſſeruimus. Cardinales, quibus olim Coenobium commendatum fuerat, quod nemo ſciebat, indicavimus. Quid quod perturbatam pleriſque in rebus Chronologiam apte planeque conſtituiſſe videmur?

Haec quidem omnia eruimus ex quingentis amplius vetuſtiſſimis Chartis, quas carie ac ſitu prope corruptas, componere, inſpicere, & conſervatis & notatis temporibus in ordinem redigere, laborioſius mihi fuit, quam fortaſſe quiſquam putat. Ex iiſdem Chartis nonnullas, praeſertim vero Pontificum Romanorum Diplomata ſuis quaeque locis inſeruimus; alias autem plures in Appendicem amandavimus, ut de Re etiam Diplomatica non male meruiſ-

ſe

Digitized by Google

ſe videamur. Haec autem Monumenta attulimus, utcumque ea ſunt; ſed nemo ignorat, iccirco ſervari ſancte ac diligenter, quod perpetuae exiſtimationis fidem & religionem amplectuntur. Verum quidquid ex iiſdem Monumentis confecimus atque concluſimus, ſicui forte minime probetur, is ſciat, nos ſententiam noſtram nunquam pugnaciter praefracteque defenſuros: quinimmo in iis, quae conjectura inveſtigantur, dubia ſemper atque anceps reperietur oratio noſtra. Sed neque erit quiſquam, ut arbitror, ita aut iniquus aut importunus, ut nos ipſos contra res noſtras ſententiam dicere velit, quod ſtultitiae peccatum videri poſſet; neque enim affirmandi arrogantiam qui fugit, eum propterea vehementem ſuarum rerum accuſatorem eſſe oportet; quorum quidem alterum a prudentia, alterum a ſapientia diſſidet plurimum.

Ad ordinem quod attinet, ſic exiſtima-

vimus,

vimus, res, quo ordine ſingulae contigerunt, eodem narrari oportere. Hoc enim convenientius & vere etiam legenti jucundius judicavimus, quam partiri rerum genera, eaque a ſuis initiis uſque ad exitum perducere; quod non ſine ſatietate quadam plerique de Templis Scriptores egerunt.

Totum igitur Opus in duos Libros tribuere conſtituimus; quorum primus, qui nunc in lucem prodit, a Templi & Coenobii quaſi natalibus uſque eo perducitur, quoad noſtri in utriuſque poſſeſſione collocati ſunt; alter vero Hieronymianam eorumdem administrationem ad haec uſque tempora perſequetur. Inſcriptiones autem, quae iis poſitae ſunt, qui noſtro in Templo vel ſua corpora vel ſuae veſtigium aliquod pietatis reliquerunt, in unum congeſſimus ſub hujus Libri finem; & ne ullus vel noſtrae diligentiae vel alienae curioſitati locus relinqueretur, ibi adjecimus antiquiſſimas eas, quas profanas appellavimus, quae circum

ea

ea loca, ubi Templum eſt; inventae dicuntur.

Denique Latinum illud ſcribendi genus ſi non aſſequi, certe ſequi conati ſumus; quod minus ſordidum ac barbarum videri poſſet, quum probe noverimus, multo melius eſſe nihil, quam male ſcribere (4), eoſque Libros, qui nullum ornatum, nullam caſtitatem ſermonis praeſeferunt, tandem a recte intelligentibus viris aut negligi aut irrideri.

Atque haec ea ſunt, quae praefari volui de tota ratione & quaſi forma Operis, quod alicui non injucundum fore ſperare certe poſſumus, at cuique probatum iri, ne optare quidem audemus.

(4) *Fieri poteſt, ut recte quis ſentiat, & id, quod ſentit, polite eloqui non poſſit; ſed mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & litteris*. Tul.Cicero Tuſcul. Quaeſt.lib.I.§.III.

# INDEX CAPITUM.

Cap. I. *Templi & Coenobii ſtatus.* Pag. 1
Cap. II. *Initia Templi S. Bonifacii Martyris.* 8
Cap. III. *Quo primum tempore S. Alexii nomen additum.* 19
Cap. IV. *Coenobii initia, &* Euphemiani Senatoris Donatio. 30
Cap. V. *Euphemiani Donationis Examen.* 36
Cap. VI. *Templi & Coenobii ſtatus Saeculo VIII.* 45
Cap. VII. *Templi ampliatio Saeculo IX. ejuſdemque deſcriptio.* 54
Cap. VIII. *Coenobii ampliatio Saeculo X. & Abbatiae Inſtitutio.* 64
Cap. IX. *Coenobii Abbates & Viri Illuſtres Saeculo X.* 77
§. I. *De Sergio Damaſceno.* 80
§. II. *De Creſcentio Romanorum Duce, & poſtea Monacho SS. Bonifacii & Alexii.* 83
§. III. *De Leone Abbate SS. Bonifacii & Alexii.* 91
§. IV. *De S. Adalberto Pragenſi Antiſtite & Monacho SS. Bonifacii & Alexii.* 99
§. V. *De S. Gaudentio B. Adalberti fratre.* 111
§. VI. *De Patre Nilo.* 116
§. VII. *De Leone Simplici.* 121
§. VIII. *De S. Anaſtaſio & quinque Sociis, Alexiani Coenobii Monachis, atque Glorioſis Poloniae Martyribus.* 126
§. IX. *De Joanne Canapario & Francone Alexianis Monachis.* 134
Cap. X. *Coenobii Abbates & Viri Illuſtres Saec. XI.* 147
§. I. *De Adalberto Abbate.* ibid.
§. II. *De S. Bonifacio Monacho & Ruſſorum Martyre.* 154
§. III. *De Beato Meinverco.* 159
§. IV. *De Adillelmo Abbate SS. Bonifacii & Alexii.* 164
§. V. *De Petro Abbate SS. Bonifacii & Alexii.* 173
§. VI. *De Gebizone Abbate SS. Bonifacii & Alexii*



Digitized by Google

*ac poſtea Epiſcopo Caeſenate, & S. R. E. Cardinali.* 179
Cap. XI. *Abbates Saec. XII. & XIII. uſque ad A.D.* 1231. 189
Cap. XII. *Corpora SS. Bonifacii & Alexii Honorio III. Pontifice mire adinventa A. D.* 1217. 201
Cap. XIII. *Templi Dedicatio ab eodem Honorio III. perfecta.* 211
Cap. XIV. *Altarium conſecratio & Sacrarum repoſitio Reliquiarum.* 216
Cap. XV. *Eccleſiae & Monaſterii bona, Pontificio ejuſdem Honorii Diplomate deſcripta & confirmata.* 223
Cap. XVI. *Templi & Coenobii cura a Monachis Benedictinis ad Canonicos Praemonſtratenſes delata, Gregorio IX. Pontifice A. D.* 1231. 240
Cap. XVII. *Abbates Saecul. XIII. & XIV. ab A. D.* 1231. *ad* 1390. 246
Cap. XVIII. *Coenobium commendatum, ejuſdemque bona Vaticanae Baſilicae adſcripta.*
Cap. XIX. *Abbates Commendatarii ſeu S. R. E. Cardinales, quorum fidei Alexianum Coenobium commendatum fuit.* 282
Cap. XX. *Templi & Coenobii cura ad Monachos Hieronymianos delata Martino V., Pont. A.D.* 1426. 297
Cap. XXI. *Jacentium in Alexiano Templo Epitaphia, quae ſuperſunt.* 309
Cap. XXII. *Inſcriptiones profanae.* 344

*Appendix Actorum Veterum Alexiani Coenobii.* 371
*Index Actorum Veterum Appendicis.* 561
*Index Rerum.* 571

INDEX

Digitized by Google

# INDEX TABULARUM.

Tab. I. *FRagmentum Deae Etruſcorum ad S. Alexii.* Pag. 5
Tab.II. *Dea Etruſcorum ex Muſeo Carpineo.* 6
Tab.III. *Ichnographia antiquae Baſilicae ac veteris Coenobii SS. Bonifacii & Alexii.* 57
Tab. IV. *Scenographia ejuſdem Baſilicae.* 60
Tab. V. *Orthographia ejuſdem Baſilicae.* 61
*Antiqua SS. Reliquiarum deſcriptio ex marmore.* 219
Tab. VI. *Ichnographia Sacelli ſubterranei.* 220
Tab. VII. *Antiquiſſima Effigies Deiparae Virginis & Sanctorum Bonifacii & Alexii.* 221
Tab. VIII. *Orthographia Cenotaphii Honorii IV. Pontificis, olim in Templo S. Alexii.* 261
Tab. IX. *Effigies Ven. Lupi de Olmeto marmoreo ejuſdem ſepulcro exſculpta.* 300
Tab. X. *Sacra Imago B. M. Virginis, quae Edeſſae in Syria B. Alexium alloquuta dicitur.* 316
Tab. XI. *Petri Sabellii Theſaurarii Turonenſis Effigies ex ſepulcro marmoreo.* 328
Tab. XII. *Joſephi Brippii Mediolunenſis Effigies ex ſepulcro marmoreo.* 329
*Fiſtulae plumbeae veterum aquaeductuum ad S. Alexii.* 361
Tab. XIII. *Muſivi operis Ectypon olim ad S. Alexii.* 366



Digitized by Google

# INDEX
## MONUMENTORUM,

Quae in Opere continentur, & quae nunc primum ex Alexiano Tabulario in lucem prodeunt.

I. TAbulae Donationis Euphemiani Senatoris, earumque recognitio & confirmatio facta a Silveſtro II. R. P. Pag. 33
II. Narratiuncula de Joanne Canapario & Francone Alexianis Monachis. 136
III. Alia de Regia Chlamyde Ottonis III. Imperatoris. 148
IV. Alia de Adillelmo Abbate. 166
V. Gregorii V. R. P. Litterae ad Gebizonem Abbatem. 180. & ſeq.
VI. Formula obſequii a Demetrio Croatiae & Dalmatiae Duce praeſtiti Gebizoni Abbati Sedis Apoſt. Legato. 186
VII. Angeli Abbatis Litterae de mira Corporum SS. Bonifacii & Alexii inventione. 205
VIII. Honorii III. R. P. Litterae Dedicationis Alexiani Templi. 213
IX. Ejuſdem Diploma de Alexianae Eccleſiae Fundis. 224
X. Gregorii IX. R. P. Diploma, quo Praemonſtratenſes in Alexianis Aedibus collocantur. 242
XI. Innocentii IV. R. P. Litterae, ut vocant, Indulgentiae. 250
XII. Clementis VI. R. P. Litterae, quibus ad redimenda Alexiani Coenobii bona Abbas S. Praxedis delegatur. 268
XIII. Bonifacii IX. Diploma, quo ejuſdem Coenobii bona Vaticanae Baſilicae adſcribuntur. 278
XIV. Martini V. Pont. Max. Diploma, quo Monachi Hieronymiani in Alexiani Templi & Coenobii poſſeſſionem immittuntur. 301
XV. Acta Vetera Alexiani Coenobii, quorum Indicem vide pag. 561

APPRO-

Digitized by Google

# APPROBATIONES.

## NOS D. THEODOSIUS MARIA VEGGI

*Congregationis Monachorum S. Hieronymi de Italia*

*ABBAS GENERALIS.*

QUum Librum, cui Titulus, *de Templo & Coenobio SS. Bonifacii & Alexii Hiſtorica Monumenta*, a Reverendiſſimo Patre D. Felice Maria Nerinio, ejuſdem Coenobii Abbate, & Congregationis noſtrae Procuratore Generali conſcriptum, aliquot Familiae noſtrae Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem haſce Litteras manu noſtra ſubſcriptas Sigillo magno Officii noſtri muniri mandavimus.

Datum ex Monaſterio Sancti Petri Hoſpitaletti Provinciae Lauden. die 10. Januarii 1752.

*D. Theodoſius Veggi Abbas Generalis.*

D. Hyacinthus della Scala Abbas & Cancellarius.

---

EA, qua par erat diligentia, perlegi Librum, cui Titulus: *de Templo & Coenobio SS. Bonifacii & Alexii Hiſtorica Monumenta*, & in eo nihil reperi, quod divinis noſtrae Religionis inſtitutis adverſaretur, quodque bonis moribus non fuiſſet conſonum, immo quammaxime delectatus ſum in ejus lectione ob elegantem Auctoris ſtylum, quo ſcriptus eſt, plurimaſque, eaſque non vulgares, quas continet Romanae Hiſtoriae notitias, quae ad medium aevum illuſtrandum multum conferunt.

Romae Pridie Id. Jan. 1752.

*Johannes Bottarius.*

Juſſu

Digitized by Google

JUſſu Reverendiſſimi Patris F. Joſephi Auguſtini Orſi Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri legi Librum, qui inſcribitur: *de Templo & Coenobio SS. Bonifacii & Alexii Hiſtorica Monumenta &c.* eumque non ſolum Catholicae Fidei boniſque moribus conſentaneum, ſed omnigena etiam eruditione refertum, ac publica luce digniſſimum cenſeo. Ita namque in eo omnia pertractantur, ut mihi quidem, credo etiam aliis facile probabitur, veterum Hiſtoricorum ſolertiae Cl. Viri Felicis Mariae Nerinii induſtriam antecellere. Multa latebant adhuc retruſa atque abdita, quae ipſe elicuit & evocavit in lucem: plura, quae aperta non erant, primus tentavit, num ſolidius explicari poſſent; & magis acute vidit, quam reliqui omnes: nec contentus aliorum libros, quotquot ad hanc diem lucem viderunt, evolvere, ad ſuam Hiſtoriam concinnandam accerſivit etiam rebus enarratis a Codicibus Manuſcriptis, & Lapidibus, lumen atque praeſidium; & inſigniora evolvit Tabularia, quae docent rerum geſtarum tempora, Perſonas, mores, aedificia, aliaque complura ſcitu digniſſima, & apprime conducentia ad Hiſtoricam veritatem. His vero effectum eſt, ut non mediocris pars Hiſtoriae Eccleſiaſticae, cum illa Monaſterii SS. Bonifacii & Alexii ab Eruditiſſimo Auctore copuletur; quod ſane praeſtitit, ut non utiles modo, verum & jucundiſſimos fructus Opus legentibus exhiberet. Tanta vero rerum varietas minime obſuit, quin cuncta eſſent εὐτάκτως ſuis ſedibus collocata, ut majus ex Hiſtoriae lectione accederet emolumentum cultoribus Antiquitatis. Id quoque curatum eſt, ut paſſim in notis laudentur inſignes Auctores, unde hauſit praecipuarum rerum narrationes. Omnia illuſtrantur, ſupplentur, emendantur, ac certioribus temporibus ſunt conſignata, ut alterum Hiſtoriae oculum, nempe Chronologiam, quantum ea barbara ferebant tempora, pro viribus ſervaret, prolatis in medium antiquiſſimis monumentis, quibus firmantur temporum characteres. Propoſitum nempe ſibi fuit, ne minimum quidem praetermittere, quod aliis eſſet inquirendum; tantaque diligentia Operi abſolvendo incubuit, quantam nemo alius profecto in alia peculiari Hiſtoria alicujus Eccleſiae hujus Aeternae Urbis adhibuiſſe videtur. Quoad ſcribendi genus pertinet, nitida eſt Auctoris, perſpicua, & late fluens oratio. Amor vero nudae veritatis ubique nitet. Quod ſi in nonnullas chartas ſubleſtae fidei pluſimum laboris impendit, maxime ob eam cauſſam, ut Lectores judices eſſe poſſint, ejus inſtituti rationem probari cupio. Eſt aliquid in originibus rerum hiſtoricarum extremum, quo Scriptorum ſtudia quum pervenerint, quieſcendum, nec progredi longius licet. Perfectam quarumdam rerum notitiam adipiſci maximi operis eſt, & quandoque quis fruſtra ſe putat eam eſſe conſequuturum. Exſtant litterarum clariſſimis teſtata monumentis exempla Summorum Virorum, qui quum aetatem in nonnullis perſcrutandis membranis contriviſſent, latere tamen adhuc magnis involutam difficultatibus veritatem, atque adeo multum eſſe quaerendum, exiſtimarunt. Id de Euphemiani donatione dictum eſto. Quaeſivit id Doctiſſimus Auctor, quod in Inſtrumento illius aetatis veritati magis conſentaneum eſſe putavit. Quam difficili in loco verſetur is, qui cenſorem agit, nemo, ut arbitror, poteſt ignorare. Critices terminus aliquis ſtatuendus eſt. Cauſſas ipſe attulit probabiles, quibus effecit, ut etiam nemo minus acutum reprehendere jure poſſit. Editorum non eadem omnium eſt ratio. Multi quid edatur in lucem, ſpectare ſolent; nihil attendunt praeterea. Ego id quoque, quibus de cauſſis, & a quo Homine detur, animadverto. Hinc fit, ut Vir Clariſſimus, & cum aliis laudibus ornatus, tum vero omnium, quos ego noverim humaniſſimus, & excellenti non minus doctrina, quam bonitate praeditus, dum Procuratoris Generalis munere fungitur Ordinis ſui (in quo Hieronymianae virtutis ſplendor enitet) ad hanc Hiſtoriam texendam cogitationes curaſque omnes retulit. Quum enim ſe Hieronymiano Ordini addixerit, & illud vitae genus complexus ſit, quod eſt totum in laudabili ratione, totum in praeclaris cogitationibus & factis conſtitutum, ea litterarum ſtudia maxime coluit, quae eidem Ordini ornando illuſtrandoque conducerent. Quare, quo primum die Abbas eſt inauguratus, eodem die ſibi legem po-

ſuit

Digitized by Google

fuit, ut, ad ſolidam Ordinis laudem, hanc Hiſtoriam referret, ac Monachis ſuis viam ſignatam & impreſſam veſtigiis Sanctorum Doctorumque Virorum oſtenderet; quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obſcurabit oblivio. En quid habuerit cauſſae Studioſiſſimus Pater, ut hoc inſigne Opus concinnaret, nempe ut utile Ordini evaderet, & ad Filios Paterna hereditas perveniret.

Dabam Romae ex Aedibus Vallicellanis IV. Kal. Februarii anno Domini MDCCLII.

*Joſeph Blanchinus Presbyter Congregationis Oratorii Romani.*

---

HUnc ego Librum Reverendiſſimi P. D. Felicis Mariae Nerinii Abbatis Hieronymiani, & Procuratoris Generalis *de Templo & Coenobio SS. Bonifacii & Alexii* quum jubente Reverendiſſimo P. S. Palatii Magiſtro attente perlegerim, dignum ſane exiſtimo, qui emittatur in manus hominum; neque id ſolum, propterea quod nihil Religioni nihil bonis moribus contrarium continet, ſed quod ita eſt pie, diligenter, apte, ornatę conſcriptus, ut ex iis, qui hoc in genere excellere dicuntur, nullum omnino illi anteferendum putem.

Datum Romae ex Quirinali Kal. Februarii A. D. CIↃIↃCCLII.

*Philippus Bonamicus S. Th. D. & SS.mi D. N. Brevium ad Principes Subſtitutus.*

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro.

*F. M. de Rubeis Patriar. Conſtant. Viceſg.*

---

IMPRIMATUR.

Fr. Joſephus Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Praed.

DE

Digitized by Google

*AD REVERENDISSIMUM PATREM*

# D. FELICEM MARIAM

## NERINIUM

## SS. BONIFACII ET ALEXII

Hieronymianum Abbatem

FABII DEVOTI ROMANI

ACADEMICI QUIRINI

## EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

*EST aliquid tibi narrandum, NERINE, quod eſſe*
*Jucundum fortaſſe tuis queat auribus: audi.*
*Nuper Aventini ſuperaram mollia clivi*
*Culmina, perque jugum tacitus ſpatiabar amoenum,*
*Oblectans oculos ſubterlabente per Urbem*
*Tybride, camporum tractu, pelagoque remoto.*
*Quippe ibi conſtiteram contemplabundus, ubi mons*
*Aede coronatur, quam Roma frequentat, ALEXJ.*
*Spectaram, quantà cum majeſtate decorum*
*Porticus exurgens hexaſtyla (1) limen obumbret.*
*Mirabunda diù tenuit mea lumina ſignum,*
*Quod poſitum ſtat ibi, venerandum ut poſteritati*
*Exhibeat vultum BENEDICTI Pontificis, qui*
*Virtuteſque, genuſque URSINO è ſanguine duxit.*
*Viſaque magnifici fuerant mihi ſingula Templi,*
*Spectantes quae ſaepe novâ dulcedine ſiſtunt.*
*Intuleramque pedes per formoſiſſima vaſti*
*Atria Coenobii, ſcalas, triclinia, cellas,*
*Atque omnes aditus: demum defeſſus eundo*
*Fronde ſuper viridi captabam frigus in horto (2).*
*Cum video lento geminos accedere paſſu*
*Ad me fortè Viros, quorum rutilabat in ore*
*Majeſtas placida, & gravitas comitate ſubacta.*
*Hos hominum! quales animae! quae corda virorum!*
*Protinus agnovi: nemo mihi notior iſtis.*
*Alter erat BALDINUS (3) enim, quem Brixia fortis*
*Progenuit, propriis at Roma Quiritibus addit.*
*Haec mirata Virum doctâ pietate coruſcum,*
*Dicundis toti praefecit ritibus Orbi.*
*Nuper & evectus merito extollente, Somaſchae*



(1) Frons Porticus ſex columnis ſuffulta ἑξαςυλὸς, ut τετραςυλὸς quatuor columnarum ordinem habens. *Vitruv. lib. 3. cap. 2.*

(2) Qui Monaſterio contiguus eo utitur proſpectu, ut verius de ipſo, quam de Janiculo dici poſſit Martialis illud:

*Hinc ſeptem geminos videre mon[illegible]*
*Et totam licet aeſtimare R[illegible]*

(3) Reverendiſſimus [illegible] Baldini Sac. Rituum Con[illegible] [illegible]ſectura generali Cong. Soma[illegible]

*Militiae rexit ſummus ſacra fraena Strategus.*
*Aſt alter* LUCATELLUS *(4) erat: quot nomine in uno*
*Nomina comperies laudum! generoſius illo*
*Vix quidquam Inſubriae (5) genitum memoratur in oris.*
*Ipſe Poetarum Moecenas lautus, amicos*
*Deligit è doctis priſcae virtutis alumnis:*
*Divitiaſque, domumque ſuam, quibus utitur amplis,*
*Communes ſinit uſque ſodalibus omnibus eſſe.*
*Ipſe Quirinorum (6) Coetus Aedilis haberi*
*Magnificè curat: tum Signa (7) tuetur, & auget (8),*
*Quae Capitolinis ſervantur in Aedibus. Olli*
*Aſperiora ſolet mandare negocia (9)* PRINCEPS,
*Cui ſatis ingenium, doctrina, fides, & honeſtas*
*Sunt perſpecta Viri, qui praemia nulla requirit,*
*Praeter honorandae decus, incrementaque Romae.*
*Quis Romanorum quaeſo,* NERINE, *meretur*
*Tam bene de Patriâ, quam nobilis hic Peregrinus?*
*Singula nec veterum quiſquam monumenta Quiritum,*
*Si tamen excipias* BALDINUM, *callet ut iſte (10).*
*Solus ego deprenſus ab hiſce duobus amicis,*
*Occurro exultabundus venientibus, & me*

*Nun-*

(4) Jo. Petrus Lucatelli Mediolanenſis Ripaltae Marchio, a ſecretiori Cubiculo SS. D. N. PP. BENEDICTI XIV.

(5) Inſubria olim pars Galliae Togatae, ſive Ciſalpinae trans Padum ſitae. Ad Orientem Solem Abdua, & Lario lacu terminatur: Ad ſeptemtriones Rhoetis Vennonetibus: ad Occidentem Ticino, clade Scipionis, Gracchique inſigni: ad Meridiem Eridano. *Paulus* vero *Jovius* Inſubriam Ticino amne concludit, uberrimiſque campis ad Abduam extendit, cujus Regionis tamquam umbilicus eſt Mediolanum.

(6) Quos tam humaniter excipit, ac laute fovet, ut cum Aedilitatem ſtatim ab obitu Alexan. Greg. March. Capponii ſit nactus, ei quotannis Academia annuum Magiſtratum unanimi ſuffragio prorogaverit.

(7) Quae magno empta, ne extra Urbem aſportarentur; primus in Capitolium intulit CLEMENS XII. immortalis memoriae Pont. Opt. Max.

(8) Tum iis, quae BENEDICTUS XIV. P.O.M. addidit fortuito effoſſa, donata, aut empta, tum iis, quae Marchio LUCATELLUS ipſe ex Muſaeo proprio largitus eſt.

(9) Oeconomica, & politica; ſed ea praecipue, quae acriorem antiquitatis inquiſitionem requirunt.

(10) Utriuſque praeſtantiam in re antiquaria luculenter ea teſtantur, quae Typis vulgaverunt, ac quae M. SS. penes ſe adhuc retinent: tum etiam eorum Muſaea rarioribus referta numiſmatibus, cymeliis, lapidariis Inſcriptionibus, ac pluribus id genus monumentis.

Digitized by Google

*Nuncupo felicem, liceat cui nempe diſerta*
*Tantorum ſermone frui, adſpectuque Virorum.*
*Ilicet ad me illi: quid agis tam ſolus? Ego autem*
*Conjugii piget implicitum me lege teneri;*
*Quippe novam vitam mihi ſi foret integrum inire,*
*Hic manſurus ego, donec me ſurripiat Mors,*
*Monachus efficerer: nam quid jucundius iſto,*
*Nobiliuſque loco? Rident hic omnia, Coelum*
*Purius eſt: hic terra viret, dum caetera ſquallent*
*Arva: ferunt placito Zephiri flata baſia colli.*
*Hunc Sol exoriens, hunc Occiduuſque tuetur.*
*Roma, licet ſublime tuum caput aſtra laceſſat,*
*Cogeris huic frontem clivo inclinare ſuperbam.*
*Haec Monti Natura dedit; debetur at arti*
*Tam laxa haec, & aprica, nitens, procera, venuſta,*
*Tam procul adſpicienda Domus Latialibus agris.*
*Addite, quod tanto certat quoque lauta nitori*
*Commoditas: metitus ego modò ſingula vidi,*
*Magnificè multis proſpectum habitantibus eſſe.*
*Simplicitas nec abeſt exoſa ſuperflua, qualis*
*Ritè decet paupertatis praecepta profeſſos.*
*Hinc meritò unanimi celebratur voce Quiritum*
*Coenobium hoc, celebri nova quod decora addidit Vrbi.*
*Tunc LVCATELLVS ait: laetor, quod in Vrbe probetur*
*Longobardorum ingenium, & concinna Minerva.*
*Sic placet Inſubriae, ſic aedificatur apud nos.*
*Ridicula eſt nobis ea magnificentia, quae non*
*Commoda, at ornatus ornatibus addit inanes.*
*Subdit BALDINVS: quae dicitis ambo, notavi*
*Ipſe etiam, ac tacito laudavi pectore dudum;*
*Aſt ego non video, cur de Templo ſileamus,*
*Mole quod, & formà melioribus adnumeretur.*
*Hoc quoque laudaſſem, reſpondeo; cuncta ſed uno*
*Commemorare ſimul nemo queat oris hiatu.*

*Ille minus laudabit enim tam nobile Templum,*
*Magnificum, & ſacrà cum majeſtate decorum,*
*Qui non viderit; aut quid ſit laudabile neſcit.*
*Sum tamen (ingenuè ut fatear, quae corde profunda,*
*Spectans haec ſenſi) admiratus praecipuè, quod*
*Tecta ſibi, Templumque Deo tam celſa pararint*
*Hi noſtri Aſcetae, queis fundus pauperies eſt (11).*
*Subridens* BALDINUS *ad haec: nugaris, Amice,*
*Talia qui credas; viviſne hìc civis, an hoſpes?*
*Cur ita? reſpondi: Neſcis quia ſolus,* ALEXJ
*Hanc Aedem ſtudio* ILLIUS *(12), ſumptuque novatam,*
*Qui ſupra quoſcumque Dei, Divûmque nitentes,*
*Excelſas cupit eſſe domos, praeſtatque, quod optat.*
*Si, ceu munificus, foret hic Venator honorum,*
*Siviſſet poni ſibi in Aedis limine ſignum,*
*Quod totus, gratae monumentum nobile mentis,*
*Ponendum decrevit Ei Monaſticus Ordo.*
*Hoc etenim inſpecto potuiſſes ſcire, quis hujus*
*Conditor eſt Templi. Verum ultrò maluit Ipſe*
*Transferri decus hoc in Pontificem* BENEDICTUM,
*Cui, cum nobiliuſque Pedum (13), & ſacra debeat Oſtri*
*Munera (14), debet & hoc, quod grandia condere poſſit.*
*Hoc authore, ab humo, Templumque, & porticus alta*
*Surrexere, novoque micant perfecta decore;*
*Quippe vetuſtatis dentes ità ſenſerat Aedes*
*Priſtina, ut ingenti fuerit renovanda ruinà.*
*Tunc ego: Te teneo: Templi tam nobilis author*
*Ille igitur, magnas à quo* GREGORIUS *(15) aras,*

*Dae-*

(11) Re autem vera vix Monachi ad Coenobium aedificandum pecuniam conferre potuerunt.

(12) ANGELI MARIAE S.R.E. Card. QUIRINI Bibliothecarii, ac Epiſcopi Brixienſis.

(13) Translatus enim ab hoc Pontifice fuit ab Epiſcopatù Corcyrenſi ad Brixienſem III. Kal. Auguſti 1727.

(14) Cooptatus ab eodem inter S. R. E. Card. V. Idus Decembris 1726. Renunciatus verò publicè VI. Kal. Decembris 1727.

(15) Aram ſcilicet maximam cum abſide, auratiſque emblematibus.

*Daedaleumque Lithoſtroton* (16), *aurata anaglypta*
*Sumſit*, *& à MARCI ſquallorem ſuſtulit Aede* (17),
*Quam tot marmoribus*, *tanto variavit & auro*,
*Vt qui conſpiciat*, *vix credere poſſet eandem*,
*Ac fuerat prius: Haud aliter*, *qui Vere ſereno*
*Fruge novà pubeſcentem ingrediuntur in hortum*,
*Dum varium admirantur olus*, *novaque agmina florum*,
*Fragaque purpureo paſſim rutilantia vultu*,
*Dicere vix poſſunt: hic nuper Bruma rigebat*,
*Stagnabant pluviae*, *denſabanturque pruinae*.
*Quin etiam audivi longè majoribus auctam*
*Molibus eſſe*, *Pater quam providus incolit*, *Vrbem*.
*Excipit impatiens BALDINVS: pertinet ad Me*
*Dicere*, *quae memoras*; *melius quia calleo quicquid*
*Alta meae Patriae reſpexerit ornamenta*.
*Laetor enim hac Patriâ*, *tantâque ſuperbio Matre*:
(18) *Non Cenomannorum quod opus ſit Brixia priſcum*,
(19) *Indigeniſque ſuis latè imperitaverit olim*:
(20) *Nec quod Terra ferax*, *alieni haud indiga*: *nec quod*
(21) *Marte potens alacri*, *Romanis* (22) *aucta colonis*,
(23) *Virtutis*, *Fideique dedit monimenta ſtupendae*:

Nec

(16) Pavimentum lapidibus ſtratum à λυθ@ lapis, & στρωννμὶ ſterno. Talia originem habuerunt apud Graecos. *Plin. lib. 36. cap. 26.*

(17) Non modo Templum D. Marci; ſed contermini etiam Palatii vaſtum atrium magnifice exornavit.

(18) Brixiam a Cenomanis conditam tradunt Livius, Ptolomaeus, & Plinius.

(19) Livius lib. XXXII. Brixiam vocat Cenomanorum caput.

(20) „ Territorium late patet Oppidis, vi-
„ cis, pagis ſtipatum, aquis irriguum ſaluber-
„ rimis, uberrimum tritici, reliquorumque
„ frumenti generum: item vini, oleique
„ fertile, neque carens ferri, aeriſque fecun-
„ ditate „ *ſcripſit Paulus Merula Coſmograph. Par. II. lib. IV.*, *qui paulo ſuperius dixerat Incolas locupletes*, *lautos*, *nobiles*, *ingeniique ſolertis*.

(21) Brixia magnorum Genitrix animoſa virorum.

*Baptiſta Mantuanus*.

(22) An. ab U. C. 665. Gn. Pomp. Strabo magni Pater hanc inter Tranſpadanas caeteras latinam Coloniam deduxit. Quam poſtea C. Jul. Caeſ. Dictator Civitate donavit. *Sueton. in vita Jul. Caeſ.* De Magiſtrat ejus Quaeſt. Aedil. IV. Vir. I. D. IV. Vir. Quinquenn. VI. Vir. Auguſtalibus multam mentionem fieri in ejus litteratis lapidibus ſaeculo Chriſti XVI. effoſſis, teſtatur *Onuph. Panvin. de Rom. Imperio*.

(23) Fidem erga Romanos perpetuo coluit, ac praecipue poſt infractos ab Hannibale Romanos ad Trebiam ſecundo Bello Punico.

*(24) Nec quod inacceſſà turrita ſuperbiat arce,*
*(25) Progenuitque Viros, quos Mars, & Pallas amarunt,*
*Cum paribus multae celebrentur laudibus Urbes;*
*Sed quia, dante Deo, fruitur Paſtore QUIRINO,*
*Cui non ulla parem queat Urbs jactare Parentem.*
*Sunt alii quoque patricià de Gente creati:*
*Sunt alii auguſti formà, ſermone diſerti,*
*Sacratique Magiſtratu, fortunà opulenti.*
*Nec deſunt, quibus eſt pietas, atque unica cordi*
*Relligio, nec amant niſi honeſta, pudica, decora,*
*Sanctaque virtutum veterum praecepta ſequuntur.*
*Corporis, ac mentis, ſed qui bona contineat in ſe*
*Omnia, nec minimo careat vel munere ſortis,*
*Dic quibus in terris reperitur? At inſpice noſtram*
*Brixiam, in hac ſolà ſolum reperire QUIRINUM eſt:*
*Quippe ſuum fovet ipſe Gregem, nunc more Magiſtri (26),*
*Nunc Patris: docet indoctos, locupletat egenos (27),*
*Solatur miſeros, ſcelus omne coercet, & arcet.*
*Excitat immenſis Regales ſumtibus Aedes,*
*Mole quidem magnas, majores attamen uſu.*
*Bibliotheca (28) voluminibus ſtipata vetuſtis,*
*Innumeriſque novis: ſanctis domus ampla puellis (29):*

*Alte-*

(24) Natura, & arte munita, validoque firmata militum praeſidio.

(25) Clariſſimos vitae ſanctitate, literis, & armis Brixienſes. *Vid. in Hiſt. Capreol.*

(26) Frequentibus monitis, & Paſtoralibus edictis omni pietate, doctrina, atque eruditione refertis.

(27) Extat Numiſma Brixiae ſignatum, quod altera facie Domum Pauperum repraeſentat, in altera haec habet „ Patris inopum „ ultra exempla Praedeceſſorum ſuorum „ beneficemiſſimi effigiem, quam marmore „ ſculptam in ſac. Aedis ſuae atrio Congre„ gatio Apoſtolica Brixiana poni jam cura„ verat, hoc etiam numiſmate exprimi de„ crevit Anno Jubil. 1750. „

(28) De Bibliotheca, quae alio exhibetur numiſmate, haec in eodem leguntur „ Bibliothecae a ſe erectae, dotataeque com„ modo Urbis Brixienſis Primario hujus Ma„ giſtratui poſſeſſionem contradidit Anno „ Jubil. 1750. „

(29) De hoc Monaſterio habetur aliud numiſma, ita inſcriptum „ Saleſianae Moniales „ in Valle Camuna, ex ceſſis ſibi ejus duca„ tus Annonis ab Antiſtite ſuo Anno 1729. „ inſtitutae ad paris Regulae Coenobium in „ tractu Novarienſi inſtituendum advocan„ tur Anno Jub. 1750. „

Digitized by Google

*Altera Ephoeborum ingeniis ad ſacra probandis* (30),
*A fundamentis juſſu conſtructa QVIRINI.*
*Sunt opera alta quidem; ſed qui cum principe Templo*
*Contulerint, videant inter viburna cupreſſum.*
*Hoc equidem numquam potero deſcribere fando,*
*Vix qui conſpiciet, poterit cognoſcere totum* (31).
*Nec ſolas Italûm terras exornat abundè.*
*Intereà ſoli ſibi parcus* (32), *at uſque rigentis*
*Ad Boreae Populos* (33) *effundit munera, ibique*
*Magnanimi ſtatuit monimenta perennia cordis* (34).
*Caetera praeteream, memorare quis omnia poſſet?*
*Praeteriiſſe nefas tamen eſt, quod ſingula cultum*
*Reſpiciunt opera iſta Dei, populique ſalutem.*
*Plura tamen calamo aedificat. Sapientia fervens,*
*Atque vigens in corde Viri ſublimia ab arcà*
*Pectoris eructat documenta, typiſque perennat* (35).
*Scripta Patrum divina, gravi ſqualentia nocte*
*Reſtituit meritò curàque, manuque diei* (36):
*Clara, vetaſtatis ſed ſemiſepulta tenebris*

*Geſta*

(30) Numiſma, qaod hoc exprimit aedificium, haec habet „ Prò dignoſcenda vocatio„ ne ordinandorum Brixiae erectum a fun„ damentis Collegium plaudente Clero, & „ Populo univerſo Anno Jub. 1750. „

(31) Praetermiſſis pluribus, quae de maxima hac Baſilica dici poſſunt, ſatis eſt indicare inſcriptionem, quae in ejus peculiari numiſmate legitur „ Munificentiam Antiſti„ tis ſui, qua ex inſperato Cathedralis Ae„ des cultui divino apta reddita eſt, pluribus „ jam monumentis celebravit, laetiuſque „ concelebrat Brixia grata Anno Iub. 1750.

(32) Tam enim frugalis eſt in iis, quae cultum proprium, ſupellectilem, menſamque reſpiciunt, ut mirum plane ſit ex animo tanti Principis, tot Sacerdotis, divitiis, honoribus, ac dignitatibus aucti, atque cumulati, numquam excidiſſe propoſitum illud ſpontaneae paupertatis, quam vovit DEO, cum inter Caſſinenſes Monachos nomen dedit.

(33) Praecipue ad Boruſcos.

(34) Berulini ſcilicet, ubi cum a fundamentis aedificetur Romani ritus Eccleſia aere ab Epiſcopis, & Principibus Catholicis collato, Eminentiſſimus QUIRINUS, non ſolum ſupra caeteros enituit, verum etiam illuc tranſmiſit Venetiis elaborata marmorea ſimulacra Imaginem exprimentia Redivivi Reparatoris noſtri, qui ſub Olitoris ſpecie D. Mariae Magdalenae apparuit.

(35) Sextum numiſma Brixianum, in quo extant praela typographica haec habet. „ Ad „ probandam Rom. Eccleſiae erga Heterodo„ xos charitatem, praela Brixiana, adnitente „ ejuſdem Eccl. Rom. Card. Bibliothecario, „ naviter deſudant, praeſertim Anno Jubil. „ 1750. „

(36) Opera S. Philaſtrii, & aliorum PP. Brixienſium.

Digitized by Google

*Geſta POLI, & PAULI perfudit luce Secundi* (37):
*CORCYRAEQUE ſuae, cui Paſtor praefuit olim,*
*Edocuit doctis, quae ſint primordia, chartis* (38).
*Vix tamen utilius, vix commendatius inter*
*Inclyta ſcripta tot Illius reperire ſit ullum,*
*Quam liber ille ſuae, quo tradidit aurea vitae*
*Facta, vices, ſtudia, ingenium, incrementa, labores* (39).
*Poſteritas hinc diſcet enim, ſibi quà ſit eundum*
*Ad ſedem Virtutis, & ad Virtutis honores.*
*Atque ità perpetuum mittit poſt ſaecula nomen.*
*Ille brevi moritur, quamquam vel Neſtoris annos*
*Exuperet ſenio, ſua cui modò vivitur aetas,*
*Nec ſatagit poſt fata dies extendere vitae:*
*Namque . . . ſed excepit LUCATELLUS, amice, Latinas*
*Nos colimus terras, non Indica rura, nec undas*
*Naſcentis bibimus Nili* (40), *aut morientis Araxis* (41).
*Scilicet ut mores doceamur, geſtaque tanti*
*Praeſulis, Antipodes quamvis pervaſit ad ipſos,*
*Ac ſub utrumque polum celeberrima fama QUIRINI.*
*Miſſa igitur facias, tibi quae memoranda ſuperſunt,*
*Plura nec his noſtras aures, tuaque ora fatiges.*
*Nam de Cive meo* (42) *nil diximus hactenus, illo*
*Scilicet, incubuit cui non modò cura novandi*
*Coenobii, ac Templi; ſed conſcribenda fuerunt,*
*Quae ſpectant ad utrumque vetuſtis eruta ſaeclis.*
*Praeſtitit aedificans, quae cernimus: an ſibi laudem*
*Quaeſierit dubitare nefas: at prodidit acris*
*Judicii ſpecimen locupletius hic liber, in quo*
*Tambenè ab incertis ſecernit certa, ſagaci*

*In-*

(37) Scripſit vitam Pauli II. Veneti P.M. & vitam Card. Reginaldi Poli Britanni.

(38) Liber inſcribitur *Primordia Corcyrae*.

(39) Deſideratur continuatio hujus Commentarii.

(40) In extrema videlicet Aethiopia ſub montibus Lunae.

(41) Qui in Mare Caſpium influit juxta *Plin. Nat. Hiſtor. lib.6. cap.9.*

(42) Reverendiſſimus Abb. Felix Maria Nerinius Mediolanenſis aedificando Monaſterio, & Eccleſiae Praefectus.

Digitized by Google

*Ingenio aſſequitur, quae vix tentanda putares,*
*Ut ſolidae critices opus admirabile dicas.*
*Si ſacra conquiras, ſacra plura doceberis illinc:*
*Sive prophana placent, ibi multa prophana leguntur.*
*Quique vetuſtatis ſitiunt arcana profundae,*
*Hinc poterunt explere ſitim de gurgite pleno.*
*Perſpicua eſt methodus, res ex re labitur ultro:*
*Dictio pura, ſtyliſque lepos, Venereſque latinae*
*Afficiunt mira doctos dulcedine: verbo:*
*Huic operi nihil eſt quod demas, nil quod & addas.*
*Tunc ego: NERINUM doctum ſublimia noram,*
*At molles (43) Muſarum (44) artes ſprevisse putaram;*
*Quandoquidem totas intendit ad ardua vires.*
*Ille vices Elementorum, inſtabileſque figuras,*
*Quas ſubeat corpus variabile materiei,*
*Quae rerum cauſae, quae ſint primordia callet.*
*Scire cupis Libyae, quot abundet campus arenis,*
*Ille tibi innumeras Libyae numerabit arenas.*
*Metiri Terras, Pelagum, ſpatia invia Olympi,*
*Atque renaſcentes (45), feralia ſigna (46), Cometas*
*Ille ſolet: magnos aſtrorum ponderat orbes,*
*Stellarum eclypſes (47), progreſſus, atque regreſſus (48)*
*Praevidet, ac Synodos (49), triplices praedicit, & ortus (50).*

*Ocea-*

(43) Quia molliunt ingenia, mores, & orationem.

(44) Cum Filiae dicantur memoriae: ad eas pertinet narratio rerum geſtarum. Praecipuè tamen Hiſtoriae praeeſt Clio.

(45) Recentiores Aſtronomi, duce Caſſino V. C. Bononienſe, ſuperiori ſaeculo coeperunt ſententiam vetuſtiſſimorum amplecti, qui arbitrati ſunt Cometas inter Planetas eſſe recenſendos, ut videre eſt apud *Ariſt. Meteorolog. lib. 1. Senecam Natural. Quaeſt. lib. 7. cap. 27. Plutarc. de Placit. Philoſoph. lib. 3. cap. 2. Diodor. Siculum qui Bibliothecae Hiſt. lib. 3. cap. 2. ait Aegyptios Cometarum ortus praedixiſſe.*

(46) Uti Vulgus opinatur, cum ſingulis annis, quin Cometae appareant, alicubi atrocia contingant.

(47) Non modo Solis ac Lunae; ſed caeterorum etiam Planetarum, eorumque Satellitum.

(48) Dicunt Aſtronomi Planetas directos cum ſecundum ordinem ſignorum progrediuntur, Retrogrados vero ſi quando retrocedunt.

(49) Cum plures Planetae in eodem ſigno conjunguntur.

(50) Tripliciter Syderum ortum, & occaſum vocamus. Quod enim orienti cooritur Soli, cooccidítque κοσμικῶς oriri, atque occidere dicimus. Quod Soli occidenti χρονικῶς. Quod vero Solis adventu, abituve occultatur, aut emergit ἡλιακῶς.

Digitized by Google

*Oceani, Terraeque omnes, Caelique latebras*
*Scrutabundus adit, dum ſingula noſcit in ipſis.*
*Quin etiam celeri mentis ſuper aſtra volatu*
*Raptus inacceſſi penetralia permeat axis,*
*Miratur propiùſque Deum, ac Divina tuetur* (51).
*Hiccine Vir ſeſe convertit ad hiſtoriam, quam*
*Jucundum legere eſt; ſed concinnare moleſtum?*
*Praecipuè de barbarico cum tempore* (52) *ſermo*
*Inſtituendus erit; medio dum plurima curſu*
*Deficiunt; cum deſit adhuc ubi quaerere poſſis.*
*Excepit LUCATELLUS: Ego nil miror, acuta haec*
*Ingenia oblectant ſeſe, recreantque profundis*
*Ab ſtudiis, ſibi propoſito leviore labore;*
*Praeſertim quando utilitas, ac ſumma ſequatur*
*Gloria, opus numeris concinnatum omnibus, Author*
*Quale dedit noſter, famae qui plurima reddit*
*Nomina Nobilium ſenio conſumta Virorum* (53).
*In lucem revocat pietatis dona vetuſtae;*
*Quaeque ad opus tantum noſtra haec pia contulit aetas,*
*Ad ſeram jubet ire perennia poſteritatem.*
*Haec quae tam ſolidè nunc ſtant, aliquandò peribunt.*
*NERINI tamen omne ferentur ſcripta per aevum.*
*Ergò tuo Civi BALDINUS gratuler, inquit,*
*Atque tibi, & noſtris, quibus hic Vir contigit annis;*
*Sed vide, Amice, dies nos deſerit: Ipſe priuſquam*
*Adveniat nox uda, domum rediiſſe peropto.*
*Annuimus facilè, ſubitò diſceſſimus, & nos*
*Exceptos curru LUCATELLUS reddidit Urbi.*

(51) Cum ſit in Theologicis diſciplinis verſatiſſimus.

(52) In ea incidit ſaecula Hiſtoria haec, in quibus barbarie increbreſcente, obſcuriora fieri coeperunt, loca, tempora, & res geſtae.

(53) Praecipue Abbatum, & veterum Monachorum, qui hoc Coenobium ſanctitate vitae illuſtraverunt.

Digitized by Google

# TEMPLI ET COENOBII SS. BONIFACII ET ALEXII

## *HISTORICA MONUMENTA*

## CAPUT PRIMUM.

### *Templi & Coenobii ſitus.*

INSTITUENTI mihi Templi & Coenobii SS. BONIFACII & ALEXII ſitum, naturamque loci deſcribere, quum veterem illam pulcherrimam Romam, jam non extinctam modo, ſed plane ſepultam memoria repeto, illud veriſſimum videri ſolet, quod experientia ipſa maxime docet, nihil eſſe in rebus humanis, opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas. Quis enim ignorat, civitatem eamdem, parvis licet ortam initiis, in eam tamen amplitudinem excreviſſe, ut ſeptem col-



Digitized by Google

les ipſos, non modo immenſa aedificiorum copia occuparet, ſed ambitu ſuo contineret? Sed tantae urbis, quae urbs aeterna, quae immortalis dicebatur, vix nunc, & ne vix quidem cadaver intuemur: quin etiam locum ipſum ubi fuit, vix certum exploratumque haberemus, niſi ſeptenis eiſdem collibus admoneremur; quos inter neceſſario mihi commemorandus Aventinus (1), infelix diu inauſpicatuſque habitus, quod Remus ibi ad condendam Urbem auſpiciis operatus aves adverſas habuerit: mox quartus Urbi collis ab Anco Martio additus eſt.

Hic, florente Romano Imperio incolarum frequentia, & domorum inſulis (2) bis millibus quadringentis & amplius inſignis, magnificis quoque aedibus publicis, templis, delubris, aris, thermis, horreis, ac viis ornatus, tum demum eodem, quo civitas univerſa, fato fuit, & nunc quid aliud eſt, niſi campus, hortus, & ſolitudo mera? In eo ſunt aedes ſacrae aliquot, praeſertim vero Templum antiquiſſimum & religioſiſſimum illud, de quo ſcribimus Divis Bonifacio & Alexio ſacrum, quod quidem Templum jace-

(1) De Aventini nomine audiendus Varo: „ Nomen illi ab avibus, quod „ eo ſe aves ab Tyberi ferrent: alii „ a Rege Aventino Albano, quod ibi „ ſit ſepultus: alii ab adventu hominum, quod comune Latinorum ibi „ Dianae templum ſit conſtitutum: „ ego maxime puto ab advectu; nam „ olim paludibus mons erat ab reliquis diſclufus. De Ling. Lat. IV. 7.

(2) Ex Notitia Roman. Imper. de Regione Aventini „ Reg. XIII. Aventinus continet templum Dianae „ & Minervae, nymphaea tria, thermas Varianas, Decianas, Doliolum, mappam auream, platanones, horrea Galbae, porticum Fabiam, ſcholam Caſſii, forum Piſtorium. Vici XVII. Aediculae XVII. „ Vico Magiſtri XLVIII. Curatores II. Inſulae duo millia quadringentae octoginta ſeptem. Domus „ CXXX. Horrea XXV. Balnea LXIV. „ Lacus LXXXVIII. Piſtrina XX. Continet pedes ducentanovem millia „ &c.

Digitized by Google

jaceret ſere neglectum, niſi velut divinum aliquod lumen affulſiſſet inexhauſta liberalitas Ampliſſimi Cardinalis Angeli Mariae Quirini, qui, ea qua eſt magnitudine animi, totum ex integro nuper reſtituendum curavit; effecitque ut nos ipſi ejus exemplo excitati, Coenobium jam prope vetuſtate ſatiſcens, ita novum exaedificaremus, ut Templi dignitati reſponderet.

Utrumque ſitum eſt in ipſo jugo collis Aventini, qua parte imminet Tyberi, ac Doliolo ſeu monti Teſtaceo, quo loco nihil eſt ad aſpectum praeclarius, nihil jucundius: pulcherrimum enim ſpectaculum intuentibus praebent, quum fluvius ipſe, & navium ad portum appulſus, tum innumera Romae (quae nunc eſt) aedificia quaſi ad theatri ſpeciem conſtructa. Quae illuc planior patet via, ea eſt, quae olim a clivo (3) Publicio (quem ad ima Palatini (4) fuiſſe conſtat) profecta, nunc autem a templo Sanctae Anaſtaſiae aliquantum deflexa in duas explicatur; altera, quae ſiniſtra eſt, ad partem collis dimidiam circo maximo imminentem, atque ad aedem Divae Priſcae ſacram ducit, ubi olim thermas Decianas ſeu Varianas fuiſſe, rerum antiquarum periti Auctores exiſtimant; altera directior, quam dexteram appello, ad collis jugum, noſtrumque Templum, illud Sanctae Sabinae praetergreſſa, perducit.

Locum ipſum, antiquae ſuperſtitionis tempore, cultu Bonae Deae religioſum fuiſſe putant (5), cujus ſacris,



(3) . . . *Qui tunc erat ardua rupes, Utile nunc iter est, Publiciumq; vocant.* Ovid. Faſt. V. 293.

(4) Vide Nardinum Rom. vet. lib. 7. cap. VIII.

(5) Vide Donatum de urbe Roma lib. 3. cap. 13. Nardin. lib. 7. c. 8. & Ficoroni Veſtigia di Roma antica cap. 12.

Digitized by Google

cris, quae ſatyrice perſtringit Juvenalis, (6) maribus intereſſe nefas erat: quare Clodius, qui id auſus eſt,(7) a Tullio male vexatur. Alii Armiluſtrum hic ſtatuunt, quod indicare videtur veteris inſcriptionis fragmentum in S. Alexii vineis repertum, apud Nardinum, (8) SACRUM. MAG. VICI. ARMILUSTRI. Plerique (9) Herculi Victori locum hunc ſacrum faciunt, non longe a Caci ſpelunca, quam in *crepidine montis* Aventini *ſupra Navalia, ubi & aedes Herculis Victoris*, fuiſſe ex Solino diſcimus; ejuſque notiſſimam fabulam (10) Dionyſius, Virgilius, & Ovidius fuſe referunt. Alii demum hic prope conſtituunt templum Minervae aut Dianae, quod in ſummo Aventini jugo, haud procul ab Armiluſtro poſitum, docet vetus inſcriptio apud Grutherum (11), *in ruinis templi Dianae in Aven-*

(6) Juvenalis Satyr. VI.

(7) Tull. Cicero de Haruſp. reſp. Plutarchus in Cicerone.

(8) Nardin. Rom. vet. lib. 7. c. 8.

(9) In vico aut monte Aventino „ olim Herculis Victoris ſatis pul„ chrum, poſtea Templum S. Boni„ facii, ubi S. Dei Genitricis imago ex „ Edeſſa allata conſervatur. Ita Floravantes Martinelli in Roma ex Ethnica Sacra pag. 54. edit. Rom. 1668.

Georgius Fabricius Rom. Antiquitatum lib. 1. cap. IX. agens de Templ. Gentil. in Templa Sanctorum mutatis pag. 101. edit. Baſileae 1587. de Templo Herculis Victoris ita ſcribit: „ Herculis Victoris, nunc Divi Ale„ xii in Aventino ad occaſum, Ty„ berim & portam Trigeminam ver„ ſus, alludit Virgil. VIII. Aeneid. „ *Haec limina victor Alcides ſubiit* „ *&c.* In eo non licebat eſſe, ut in „ aliis, lectiſternium, nec cuiquam „ niſi ingenuo ſacris intereſſe: Au„ ctores Cornelius Balbus, & Ser„ vius Grammaticus. Ab eodem mu„ lieres arcebantur, cujus rei cauſ„ ſam prolixe reddit libro quarto „ Propertius. Talia ſacella, a quo„ rum ingreſſu ſexus muliebris arce„ tur, adhuc Romae ſunt in Divo Pe„ tro Vaticano, in Divo Joanne La„ terano, in S. Crucis in Hieruſalem, „ in Diva Praxede, in Lavacro Con„ ſtantini, & locis fortaſſe pluribus.

(10) Dionyſius lib. I.
Virgilius lib. VIII. Aeneid.
Ovidius lib. I. Faſtor.

(11) Grutherus pag. xxxix. de Templo Dianae Aventinae. Vide Valer. Maxim. lib. 7. cap. 3. Dionyſ. lib. 4. Liv. lib. 1. Roſin. Antiq. Rom lib. 2. c. 7. Cora-

FRAG TRVSCORVM.

ROMAE IN AVENTINVM·A·D·MDCCL·

*Tab. I.* *Pag. 5*



Digitized by Google

*Aventino* reperta, quam illuſtravit Vir Clariſſimus Alexander Symmachus Mazzochius in mutilum Campani amphyteatri titulum *pag.* 162. Sed haec longius perſequi ſupervacaneum eſt, quae compertiſſima ſunt apud Auctores (12), qui de Romana urbe ſcripſerunt. Hic tamen non alienum exiſtimavimus, fragmentum Deae Etruſcorum, e ruderibus veteris Coenobii noviſſime apud nos erutum, apponere; quod, ſi Dianam referat, ut non levis ſuſpicio eſt, aliquid inde roboris accedet eorum opinioni, qui Dianae templum haud procul hinc fuiſſe putarunt. Illud exhibemus Tabula I. in qua duplici ſchemate Deam delineari curavimus, ut inſolitum & perrarum indumenti genus magis appareat.

Huic ſimillimum, ſed aheneum Etruſcorum Deae ſimulacrum, e muſeo Carpineo primus omnium in lucem edidit Ampliſſimus Senator Bonarotius (13) ad Obſervationes in Numiſmata maximi moduli, ex quo illud iterum incidendum curavimus Tabula II. Hoc Spem Deam, ſive aliquod aliud Etruſcorum Numen, referre cenſuit praelaudatus Bonarotius: at Doctiſſimus

Coradin. vetus Latium profan. lib. I. cap. VIII. Inſcriptiones Dianae Aventinae videſis etiam apud Aldum in Orthogr. pag. 422. & 444. & Corſign. Reg. Marſican. to. I. pag. 95. & Gud. ex Ligor. pag. XXX. 3. qui ita hanc refert:

D I A N A E  A V E N T.
S A C R U M
L. C A L L I D I U S  L. F I L.
C L A U D. F E R O X
C A R S A E O L A N U S
V. S. L. M.

(12) Vide Donatum & Nardinum ubi ſupra, atque Olai Borrichii Antiq. Urb. Rom. faciem tom. IV. Graevii Theſaur. Rom. Antiquit.

(13) Bonaroti Oſſervazioni Iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni pagin. 92. e 93.

Digitized by Google

mus Gorius (14) vix dubitat, quin Dianam Etruſcorum repraeſentet; poſtquam enim monuit pauciſſima in celebrioribus Etruriae muſeis abs ſe obſervata fuiſſe Dianae ſimulacra, quae non obſcuros Etruſci artificii caracteres praeſeferant, tria ejuſdem ſchemata proponit in Tabula XXXV. ad quorum primum, quod hic denuo exhibemus Tab. II. haec habet = Bonarotius . . .
„ Spem Deam, ſive aliquod aliud Etruſcorum Numen
„ referre cenſet: ego vero haud improbabili conjectura
„ Dianam; nam dexteram manum in eum geſtum ita
„ conformatam habet, ut arcum vel ſagittam, quae
„ intercidit, tenuiſſe videatur: accedit veſtis ſuccin-
„ cta poplite tenus fuſa, quam laeva manu adtollit:
„ adde nudos pedes, qua ſpecie Dianam in antiquis
„ ſculpturis non raro expreſſam cernimus: capilli,
„ quod Graeci nunquam fecere, valde prolixi, in fine
„ tonſi, elegantique artificio diſpoſiti obſervantur.
„ Quanto vero ſtudio, & ingenio veſtis in varios ſinus
„ ſit concinnata, nemo eſt qui non videat: in limbo
„ ejuſdem veſtis quaedam ornamenta inſculpta obſer-
„ vantur, quae Tuſci opifices invenere, quaeque ve-
„ teres Meandra vocarunt (15); quod fluxibus tortuoſis
„ amnem hoc nomine, & natura celebrem imitentur.
Huc uſque Gorius de aheneo hoc Etruſcorum ſimulacro; cujus indumenti genus ſi Meandra excipias, quum utrobique in Tabulis I. & II. perquam ſimillimum ſit, quominus fragmentum noſtrum marmoreum Dianae Etruſcorum ſignum fuerit, quae in Aventino colebatur vix ambigendum putamus. Sed de his ſatis.

Cete-

(14) Gorius Muſei Etruſci vol. I. Tab. XXXV. num. I. & 2.

(15) Virg. Aeneid. lib. V. verſ. 251., vide etiam Servium in lib. IV. n. 137. Tertullian. de Pallio c. IV. &c.




Digitized by Google

Digitized by Google

Ceterum ut ad ſitum (16) Templi & Coenobii noſtri revertamur, metricam ejuſdem deſcriptionem hic ſubjicere liceat ex vetuſta Tabularii noſtri membrana, quae licet minus polita minuſque elegans ſit, tamen non injucunda fortaſſe accidet antiquitatis amatoribus.

*QUiſquis amas hujus primordia noſcere montis,*
*Et quae monſtra tulit, Virgilium legito.*
*Hic Cacus ille ferox latitans accomoda fecit,*
*Infandiſque malis credidit antra ſuis.*
*Huc tractos homines in mortem caede cruenta*
*Torquebat miſeros beſtia factus homo.*
*Sic potuit dici quondam mons daemonis iſte,*
*Hiſpidus, & ſterilis, mons ſine ſorte boni.*
*Sed Deus Omnipotens, qui nigrum candidat, & qui*
*Aſpera plana facit, rem dedit in melius:*
*Nam jacet hic Chriſti Martyr BONIFACIUS, & tu*
*Junctus ALEXI ſibi, dulcis amice Dei.*
*Sic verſis vicibus jam monachus, & pius hic vir*
*Virtutum meritis clauſtra beata colit.*
*Huc ductos homines in vitam vota per alma*
*Solatur trepidos angelicatus homo.*
*Ergo poteſt dici mons ſanctus, mons Domini, mons*
*Pinguis, & aeterni foetus amore Dei.*
*Hoc in monte pium divini muneris imbrem*
*Effundat noſtris mentibus ipſe Deus &c.*

CA-

(16) Legitur hujus collis deſcriptio apud Mabillon. Saec. Bened. to. 7. p. 613. „ qui prae ceteris Urbis montibus aedes decoras habens, & ſuae „ poſitionis culmen in altum tollens, „ aeſtivos fervores aurarum algore „ tollerabiles reddit, & habilem in „ ſe habitationem facit. Ovibus autem ſpiritualibus intra ſepta ejuſ„ dem Coenobii accubantibus mini„ ſtrabat vitae paſcua Abbas qui„ dam &c.

Digitized by Google

# CAPUT II.

## *Initia Templi S. BONIFACII Martyris.*

UT obſcura ſolent eſſe pleraque initia rerum antiquiſſimarum; ita nemini mirum videri debet, quod nos, etſi memoriam ultimam annalium omnium repetere, atque evolvere ſtuduimus, tamen, quo plane tempore S. BONIFACII Martyris Templum aedificatum fuerit, nihil certum, nihil minime dubium afferri poſſe ingenue fateamur. In tanta autem rerum & temporum caligine, ſi, quod conjectura perſpici poteſt, id unum abs me quaeratur, conjectura ducor ad ſuſpicandum, ab exeunte tertio vel quarto ineunte ſaeculo natales hujus Templi poſſe deſumi; ſi tamen illud ipſum eſt, quod Aglaes Romana mulier, multis nominibus clariſſima, ad recondendum Sacrum Corpus Beati BONIFACII, e Tharſo Ciliciae translatum, jam tum a ſolo exaedificavit. Quum enim Aglaes haec, filia Acacii quondam Proconſulis, quindecim annis ſuperſtes fuerit glorioſo Chriſti Athletae, qui, Diocletiano quartum & Maximiano tertium Conſulibus, Martyrii palmam adeptus eſſe narratur in Actis (1); quumque Conſulatus Imp. C. Aur. Valer. Diocletiani Aug. IV. & Imper. M. Aur. Valer. Maximiani Aug. III. ad A. D. 290. referatur in Faſtis (2) apud Noriſium (3), Relandum (4), Theodorum ab Almeloveen (5), alioſque; inde

(1) Vide Acta paſſionis S. Bonifacii Martyris apud Ruinartum, & apud Bolland. die 14. Maji.

(2) Tom. 2. Operum Henrici Card. Noriſii pag. 610. edit. Veronen. 1729.

(3) Petri Relandi Faſti Conſulares ſecundum rationem temporum digeſti &c. Trajecti Batavorum A. D. 1715.

(4) Theodori ab Almeloveen Faſtorum Conſularium libri duo Amſtelodami a. D. 1705.

(5) Emmanuelis a Schelestrate Antiq. Eccleſiaſticae &c. Tillemon. Mem. Eccl. T. 5. in Chronolog.

Digitized by Google

inde fit, quindecim hiſce annis Templum illud exaedificatum eſſe, ideoque poſt A. D. 305. ejuſdem fundationis Epocham produci haudquaquam poſſe.

Sed antequam iſthaec ſigillatim oſtendamus, ſedulo perpendere juvabit Acta paſſionis B. BONIFACII, ex quorum auctoritate vis tota pendet argumenti noſtri.

Quod ſpectat ad ipſorum fidem & antiquitatem, ſynchrona quidem illa conjicere proclive foret ex ipſo textu: *Conſervi autem B. BONIFACII, quum inter ſe confabularentur, contigit obviare eis fratrem Commentarienſis*: quae verba innuere videntur, Bonifacii ſociis obviaſſe fratrem ejus, qui commentariis praeerat, ſeu Martyris res praeclare geſtas in commentarium retulerat; & forte tradidit ipſis, ut una ſecum Romam cum Sacro Corpore adferrent. At niſi coaeva & primigenia ſint, quod aliquibus viſum eſt, talia tamen ſunt, ut ſeveriores etiam Cenſores Valeſius (6), Tillemontius (7), Fleury (8), aliique ea omnino repudiare non audeant.

Et quidem merito; nam, ut jamdiu oſtenderunt Bollandiani continuatores (9), antiquiſsima ea ſunt, & a fidiſsimis Auctoribus deſcripta habentur in quampluri-mis pervetuſtis optimae fidei codicibus mſſ. non modo bibliothecae Vaticanae, ſed etiam Baſilicae Lateranenſis & Sanctae Mariae Majoris, necnon in octo lectiones diſtributa in codice mſſ. Congregationis Ora-

B torii

(6) Valeſius in praef. ad Acta S. Perpetuae. Pariſiis 1664.

(7) Tillemon. Mem. Eccl. t. 5. pag. 172. & in notis pag. 650.

(8) Fleury Hiſt. Eccl. lib. 9. §. 18. Baillet Vie des Saints 14. de May. Courajer Hiſtoire des Papes imprimèe a la Haye 1732. pag. 92.

(9) Vide Bolland. Acta Sanctorum ad diem 14. Maji pag. 279. tom. 3. Maji editionis Venetae 1738.

Digitized by Google

torii Romani: habentur item in duplici codice Trevirenſi monaſteriorum S. Maximini & S. Martini, aliiſque pluribus mſſ. ex quorum collectione excuſa poſtmodum fuerunt a Bonino Mombritio (10), & a Luca Holſtenio (11), qui in illis edendis ſeptem manuſcriptorum codicum fidem ſequutus eſt, ut ipſe praefatur; quorum duos Vaticana, quatuor Principis Apoſtolorum bibliotheca, ſeptimum S. Caeciliae trans Tyberim coenobium ſuppeditaverat; ex quo vetuſtate fideque ceteris praeſtante Bonifacii res geſtas potiſſimum expreſsit Baronius (12).

Haec quoque inter Acta Martyrum ſincera & ſelecta nobis exhibuit Ruinartus (13) nedum Latine, ſed etiam Graece, ex Vaticano codice per Octavium Falconerium deſcripta, atque ab Emerico Bigotio cum codice Colbertino collata ac edita; qui Lectoribus judicium relinquit, an Graeca a Latinis, vel haec ab illis dimanarint: quod etiam Lucas Holſtenius dubitavit. Sed quaelibet dubitatio praeripitur attente conſideranti, in textu Graeco nonnulla explicationis cauſſa adjecta eſſe, atque eloquentiori ſtilo expoſita ab Auctore, quem Leo Allatius (14) Simeonem Metaphraſten facit, ut quivis, ſi metaphraſim Simeonis cum Actis Bonifacii conferre voluerit, ſibi facile perſuadebit.

Mirificus hic antiquorum codicum & Auctorum conſenſus ſane evincit, quae de Bonifacio Romano Martyre deque illius Sacri Corporis translatione utcun-

(10) Coloniae A.D.1483.

(11) In Actis S.Perpetuae &c.

(12) Baronius Annal. Eccl. ad A.D. 305. §. XI. & in notis ad Martyrolog. Rom. die 14. Maji.

(13) Theod. Ruinart. Acta Martyrum ſincera & ſelecta Veronae 1731.

(14) Leo Allatius in Diatryba de Simeonibus.

Digitized by Google

cunque mirabilia traduntur, ea nemini falſa videri debere, niſi quis temere ac nulla ratione opinari velit. Quare illud inde conſequens ſit, nec a vero abeſſe, quod Templi noſtri aedificatio ultra A.D. 305. haudquaquam protrahi poſsit. Etenim ex iiſdem Actis abunde liquet A. D. 290. ab Aglae nobili femina Romana legatum fuiſſe Bonifacium in *partibus Orientis*, ut Reliquias SS. Martyrum ſibi acquireret, ac Romam comportaret; quia ſic miniſtrantes eis, & *oratorias domos* aedificantes, Aglaes & Bonifacius ſpem conceperant peccatorum remiſsionem, ac aeternam ſalutem ſe poſſe conſequi: *Temporibus Diocletiani quater & Maximiani ter impiiſſimorum Imperatorum . . . . . . . . . . . . quaedam in urbe Roma mulier magna, nomine Aglaes, filia Acacii quondam Proconſulis . . . . . . . . . . gratia Dei compungente . . . . . . . . . . convocavit puerum ſuum Bonifacium, & dicit ei . . . . . . . nunc didici a quibuſdam, quod Servi Chriſti agonizantur adverſus diabolum in partibus Orientis, tradentes corpora ſua carnificibus, ut non abnegent Chriſtum. Perge igitur ad illas partes, & affer nobis Reliquias, ideſt, Corpora Sanctorum Martyrum, ſiquomodo miniſtrantes eis, necnon & oratorias domos aedificantes eis, per ſanctas paſſiones eorum ſalvemur tam nos, quam alii multi* &c. Liquet praeterea Bonifacium, ubi Tharſum pervenit, a Simplicio Ciliciae Praeſide gladio percuſſum, Martyrem occubuiſſe, ejuſque Corpus, ſoluto pretio redemptum, a ſociis Romam advectum, ab Aglae repoſitum fuiſſe via Latina ad ſtadia Urbis quinque, aedificante illi domum dignam paſſione ejus, ſeu, ut legitur in codice Vati-



Digitized by Google

cano ſignato 6075. donec aedificaret domum dignam paſsione ejus : *Adveniens igitur Bonifacius poſt dies aliquot in Tharſum civitatem . . . . . . . . cepit oſculari SS. Martyres, quum eſſent in tormentis nequiſſimis . . . . . . Aſpiciens autem Simplicius Judex, iratus eſt vehementer; juſſit . . . . . ut caput ejus gladio abſcinderetur . . . . Conſervi autem B. Bonifacii dantes ſolidos quingentos acceperunt Corpus S. Martyris; & hoc ungentes cum aromatibus, poſuerunt illud in una de baſternis; & ſic proficiſcebantur iter ſuum . . . . Et conſurgens Aglaes obviavit Sancto Corpori; & repoſuit illud ad ſtadia Urbis quinque, donec aedificaret domum dignam paſſione ejus*.

Quum autem Aglaes poſt hujuſmodi Sacri Corporis depoſitionem tredecim, aut ſi codices Graecos ſpectemus, quindecim adhuc annis ſupervixerit: *Supervixit autem Beata Aglaes annis quindecim, & ſic obdormivit in Domino*; quid eſt, cur ambigamus, quominus Aglaes tot annorum intervallo Eccleſiam ſeu domum hanc tanti Martyris paſsione dignam, quam ſemel iterumque voto conceperat, aedificaverit?

Illud potius ambigendum videtur, num in eadem via Latina ad ſtadia Urbis quinque ſeu quinquaginta, ut alibi legitur (15), an in colle Aventino Sacra haec Aedes exaedificata fuerit, quod Acta diſerte non produnt. Aringhius (16) quidem ad ſtadia Urbis quinquaginta, id eſt, inter ſextum ac ſeptimum ab Urbe lapidem aedificatam putat: *quo potiſſimum loco*, inquit, *conſpicuam operis ac magnificentiae ab Aglae matrona*

(15) Vide notas ad hunc locum apud Bolland. Acta SS. die 14. Maji.

(16) Aringhius Rom. ſubter. lib. 4. cap. 6. num. 6.

Digitized by Google

*trona in Martyris ejuſdem bonorem Eccleſiam erectam fuiſſe, traditio eſt*. At hujuſmodi traditionis, quam Aringhius affert, nullum vel minimum veſtigium invenire potuimus: quin immo, ſi recte perpendamus vim particulae *donec*, ſatis ex illa conjici poſſe putamus, in via Latina fortaſſe loco depoſiti reconditum fuiſſe B. Bonifacii Corpus, interea ac alibi ſeu donec in Aventino colle aedificaretur domus digna paſsione ejus, & illuc in eamdem pro rerum & temporis opportunitate aſportaretur. Conjecturam hanc noſtram fovet conſtans ac immemorabilis traditio, & conſenſus Scriptorum omnium unanimiter aſſerentium, Sacram Aedem ab Aglae conſtructam eamdem eſſe, quae pluries ſubſequutis inde temporibus ampliata & inſtaurata in colle Aventino, nunc SS. Bonifacii & Alexii nuncupatur. Ita arbitrantur (17) Severanus, Martinellus, Pancirolius, Creſcimbenus, aliique paſsim: quorum conjecturae maximum inde robur additur, tum quod nulla altera, quam ſciamus, ab Antiquis uſquam memorata eſt eccleſia ad reponendos B. Bonifacii Cineres exaedificata, tum quod prope hoc Martyris Sepulchrum in colle Aventino, jam inde ab ineunte quinto ſaeculo, exſtructam legimus baſilicam S. Sabinae apud Auctorem libri Pontificalis, qui Anaſtaſio Bibliothecario tribuitur, ubi in vita Sixti Papae III. §. VIII. ſic habetur (18): *hujus temporibus fecit Petrus . . . . Illyrica de gente natus baſilicam Sanctae Sabi-*

(17) Severanus de Septem Urbis Eccleſiis pag. 368. Martinellus Roma Sacra pag. 10.
Pancirolius de Theſaur. Urbis abſcond. Reg. IX. Eccl. IX.
Creſcimbenus Hiſt. Baſil. S. Mariae in Coſmedin lib. VII. cap. 18. pag. 376.
(18) Anaſt. Bibliothec. cum notis Vignolii p. 146. editionis Rom. 1724.

Digitized by Google

*Sabinae in urbe Roma in monte Aventino juxta Monaſterium S. Bonifacii, in quo & S. Alexius jacet.* Ita etiam legitur in ejuſdem Anaſtaſii codice Regio, olim apud Mazarinum & Thuanum, ex quo Carolus Annibal Fabrottus variantes lectiones excerpſit (19). Apparet itaque Coenobium, ſeu mavis Eccleſiam S. Bonifacii, *in qua & S. Alexius jacet*, aedificatam jam pridem fuiſſe, quum ſub Sixto Papa III. quinimmo ſub ejus deceſſore Caeleſtino Papa (ut colligitur ex muſiva inſcriptione (20) adhuc exſtante) templum S. Sabinae conſtrueretur. Quare Vignolius in notis ad hunc locum ait: „ S. Bonifacius, qui ſub Diocletiano „ apud Tharſum Ciliciae paſſus, cujus Corpus, ut ex „ ejus Actis, Romam translatum, primo in via Lati„ na prope Urbem, deinde in Eccleſia ſui nominis in „ monte Aventino conditum fuit, ubi una cum Corpo„ re S. Alexii requieſcit, cujus etiam Eccleſia pro„ pterea nuncupatur.

Translationem hanc ad perfectam Eccleſiae pacem refert Baronius ad annum 305. §. 14. dicens: *Poſtea perfecta pace Eccleſiae, inſignis Memoria Bonifacii Martyris in Aventino erecta eſt, in quam e coemeterio Corpus ejus translatum fuit.* Sed Henſchenius & Papebrochius, jam inde ab obitu S. Bonifacii factam eſſe, arbitrantur in notis ad vitam S. Adalberti; ubi enim narratur, quod Sanctus hic Epiſcopus Pragenſis ad Sanctorum limina Bonifacii & Alexii, monſtrante populo, perductus eſt, inquiunt: *hic eſt S. Bonifacius Romanus, qui Martyr obiit*

(19) Tom. XX. Hiſt. Byzantinae pag. 142. editionis Venetae 1729.

(20) Exſtat etiamnum haec muſiva inſcriptio ſuper januam principem eccleſiae S. Sabinae; eamque refert Ciampinus Vet. Monum. par. prima pag. 190. atque etiam Vignolius in Sixto III. ubi ſupra.

*obiit Tharſi, & a morte ad hanc Eccleſiam* ( SS. Bonifacii & Alexii in Aventino ) *relatus colitur* 14. *Maji*:quorum quidem ſententia communi traditioni nobis magis conſona videtur.

Jam vero saeculo ſexto B. Bonifacii in Urbe quieſcentis monumentum habemus in indice Oleorum Sacrorum, quae Gregorius Magnus miſit ad Theodolindam Reginam; quique ex ipſo autographo ab Joanne Mabillonio deſcriptus legitur apud Ruinartum(21) hiſce verbis conceptus: *Notitia de Olea Sanctorum Martyrum, qui Romae in Corpore requieſcunt*; ibi namque, enumeratis Sacris Pignoribus S. Petri Apoſtoli, & S. Pauli Apoſtoli, S. Pancratii, & aliorum Sanctorum Romae quieſcentium ſubditur: *S. Bonifacii, Sancti Hermetis*; ac ſubinde Sancti alii recenſentur uſque ad ſexaginta quatuor, quorum indicem haec formula claudit: *Quas Olea Sancta temporibus Domini Gregorii Papae adduxit Joannes indignus & peccator Domnae Reginae Theodolindae de Roma*.

En igitur Reliquias S. Bonifacii Romae in Corpore quieſcentis aetate Gregorii Magni ad Theodolindam delatas. Porro nullibi, praeterquam in Eccleſia noſtra, in qua memorati etiam S. Hermetis Corpus, ut ſuo loco dicemus, adſervatur, Bonifacium Romae quieviſſe, jam ſuperius probavimus ex unanimi Scriptorum omnium conſenſu, quotquot de SS. Bonifacio & Alexio verba fecerunt, prae quibus hic allegare ſufficiat Surium (22), Baronium, Aringhium, & Severa-

(21) Theod. Ruinart. Acta prim. Martyr. pag. 547. editionis Veronae A. D. 1731.

(22) Surius tom. 3. die 5. Junii. Baronius ad ann. 305. §. 14. & in notis ad Martyrolog Rom. die 14. Maji, & die 6. Junii. Aringhius & Severanus, ut ſupra in notis (16) (17).

veranum, qui nullius alterius in Urbe templi exſtructi ad honorem Bonifacii noſtri meminerunt, ſed omnes ad unum, ejuſdem Corpus e via Latina ad Eccleſiam in Aventino colle ſub illius nomine aedificatam, maximo totius conventu & ſtudio Civitatis delatum fuiſſe, tradunt.

Hic autem nihil moror Hoſpiniani, Ottii, aliorumque hujus generis opinionem exiſtimantium, ante reſtitutam a Conſtantino Magno Eccleſiae pacem nullibi Fideles aedificia templorum habuiſſe. Neque arbitror quicquam momenti habere Pagii (23) animadverſionem ſuſpicantis errorem in numeros Actorum irrepſiſſe; quippe quarto Diocletiani Conſulatu in Chriſtianos ſaevitum eſſe aliunde non conſtat, quo fieret, ut Bonifacii Martyrium, atque adeo Templi noſtri fundatio in poſteriora tempora foret rejicienda.

Nam alterum ſi refellere velim, actum agere videar; quis enim aedes ſacras ab Apoſtolorum aevo ad uſque Imperium Conſtantini in Martyrum praeſertim memoriam exaedificatas ignorat? Argumentum hoc plene jam pridem exhauſit Clariſſimus Ciampinus (24) Veterum Monumentorum parte prima, ubi cap. 17. contra Acatholicos demonſtrat, tribus prioribus Eccleſiae ſaeculis, perſequutionum tempore, publica aedificia fuiſſe, ubi Chriſtifideles Sacras Synaxes peragebant; & cap. 18. eccleſiarum elenchum per univerſum orbem a Fidelibus exſtructarum ordine chronologico exhibens, ad amplius octoginta producit; nec ſilentio praeterit Eccleſiam noſtram; ex cujus aedificatione,

(23) Pagius in Critica Baronii ad an. 305.

(24) Ciampinus Vet. Monum. par. prima c. 17. & cap. 18.

Digitized by Google

tione, quae ab Aglae facta memoratur in Actis, aperte colligi arbitratur, temporibus Diocletiani morem conſtruendi eccleſias prope ſepulchra Martyrum viguiſſe, & longe ante Aglais aevum incepiſſe. Hunc magni nominis magnaeque eruditionis Scriptorem conſulat, ſiquis ſcrupulum ſibi hunc eximere peroptat, atque adeat etiam Doctiſsimi alterius Praeſulis Nicolai Antonelli (25) diſſertationem de Titulis, ubi multis oſtenditur, a Fidei naſcentis primordiis interdum jus fuiſſe Chriſtianis publicas aedes conſtruendi.

Sed de Pagii animadverſione ut loquar, equidem non inficior, primis Diocletiani temporibus Eccleſiam nullis edictis agitatam fuiſſe, nec tum Chriſtianos, iis praeſertim in locis quae ad praecipuam Diocletiani curam pertinebant, inquiſitos fuiſſe, ut conſtat ex Euſebio (26). At A.D. 290. Diocletianus in Cilicia non morabatur, ſed ex Syria jam migraverat Pannoniam verſus, ut ſubinde in Italiam proficiſceretur, quemadmodum obſervant Tillemontius (27) & Muratorius (28): quorum hic id infert ex ipſa ſententia Pagii arbitrantis, panegyrim Mamertini ſeu Eumenis, hoc ipſo anno 290. fuiſſe recitatam.

Quum ergo eo tempore Diocletianus nec Tharſi nec Ciliciae adeſſet, utique non Diocletiani, ſed Simplicii Ciliciae Praeſidis mandato, Bonifacium Martyrio coronatum aſſerimus, ut liquet ex iiſdem Actis: *Judex Simplicius . . . . . . . juſſit, ut gladio caput ejus abſcin-*

C

(25) Antonellus diſſert. de Titulis quos S. Evariſtus Romanis Presbyteris diſtribuit §. IX. X. XI. pag. 43.

(26) Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 1.

(27) Tillemon. Mem. Eccl. tom. 5. in Tabulis Chronolog. ad an. 290.

(28) Lud. Murat. Annali d' Italia an. 290.

Digitized by Google

*abſcinderetur . . . . & quum compleſſet orationem, percuſſus eſt ab ſpiculatore.*

Quamquam igitur Bonifacius ſub Diocletiano paſſus ſit, non iccirco ejus Martyrium ad A. D. 306. eſt referendum, ut minus recte concludit Tillemontius (29); quippe, obſervantibus etiam Ruinarto (30) & Mamachio (31), ſub initium Imperatoris Diocletiani, quotquot Martyres occubuerunt, aut veterum legum ratione aut ſcelere Praeſidum, non autem Imperatoris edictis occubuerunt.

Si itaque D. Bonifacius A.D. 290. Martyrii palmam obtinuit; ſi Sacrum ejus Corpus quingentorum ſolidorum pretio redemptum, e TharſoCiliciaeRomam translatum, via Latina ſepultum eſt; ſi denique Beata Aglaes ſub ejus nomine Templum in Aventino colle aedificavit, quo Sacrae hujus Martyris Exuviae etiamnum a Fidelibus maxima veneratione recoluntur, ut hactenus probavimus; nemo non videt, fundationis Eccleſiae noſtrae primordia ultra A. D. 305. produci neutiquam poſſe, ut antea innuebamus.

(29) Tillem. Mem. Eccl. t. 5. art. 67. pag. 173. & in notis n. 82.

(30) Ruinart. praef. general. in Acta SS. Martyr. §. 55.

(31) Mamachius tom. 2. origin. Chriſt. lib. 2. §. XI.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT III.

## *Quo primum tempore S. ALEXII nomen additum.*

PLerique Auctores, qui de Urbis templis conſcripſerunt, ut (1) Pancirolius, (2) Severanus, aliique (3) arbitrantur, Templo, de quo hic agimus, inditum fuiſſe nomen S. Alexii, non ob eam cauſſam ſolum, quod hujus Glorioſum Corpus ibidem ſolemni pompa repoſitum a Fidelibus colatur, verum etiam, quod inde proxime jam eſſent aedes Euphemiani Senatoris, qui fertur Alexii parens, cujuſque domus, deinceps in Coenobium commutata, hodie a noſtris incolatur. Sed alteram hanc opinionem, quae, quum non ſatis adhuc explorata ſit, recentioribus Criticis minime probatur, non adeo irridendam atque explodendam eſſe, ut forte quiſquam putat, ex antiquiſſimis & necdum editis monumentis infra evincemus. Interea, quoniam Cenſores quotquot hujus Sancti Confeſſoris Acta expenderunt, multa de Alexii nomine, patria, parentibus, aetate, ac obitu in controverſiam vocant, quae ſingula ab aliis (4) abunde diſcuſſa hic denuo repetere non vacat; nobis ſufficiat, a communi traditione reconditi in Eccleſia noſtra S. Alexii Corporis, S. Alexii nomine appellari conſueviſſe, ut notat Baronius (5) ad diem 14. Maji dicens:



(1) Octav. Pancirolius de Theſaur. Urbis abſcon. Reg. IX. Eccl. IX.

(2) Sever. de Septem Urbis Eccl. par. prima pag. 368. edit. Rom. 1630.

(3) Creſcimbeni Hiſt. Baſil. S. M. in Coſmedin lib. VIII. cap. XVIII. pag. 376.

(4) Apud Bolland. Acta SS. tom. 14. Julii die 17. Tillemont. tom. x. in S. Innocent. Pap. & in notis not. 8. Baillet vie des Saints.

(5) Baron. in notis ad Martyrolog. Roman. d. 14. Maji pag. 217. edit. Rom. 1586.

Digitized by Google

„ Eſt illuſtris ac vetus Memoria Romae ejuſdem Boni-
„ facii, quae, ob ſepultum in ea S. Alexium, ejus etiam
„ nomine nuncupatur.

Quo tempore autem contigerit celebris hujuſmodi Sancti repoſitio, quove ceperit a nomine S. Alexii Eccleſia noſtra nuncupari, paucis hic exponendum.

Martyrologium Romanum nuperrime etiam a Doctiſſimo Pontifice Benedicto XIV. caſtigatum, ab ipſis Innocentii Papae I. temporibus Beatum Alexium ad Templum S. Bonifacii ſummo honore delatum refert.
„ Die 27. Julii: Romae Sancti Alexii Confeſſoris,
„ filii Euphemiani Senatoris, qui poſt obitum, & vo-
„ ce per Urbis eccleſias audita & ſcripto ſuo, agni-
„ tus Innocentio Primo Pontifice Maximo, ad Eccle-
„ ſiam S. Bonifacii ſummo honore delatus eſt, ubi mul-
„ tis miraculis claruit.

Epocham hanc Innocentii Papae I. innixam eſſe liquet auctoritati veterum Actorum S. Alexii, quae paſſim obvia legere eſt apud Petrum de Natalibus, Mombritium, Vincentium Bellovacenſem, Lippomanum, Surium (6), alioſque: quinimmo apud Bollandianos continuatores, nedum Acta Latina, ſed Graeca & Syriaca, ideſt, ex antiquis mſſ. codicibus Graecis & Syriacis excerpta ac Latine translata praeſto ſunt. Ex Latinis haudquaquam ſilentio praeterire poſſumus codicem membraneum Hieronymi de Gaule olim Geldriae Cancellarii, tam probae notae tantaeque antiquitatis, ut Henſchenius a nongentis, aut ſaltem octingentis annis exaratum cenſuerit; in hoc in-

(6) Pet. de Natal. in Catal. lib. 6. Lippomanus tom. 7. Surius tom. 4. c. 107. Mombrit. tom. primo.

Digitized by Google

inquam vetuſtiſſimo codice legitur, quod „Honorius „Imperator una cum Pontifice Innocentio Alexii „Corpus poſuerunt in ornato feretro . . . . & ſic „cum magno labore ad Templum Sancti Bonifacii Mar- „tyris perduxerunt; & illic per ſeptem dies in Dei „laudibus perſiſtentes, operati ſunt monumentum de „auro & gemmis pretioſis, in quo Sacratiſſimum il- „lud Corpus cum magna veneratione collocaverunt.

His conſonant, quae habentur in homilia S. Adal- berti Pragenſis Epiſcopi, ſaeculo x. recitata in Eccle- ſia noſtra, ut ſuo loco dicetur, necnon quae in vita metri- ca S. Alexii ex vetuſtiſſimo anonymo codice undecimi ſaeculi deprompta exhibentur apud Bollandianos (7).

*Corpus in ornatum feretrum mox ergo locatur;*
*Quod ceu debebant, Praeſul Regeſque ferebant.*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*Praeſul & Auguſti feretro famulantur onuſti.*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*Templo vix tandem per turbam fertur eamdem,*
*Laudibus hic ternos explendo dieſque quaternos,*
*Dum ſtatuunt pulchrum pretioſa metalla ſepulchrum.*

Quibus ſequentia addere lubet decerpta ex lectionibus non ita pridem approbatis a fel. record. Clemente PP. XII. quum ad preces Romani Senatus Feſtum S. Ale- xii ritu ſolemniori celebrandum indulſit: „Alexius „Romanus, Euphemiani Senatoris filius . . . . Inno- „centio Primo Pontifice Maximo ad Eccleſiam S. Bo- „nifacii, quae etiam S. Alexii nomine appellatur, ſum- „mo

(7) Apud Bolland. Act. Sanctorum die 17. Jul. pag. 254.

Digitized by Google

„ mo honore delatus eſt, ubi ad hanc uſque diem pia
„ Fidelium veneratione colitur.

Hactenus enarrata ſi ab Auctoribus Synchronis aut ſaltem aetati B. Alexii proximioribus emanarunt, utique extra omnem dubitationem conſtituunt tempus hujuſcemodi Sancti translationis ad Eccleſiam noſtram; quippe, quum Innocentius Papa I. A. D. 402. ad Pontificatum electus, A. D. 417. obiiſſe tradatur, continuo fit, initio quinti ſaeculi Templum noſtrum S. Alexii nomine appellari cepiſſe.

Negant tamen recentiores Critici (8), & cur negent cauſſam eſſe ajunt, ſilentium Scriptorum omnium, qui ſub Innocentio Papa & Honorio Imperatore floruerunt, atque eorum etiam, qui per proxima inde ſequuta quinque ſaecula Hiſtoriam rerum nobis prodiderunt: qui enim, inquiunt, fieri poteſt, ut ſolemnis adeo translatio Sanctiſſimi Viri, qui, ut ex ejus Actis, tot tantaque mira fecit in media Urbe, in conſpectu totius Romani Populi, coram Pontifice & Imperatore, a Scriptore quoque ſilentio praetereatur, atque ita praetereatur, ut ne Alexii quidem nomen occurrat apud Auctores ſane multos ante nonum ſaeculum? Quid quod in antiquis Martyrologiis Adonis, Bedae, Uſuardi, quinimmo vel in antiquo Romano parvo, quod ſaeculo octavo conſcriptum cenſetur, quodque ceteroquin tot Sanctis exteris abundat, hujus Sancti Romani memoria prorſus reticetur, & ne in vetuſtis quidem Kalendariis Romanis a Joanne Frontone ac Edmundo Martene evulgatis habet locum?

Haec

(8) Tillemon. Mem. Eccl. t. x. in notis VIII. pag. 814. edit. Venet. S. Innocent. Pap. art. 13. atque in 1732.

Haec ego rationum momenta, quum tacitus animadverterem, ac ſerio perpenderem, fateor quidem, primum non mediocriter eſſe commotum; ſed quum rem diligentius inſpexiſſem, ſic ſtatui, non eſſe cur facti fides elevetur, quam tot Scriptorum, quacumque tandem aetate floruerint, auctoritas, quam multorum ſaeculorum vetuſtas comprobat, atque corroborat; nam iis qui negant, Scriptores opponimus, qui rem accurate affirmant, opponimus poſſeſſionem infiniti temporis, opponimus antiquiſſimam opinionis quaſi traditionem, quae niſi manifeſti erroris deprehendatur, vim habere ſuam debet. At enim ante IX. ſaeculum nemo unus Beati Alexii meminit. Primum peto, qui probet fuiſſe neminem? Nonne Scriptorum ſane multorum monumenta in tanta illa barbararum gentium eluvione periiſſe conſtat? Cur vel Hiſtoria B. Alexii intercidere non potuit? Deinde, undenam Scriptores IX. & X. ſaeculi Acta S. Alexii hauſiſſe potuerunt niſi ex antiquiori fonte? undenam Joſephus ſaeculo nono Canonem ſuum (9) acroſticis diſtinctum carminibus contexere, unde S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus ſaeculo x. homiliam (10) recitare, uterque in honorem S. Alexii?

His accedunt, quae ſuperiori capite narravimus de templo S. Sabinae condito *juxta Monaſterium S. Bonifacii*,

(9) Canon iſte Joſephi a Graeco verſus habetur in Actis Bollandianis tom. 4. Julii d. 17. qui ſaeculo nono conditus fuiſſe ibidem oſtenditur. Quiſvis fuerit illius Auctor, vel Joſephus Theſſalonicenſium Epiſcopus & frater germanus S. Theodori Studitae, qui claruit ſub initium ſaeculi noni, vel Joſephus cognomento Hymnographus, qui floruit ſub ejuſdem ſaeculi finem.

(10) Homilia Venerabilis Adalberti in die natali B. Alexii Confeſſoris legitur apud Bolland. ad diem 17. Julii.

Digitized by Google

*facii, in quo & Sanctus Alexius jacet*, quaeque ſi tempora Sixti Papae III. reſpiciant, evidens eſt, circa A. Domini 440. Divum Alexium notiſſimum fuiſſe; ſi vero ad aetatem Scriptoris referre lubeat; quum hunc (11) Catalogum ſuum ſcripſiſſe ſub Felice Papa IV. conveniat inter omnes (12); illico conſequens eſt, Beati Alexii cultum floruiſſe ſaeculo ſexto; quippe Felix Papa III. qui dictus eſt IV. obiit anno aerae vulgaris 530. vel id demum neceſſario fatendum erit, ante A. D. 858. quo Romanam Cathedram aſcendit Nicolaus Papa I. in cujus vita terminatur liber Pontificalis, ſeu Catalogus Romanorum Pontificum Anaſtaſio Bibliothecario adſcriptus, conſtantem Romae viguiſſe traditionem, quod in noſtra Eccleſia S. Alexius jaceret.

Neque majoris eſt roboris Alexii ſilentium in nonnullis antiquis Martyrologiis & Kalendariis Romanis; nam vetuſtioris notae codices additi ad Martyrologium Uſuardi, quorum antiquitas (13) ibidem demonſtratur, S. Alexium ultro commemorant. Codex Tornacenſis legit: *Sancti Alexii Confeſſoris*: Codex Aquicinctinus: *Tranſitus S. Alexii*: in Beda Plantiniano notatur: *Sancti Alexii Confeſſoris*. Conſonant Menaea Graeca bibliothecae Ambroſianae, Menaeum Chiffletii, Typicum S. Sabae in quo habetur: *Sancti*

*Patris*

(11) Hic Catalogus, qui ſecundus appellatur, exſtat in codice Vaticano 347. atque editus eſt ab Henſchenio in appar. Chronolog. a B. Petro incipit, & in Felice IV. deſinit.

(12) Ita ſentiunt Papebrochius & Henſchenius in apparatu Chronologico: ita Blanchinus in Prolegomenis ad Anaſtaſium Biblioth. to. 2. opuſc. 4. pag. 37. & Vignol. in lib. Pontif. ita etiam Pearſonius diſſert. 1. de Succeſſione primorum Romae Pontificum, atque DodWelus apud Blanchin. ibidem.

(13) Bolland. Act. SS. in praef. ad Martyrologium Uſuardi artic. 4. §. 3. & 4.

Digitized by Google

*Patris noſtri Alexii Hominis Dei*, & Menologium Slavo-Ruſſicum: *Beatiſſimi Alexii Divini Hominis Romani. Vixit anno CCCC. ſub Arcadio & Honorio*. Graecis tamen ſolemne eſt Feſtum S. Alexii die 17. Martii non Julii, forte, quod ille dies fuerit natalis, & dies XVII. Julii, qua recolitur a Latinis, dies ſit translationis aut alterius feſtivitatis, ut recte obſervant Bollandiani collectores in commentario praevio ad Acta Sancti Alexii.

Patet igitur, quam futilis quam infirma ſit opinio, quae contra Epocham translationis B. Alexii ad Eccleſiam noſtram, temporibus Honorii Imperatoris & Innocentii Papae, ſilentio antiquorum tota innixa eſt.

Ceterum, longe ante nonum ſaeculum Scriptores meminiſſe S. Alexii Confeſſoris, non modo probant quae ſuperius adduximus ex Anaſtaſio Bibliothecario, ſed Acta ipſa Syriaca vitae S. Alexii, ab Auctore Anonymo Eccleſiae Edeſſenae A. D. 584. exarata, quae adhuc aetate noſtra ſuppetunt; quaeque ſe legiſſe teſtatur Clariſſimus Praeſul Joſephus Simonius Aſſemanus, quum in Orientem profectus undique conquireret Syriacae, Arabicae, Graecae, & Hebraicae linguae codices: quos plurimae eruditionis theſauros in Urbem inde advectos, & in bibliothecam Vaticanam illatos, recenſuit, digeſſit, ac edidit in celeberrimo opere, quod inſcripſit: *Bibliotheca Orientalis*: cujus tomo primo in notis (14) ad Chronicon Edeſſenum, ubi mentio fit de Rabula (15) magno Edeſſeno Epiſcopo, qui adverſus Neſtorium Orthodoxam Fidem pro-

D pugna-

(14) Biblioth. Orient. to. 1. p. 401.

(15) Rabulas Edeſſenum Epiſcopatum accepit A. D. 412. ex Chronolog. Edeſſ.

pugnavit haec habentur : „ Sub *Rabula* claruit S. Alexius Romanus , quem Syri *Mar Riſcia* & *Gabra D-Hallaba* , hoc eſt , S. Principem Virumque Dei „ appellant , ut in titulo vitae ejuſdem notatum legi „ in vetuſtiſſimo codice Scetenſis Syrorum monaſterii ſcripto a Thoma Diacono Edeſſeno in monaſterio „ Gubae Barajae die XXIX. Julii anno Graecorum „ DCCCXCV. Chriſti DLXXXIV. quem nullo pretio extrahere licuit. Auctor illius vitae Anonymus, „ Eccleſiae Edeſſenae Aedituus dicitur tam in laudato „ codice, quam in Arabico Vaticano 55. ubi & alia „ ejuſdem S. Alexii vita ex Latinis exemplaribus deſcripta legitur , in qua Sanctus Vir non Edeſſae , ut „ perperam in priori vita Arabica e Syriaco converſa, „ ſed Romae, ut revera accidit, ad caelum migraſſe narratur: ita Aſſemanus loco laudato .

Antiquiſſimum autem & Syris ſolemnem fuiſſe cultum S. Alexii ſub nomine (16) Riſciae, teſtantur eorum vetuſtiſſima Kalendaria ſub die III. Novembris, teſtatur Kalendarium Syriacum Romae excuſum , ubi Feſtum S. Alexii ſic enunciatur : *Domini Riſciae , filii Euphemiani* ; teſtatur demum non modo Syrorum , ſed & Armenorum perpetua , & uſque ad haec tempora continuata opinio: de qua Petrus Benedetti ipſe Maronita in litteris datis ad ſocios Bollandi continuatores, Andream Scandar narrantem inducit „ ſe annis proxime elapſis, quum Edeſſae moraretur , obſervaſſe ab Armenis Dominis Eccleſiae , in cu-

„ jus

(16) Vide Catalogum bibliothecae Mediceae Laurentianae & Palatinae a Stephano Evodio Aſſemano Apameae Archiepiſcopo concinnatum atque editum Florentiae 1742. ubi fol. 163. cod. CXIII. vita S. Riſciae, hoc eſt, S. Alexii , memoratur , ſed multis fabulis referta.

Digitized by Google

„ jus porticu S. Alexius vixit, cameram quamdam, in „ ejuſdem eccleſiae veſtibulo ſitam, quotidie poſt ve- „ ſperas incenſo thure honorari, ob memoriam S. Ale- „ xii, quem ibidem verſatum fuiſſe, & orare ſolitum „ affirmabant.

Non diſſimulaverim tamen, in Syriaco codice Alexium Edeſſae vita functum tradi, ac ibidem in coemeterio pauperum ſepultum: quod evertere potius quam confirmare videtur Epocham translationis ejuſdem ad Templum noſtrum ſub Innocentio Papa.

Verum Anecdoton iſtud de obitu Alexii in urbe Edeſſae, ex falſo praeconcepta Edeſſenorum opinione ſequiori aevo Actis ipſis aſſutum crediderim; eam fere obcauſam, quod Syriaci textus interpres Arabicus, vel quiſquis ille fuerit male feriatus homo in codice Vaticano 55. ut figmentum hujuſmodi aliquomodo conciliaret, & ad fidem reliquorum omnium Latinorum & Graecorum codicum exigeret, commentus eſt, Alexium Edeſſae quidem obiiſſe, ſed mox redivivum & Romam reducem, altera hic morte perfunctum fuiſſe: quam ſane metamorphoſin inter aniles fabulas rejiciendam eſſe nemo non videt. Ex quibus tamen hominis deliramentis nihil detrahi poteſt auctoritati & antiquitati primigenii Syriaci codicis, quem tanti fecit Doctiſſimus Aſſemanus.

Nec minus a vero aberrat, quod quidam ſuſpicati ſunt, Alexium Novae Romae, ideſt, Byzantii, Graecis parentibus ortum, ibidem quoque ſanctiſſimae vitae curſum confeciſſe: cujus erroris notatur Bollandus a Tillemontio (17), & Papebrochius ab accuſatore ſuo

 inſi-

(17) Tillemont.Mem.Eccl.to.x. in notis not.VIII. ſur S.Innocent. p.834.

inſimulatus eſt. Sed hic in reſponſione (18) illa ſua quamlibet ſuſpicionem adverſus ſe conceptam abunde diluit, aſſerens, ſe in Ephemeridibus Graeco-Moſcis nihil praepropere judicaſſe, nihilque ſe opinatum fuiſſe, nec quidquam opinari contra Romanorum traditionem, quam poſtea ex ipſomet Graeco Canone Joſephi ſuperius laudato, qui dubitandi anſam praebuerat, abunde comprobavit; quamque etiam Bollandiani continuatores ita copioſe demonſtrant, ut ſupervacaneum prorſus arbitremur in his diutius immorari.

Plus negotii afferre videretur eorum opinio, qui ſibi perſuaſerant, Sacrum Corpus B. Alexii in Vaticano templo S. Petri Apoſtoli fuiſſe tumulatum: quod quidem veterum etiam Scriptorum auctoritati innititur, & praeſertim Synaxario Baſiliano, quod juſſu Baſilii Imperatoris Porphyrogeniti ſaeculo X. collectum, Graece ſcriptum exſtat ad calcem tomi primi Act. SS. menſis Martii, ubi ad diem 17. Martii ſub finem haec leguntur: Καὶ οὕτως ἐτάφη τὸ ἅγιον αὐτοῦ λείψανον, ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου. ideſt, *atque ita ſepultum eſt Sanctum ejus Corpus in templo Sancti Apoſtoli Petri*. Sed haec ad ſummum de ſolemnibus obſequiis in eccleſia S. Petri Alexio forte perſolutis ſeptiduo, antequam ejus Glorioſum Corpus ad Templum Sancti Bonifacii tranſportaretur, intelligenda ſunt, ut innuit (19) Pancirolius, utque nos ipſi exponemus capite XII. quum de inventione Corporum S. Bonifacii Mar-

(18) Papebroch. par. prima. reſponſ. ad exhibit. error. Antuerpiae 1696. pag. 263. & ſeqq.

(19) Octav. Panciroл. de Theſauris Urbis abſcond. Reg. IX. Eccl. IX.

Martyris & S. Alexii Confeſſoris facta ſub Honorio Papa III. incidet ſermo.

Demum contemnenda (20) quorumdam opinio, vel error potius, qui fabulantur, Divum Alexium unum & eumdem omnino eſſe ac S. Joannem Calibytam, qui recolitur die XV. Januarii; quique Joannis nomen aſſumpſiſſe potuit, quando ſe a parentibus abſcondebat; cujuſque proinde eadem ferme narratur hiſtoria. Sed tantum abeſt, ut pleraeque utriuſque Sancti res geſtae ſibi cohaereant, & fere eaedem ſint, ut potius videantur toto caelo diverſae, quemadmodum pluribus momentis jam ſatis ſuperque oſtenderunt (21) Solerius, Cuperus, aliique: quos adeat oportet, ſi quis ejuſdem erroris rationem aliquam habere velit, quum nos quidem nullam habendam eſſe arbitremur.

Jam vero ut, unde digreſſi ſumus, eo tandem revertamur, ſatis exploratum arbitror quod ſuperius innuebamus, S. Alexium ſub Innocentio Primo Pontifice Maximo & Honorio Imperatore ad Templum S. Bonifacii ſummo honore fuiſſe delatum; quumque, obſervante Tillemontio, Honorius Imperator poſt A. D. 408. Romam regreſſus non ſit niſi A. D. 417. quo Innocentius Papa ſupremum diem obiit; conſequens eſt, ultra A. D. 408. translationem S. Alexii haud eſſe protrahendam, ideoque ab hoc circiter anno Templum noſtrum communi nomine SS. Bonifacii & Alexii appellari cepiſſe, & ſubſequutis inde temporibus ſemper nuncupatum fuiſſe.

CA-

(20) Baillet vie des Saints. Tillemont. Mem. Eccl. tom. x. in notis not. VIII.

(21) Vide Acta SS. die 17. Julii apud Bolland.

Digitized by Google

# CAPUT IV.

*Coenobii initia, & Euphemiani Senatoris Donatio.*

SI quae a nobis remotiſſima ſunt, ubi monumenta deſint, conjecturis, ut primo diximus, aſſequi debemus; jam a ſaeculo quinto in aedibus Euphemiani prope domum Sanctae Marcellae Romanae, quae a Divo Patre Hieronymo inſtituta, prima omnium in Urbe monaſticam vitam amplexata eſt, Coenobium Sanctorum Bonifacii & Alexii primo conditum fuiſſe, haud aegre conjicerem. Marcellae ſiquidem domum in colle Aventino fuiſſe, teſtis eſt D. Hieronymus in Ep. 48. editionis Maurinae alias 154. in qua Deſiderio rationem afferens, quamobrem opera ſua non tranſmittat, inquit: *Opuſculorum meorum, quia plurima evolaverunt de nidulo ſuo .... nihil miſi, ne eadem forſitan mitterem, quae habebas .... quod ſi exemplaria libuerit mutuare, vel a Sancta Marcella quae manet in Aventino, vel a Lot temporis noſtri Dominione, viro ſapientiſſimo, accipere poteris*. Habitabat igitur in Aventino Marcella, unde facilis & pronus pateret aditus ad *Divi Pauli baſilicam*. Nam, capta a Gothis Urbe, Marcellae quoque domum barbari hoſtes invaſerunt, illamque cum Principia Virgine ejuſdem filia ad *Beati Pauli baſilicam* abſtraxerunt, ut narrat idem Hieronymus in Ep. 96. alias 16. ad Principiam Virginem, Urbis excidium ſic deſcribens:

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
*Explicet, aut poſſet lacrymis aequare dolorem?*

*Urbs*

*Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;*
*Plurima perque vias ſparguntur inertia paſſim*
*Corpora, perque domos; & plurima mortis imago.*

*Quum interim, ut in tanta confuſione rerum, Marcellae quoque domum cruentus victor ingreditur . . . . . intrepido vultu excepiſſe dicitur introgreſſos; quumque poſceretur aurum, & defoſſas opes vili excuſaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariae paupertatis. Caeſam fuſtibus flagelliſque ajunt non ſenſiſſe tormenta: ſed hoc lacrymis, hoc pedibus eorum proſtratam egiſſe, ne te a ſuo conſortio ſepararent, ne ſuſtineret adoleſcentia, quod ſenilis aetas timere non poterat. Chriſtus dura corda mollivit, & inter cruentos gladios invenit locum pietas; quumque & illam & te ad* BEATI APOSTOLI PAULI BASILICAM *barbari deduxiſſent, ut vel ſalutem vobis oſtenderent vel ſepulchrum; in tantam laetitiam dicitur erupiſſe, ut gratias ageret Deo, quod te integram ſibi reſervaſſet, quod pauperem illam non feciſſet captivitas, ſed inveniſſet &c.*

Longiuſculum hocce teſtimonium totum recitare lubuit, ne tam eleganti Urbis excidii deſcriptione lectorem fraudarem. Sed ut ad ſcopum redeam, hinc liquet, Marcellam & Principiam Virginem ejuſdem filiam a barbaris ad *Beati Apoſtoli Pauli baſilicam* abductas eſſe: quod ſane argumento eſt, ex aedibus Marcellae ad hanc baſilicam, pronam facilemque viam patuiſſe.

At via vetus Conſularis, per quam olim Romani ex Aventino gradiebantur ad portam Hoſtienſem, & inde ad baſilicam S. Pauli, ſub Coenobio noſtro partim ſepulta jacet, ut ipſe ego teſtis eſſe poſſum, qui

anno

Digitized by Google

anno proxime praeterito, quum novi aedificii fundamenta jacerentur, non ſine magna animi voluptate eamdem vidi, immanibus adhuc ſtratam ſilicibus, ſub ea ſoli planitie, quae nunc eſt, ad octo palmos profundam, ab Auſtro ad Boream porrectam, & inter utrumque Templum S. Alexii & S. Sabinae, ideſt, ante hujus portam principem, quae reſpicit Occaſum, progredientem a latere Boreali, ab altero autem verſus Auſtrum vergentem, & ſub ipſa via ſepultam, quae nunc per montis declivitatem ducit ad portam S. Pauli nuncupatam.

Si Marcellae igitur domus fuit in Aventino, prope viam, qua pronus eſſet deſcenſus ad baſilicam S. Pauli; jam facile quiſque conjiciet, Marcellae domum proximam fuiſſe Coenobio noſtro, quod deinceps ibidem viae illi ſuperſtructum eſt.

Nunc vero, in aedibus Euphemiani Coenobium iſtud jam a ſaeculo quinto conditum, probat vetuſtiſſimum exemplum Donationis ejuſdem, quod hactenus ineditum, mox exhibebimus. In hoc itaque monumento coram Silveſtro Papa II. publica auctoritate recognito legitur, Euphemianum Eccleſiae S. Bonifacii Martyris obtuliſſe, ac dono dediſſe geminum palatium, quod ſui juris erat in ſummitate collis Aventini: „ Ego Euphemianus pro amore Omnipotentis Dei & dilectiſſimi filii noſtri Alexii . . . . dono tibi, Beate Bonifaci Martyr Chriſti . . . . palatium meum aeſtivale, „ quod eſt prope horrea publica in extrema parte montis Aventini juxta veſtram Eccleſiam, & palatium „ meum hyemale in eodem monte Aventino ante veſtram Eccleſiam &c. „ Niſi ergo fidem omnem huic

Dona-

Donationi abrogare velimus, facile quiſque conjicere poteſt, palatium iſtud in ſpeciem quamdam coenobii jam tum commutatum fuiſſe, quod Sacerdotes incolerent, quorum cura erat, in Templo S. Bonifacii Martyris Divinis vacare. Sed quoniam haec omnia ab ejuſmodi oblationis veritate pendent, en antiquiſſimum ejuſdem Donationis Euphemiani monumentum, quod mihi Archivi noſtri vetuſtiora ſcripta evolventi incidit in manus, dignum ſane, qualecunque tandem eſt, quod e tenebris in lucem publicam eruatur.

*In Nomine Domini Dei Salvatoris Jeſu Chriſti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini noſtri Silveſtri Summi Pontificis, & Univerſalis Secundi PP. in Sacratiſſima . . . . . . . . . Petri Apoſtoli tertio, Indictione XV. menſe Martio die octava. Nulla rerum a fideli niſi ſola Omnipotentis Dei veritas obv. . . . . . . . quem juſtis dinoſcitur Conſtat hec brevis memoratoria facta futuris temporibus . . . . . . . andas, hujus rei veritas, & ea, que a diſcretis & probis viris ſanctis eccleſiis conceſſa, dimiſſa ſunt, oblivioni tradantur. Ideoque ego Bene . . . . . Scriniarius Sancte Romane Eccleſie rogatu Domini Johannis Abbatis venerabilis Monaſterii Sanctorum Bonifacii Martyris Chriſti & Alexii Confeſſoris, quod ponitur in Abentinum loco, qui dicitur Balcerna, coram preſentiam Domini noſtri Silveſtri Pontificis, & totius Romane Curie, & Johannes Gloſa urbis me Prefectus, qui vocatur de Benedicta dices, hac nobiliores homines nos Judex Maximinus Eminentiſſimus Conſulus, Stephanus ejuſdemque filio, & alio Stephano, qui vocatur de Inſ. . . . . Creſentius ſu...aniculo, Leo Calbo, Creſentius*

E *fide-*

*fidelis ejuſdem Prefecto, Johanni de Dona, Benedictus de Beneſact. , Dominico Priore, Creſentius de Polla, C..ſpo de Formello, Petrus de Ceſari, Farulſo filio Ricardo, Ildibrando, Leo Sacellarius, ceteriſque aliis. Qualiter prephatus Dominus Johannes Abbas detulit thomum carticinium jam fere conſumptum Silveſtri, Prefecti, Judices, & omnibus iſtis viris de Donatione, quam Euſumianus quondam urbis Rom. .... Prefectus, & venerabilis Sancti Chriſti Confeſſoris Alexii genitor, in predicta Eccleſia Sancti Bonifatii obtulit, ſicut inferius denotabitur, ut, quod ex eo poſſumus, ne pe.......... pereat, ad poſterorum memoriam reducere curavi: cujus materia talis eſt:*

Ego Euſumianus pro amore Omnipotentis Dei & dilectiſſimi filii noſtri Alexii ro or dono bi, eate nifacii yr Chriſti , tuiſque vitoribus dem .... entium , & uſ turum, ideſt, palatium eum ſtivale eſt orrea pu ca in extrema parte predicti montis ntini juxta veſtram Eccleſiam, & palatium eum jemale eodem montem ventinum ante veſtram Eccleſiam cum lonis nabus enſ. ſive redditus .... a nes ab uno atere viam publicam, que venit porta Hoſtienſe, & exinde ſque in ſeptem viis, & exinde ſupra circum aximo, ſque nſulam Grecorum , inde per Mamoratam, & uſque in predictam porta Oſtienſe; necnon no bi cluſuram am cum arboribus & ortuis, poſitam portam dictam manu dextera latere ros urbis Rome o fluvius, a tertio atere rivus deſcendit per dimidium porticum ad fluvium, a IIII. atere viam per orti-

Digitized by Google

orticum redeunte pſa porta no bis totam meam hereditatem , quam beo extra eandem o.tam , & que vocatur Caſtan ola ſive Gorgoni , a via ſtienſi , & uſque in am Appiam ; & dono obis fundum Ciminuli oſitum ppie porta , ap mo rivus de Pilliotti , ſecundo uſ ati tertio rivus de Bivario , & tam hereditatem habeo in Centum . . . . . . . . . . tam hereditatem . . . am de Centumcellis extra portam Lateranenſem,& aliam hereditatem am poſitam in Squizanellum,ubi modo hedificare cepi . Iter no vobis civitatem , que vocatur Fun s , & civitatem , que vocatur Terracina , atque civitatem , que vocatur Peneſtrina , atque Caſtell. . . . . . . Nave , & civitatem Hoſtienſem .

*Hec & alia quamplura,quam minime legere non potuimus, eidem Eccleſie pro amore dilectiſſimi filii ſui Sancti Chriſti Confeſſoris Alexii,ubi ejus SacratiſſimumCorpus requieſcere. . . . Et quia predictum thomum jam ceperat ad poſteros decurrere, ſumma cum diligentia decerptis coram preſentiam predicti Domini Silveſtri PP. & hunc Prefectum,atque Judices , & omnibus iſtis viris , ut melius potui , aſcriptioni recomendavi , ne lapſu tem. . . . . . . pereat .*

*Ego Benedictus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie , ſicut inveni in thomo carticineo jam ſere conſumptum , ſcriptum a quondam Johanne Scriniario Sancte Romane Eccleſie , ſic in hanc cartam exemplavi .*

*Ego Villelmus Medicus , Dei gratia Sacri Romani Imperii Scriniarius , ſicut inveni in publico inſtrumento , per manus cujuſdam Benedicti S. Romane Eccleſie Scriniarii confecto, nichil addens vel minuens , ita fideliter in hanc cartam exemplavi , & ſcripſi .*

# CAPUT V.

## *Euphemiani Donationis Examen.*

SI quis ex me quaerat de antiquiſſimi hujuſce monumenti veritate quid ſentiam, is primum ſibi perſuaſum habeat, me non ita quidem animo eſſe comparatum, ut propter communem quamdam, Graeci quam vocant φιλαύτιαν, quicquid ad rem noſtram pertinere videatur, id ſtatim amplecti, ac temere defendere velim. Etſi enim quae hujus loci, quaeque Religioſae Familiae, cui nomen dedi, vel honorem vel commodum augent, pergrata mihi ſint; tamen quaque re cariorem veritatem praeferendam arbitror: deinde, ſi rem ipſam nulla praejudicata opinione perpendere velit, neque ex eorum numero ſit, qui tum demum ſcire aliquid ſibi videntur, quum antiquitatis auctoritatem omnem convellant, ſic mecum exiſtimabit, permulta eſſe, quae in utramque partem ita diſputari poſſunt, ut ejuſdem monumenti veritas neque certo affirmari, neque omnino repudiari poſſit. Ac mihi quidem monumentum illud ſemel atque iterum legenti, ac diligentiſſime perpendenti, duo occurrunt, & Donationis recognitio ſeu confirmatio, & Euphemiani ipſa Donatio; de prima quidem haud ambigendum puto.

Etenim quis non videt ſcribendi rationem temporibus illis maxime convenire? Exſtat placitum Romae habitum ſub eodem Silveſtro Papa II. coram Ottone III. Imperatore, quo Hugoni Abbati Farfenſi cella Minionis adjudicatur; quodque Doctiſſimus Mabillonius

Digitized by Google

lonius ex Farfenſi Chartario eduxit,&Clariſſimus Muratorius refert Rer. Ital. t.2. part. 2. ſic incipiens : *In Nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini noſtri Silveſtri Summi Pontificis, & Univerſalis Secundi Papae, in Sacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli primo .... Indictione XIII. menſe Decembris die ſecunda.* Haec formula, ſi cum noſtra conferatur, eadem omnino eſſe apparebit.

Quid quod conſonat annus, conſonat Indictio? Nam, quemadmodum hic annus primus Pontificatus Silveſtri Papae II. congruit cum Indictione XIII. ſic ibi annus tertius ejuſdem Pontificatus reſpondet Indictioni XV. qui ad A. Domini 1002. referendus videtur.

Conſonat vocabulum *MEMORATORIA*, quod utrobique reperitur, nempe in placito Farfenſi: *unde pro futura memoria ..... hanc brevem MEMORATORIAM praedictus Dominus ..... mihi ſcribere praecepit*; in noſtro autem: *conſtat haec brevis MEMORATORIA facta futuris temporibus*. Nec quidquam officit vox Graeca *Balcerna*; ſatis enim notum eſt in Hiſtoria medii aevi, ex Graecorum conſuetudine Graecanicas dictiones paſſim uſurpatas fuiſſe, potiſſimum ſaeculo decimo & undecimo. *Balcerna* autem ſeu *Blancherna* dictus eſſe videtur hic locus in Aventino ad ſimilitudinem loci in urbe Conſtantinopoli, quem *Blachernas* etiam ante inſtauratum a Conſtantino Magno Byzantium appellabant; unde *palatium Blachernarum, aedes Blachernianа Deiparae*, de quibus crebra mentio occurrit apud Scriptores Byzantinos, & fuſe agitur in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 2. & 4.

Con-

Digitized by Google

Conſonat Praefectus Urbis utrobique appellatus nomine Joannis; nam in Farfenſi hae ſunt ſubſcriptiones: *Otto Romanorum Imperator, Leo Sanctae Ravennatis Eccleſiae Arch. Arnolfus ...... Gaudentius ..... Johannes Praefectus*, qui Urbis Praefecturam geſſerat etiam praecedenti anno, ut colligitur ex ejuſdem ſubſcriptione ad *Judicatum*, in cauſa Hugonis Abbatis Farfenſis Romae habitum coram Gregorio Papa V. & Ottone III. Imper. A.Domini 998. quod ſuperius laudati Mabillonius & Muratorius (1) pariter evulgarunt, ubi ſubſcriptus legitur *Johannes Praefectus, Comes Palatii, atque Dativus Judex*. Hic idem itaque Joannes Praefecturam gerebat A. Domini 1002. ideſt, anno tertio Pontificatus Silveſtri Papae II. ideoque in exemplari noſtro legitur *Johannes Gloſa urbis Romae Praefectus, qui vocatur de Benedicta*, forte filius Comitis Benedicti, cui Joannes Papa an. 986. uxorem dederat Theodorandam filiam Creſcentii a Caballo Marmoreo, ut habetur in opuſculo inſcripto: *Relatio de diminutione recentiori Monaſterii Farfenſis* apud Muratorium (2), ubi haec narrantur: *Johannes igitur Papa, qui appellatus eſt Major, ingreſſus Papaticum, ſatis exaltavit nepotem ſuum nomine Benedictum; deditque ei Theodorandam uxorem, ſatis nobilem filiam Creſcentii, qui vocabatur a Caballo Marmoreo ... Praedicti autem Comitis Benedicti fuerunt filii Johannes & Creſcentius*. Si itaque hic Joannes, filius Comitis Benedicti, ipſe eſt qui Urbis Praefecturam gerebat, quum noſtrae Donationis autographum coram Silveſtro Pontifice

(1) Lud. Murat. in notis ad Chron. Farfen. Rer. Ital. to.2. p.2. pag.508.

(2) Ludov. Murator. ibidem pag. 550.

tifice publice recognoſceretur, jam apparet, cur ibidem appelletur, *Joannes Gloſa urbis Romae Praefectus, qui vocatur de Benedicta*: atque hinc ſuppleri poterit ſeries Praefectorum Urbis apud Contelorium (3), qui lacunam reliquit ab A. Domini 965. uſque ad A. Domini 1003.

Nec ſilentio praetereunda videtur filia hujus Joannis Urbis Praefecti, quae ad ſalutem à Sancto Adalberto Pragenſi mire revocata eſt, quum ille monaſticam vitam ageret in Coenobio noſtro SS. Bonifacii & Alexii, ut habetur in Actis ejuſdem Sancti Adalberti a monacho coaevo conſcriptis, atque ex codice mſ. Pragenſi editis ab Henſchenio & Papebrochio ad diem 23. Aprilis, quorum cap. 3. n. 17. de S. Adalberto legitur: *qualiter cujuſdam JOHANNIS filiam, qui nunc PRAEFECTUS URBIS eſſe dignoſcitur, atrociſſimus febrium dolor vexare cepit: quam quum homo Dei* (Adalbertus) *ſacratiſſima ſua manu tangeret, omnis languor corporis ejus imperio abſceſſit.*

Conſonant quoque munera & vocabula *Ducis* & *Conſulis Eminentiſſimi*, iis temporibus uſurpata frequentius; ſicut enim in apographo noſtro legitur interfuiſſe *Maximinus Eminentiſſimus Conſulus*, ita in ſupramemorato opuſculo Abbatis Hugonis occurrunt A. Domini 859. ſub Nicolao Papa I. *Leo Eminentiſſimus Conſul & Dux, & Anaſtaſia nobilis femina, uxor ejus*, A. Domini 911. ſub Anaſtaſio Papa III. *Johannes Eminentiſſimus Conſul & Dux*, A. Domini 943. ſub Martino Papa II. *intra domum Eminentiſſimi Viri, & Glorioſi Ducis Benedicti*. A. Domini 978. ſub Benedicto Papa

pa

(3) Felix Contelorius de Praefecto Urbis edit. Rom. 1631. cap. ult. pag. 76.

Digitized by Google

pa VII. *Petrus Eminentiſſimus Conſul & Dux*, aliaque his ſimillima paſſim obvia apud Hiſtoricos medii aevi, quae hic repetere ſupervacaneum eſt. Satis ſuperque enim notum arbitror, Romanos ea tempeſtate conſueviſſe, quotannis ex nobilium coetu binos Conſules creare, qui ad vetuſti Conſulatus exemplar ſummae rerum praeeſſent, quique cum Urbis Praefecto, Populo jus dicerent: ex Plebe vero Decuriones, qui in conſiliis & deliberationibus, Senatus vices gererent, ut prae aliis legere eſt apud Flavium Blondum Hiſtoriarum lib. 2. decade 2. Poſtmodum vero Decurionum loco reſtituti ſunt Tribuni Plebis, qui cum Urbis Praefecto & Conſulibus medio aevo Urbem rexiſſe feruntur apud Sigonium (4).

Judices vero publicis actis intererant una cum nobilioribus hominibus, cujuſmodi in noſtra charta Donationis memorantur *Stephanus ejuſdemque filius, & alter Stephanus, qui vocatur de Inſula*, forte, quod moraretur in Inſula Tyberis, vel ubi tunc vocabatur Inſula Graecorum: *Creſcentius ſub Janiculo*, ſcilicet, cujus aedes erant ſub colle Janiculo, hoc fortaſſe nomine appellatus, ut ab alio Creſcentio diſtingueretur, quem ſupra vidimus nuncupatum a *Caballo Marmoreo*, quemque memoratum legimus in Actis Concilii Romani habiti A. D. 963. quum inique depoſitus eſt Joannes Papa XII. eidemque ſuffectus Pſeudo-Pontifex Leo VIII. Plures namque & celeberrimas tum exſtitiſſe Creſcentiorum familias, is tantum ignorat, qui Hiſtoriam medii aevi plane ignorat.

Conſonant officia Scriniarii, Sacellarii &c. aliaque his

(4) Carolus Sigonius ad Annum Domini 928.

his ſimilia; quippe Judicatum, de quo ſupra loquuti ſumus, ſub Gregorio Papa V. An. Domini 998. ſic abſolvitur: *propter hoc ſupradicti Judices tradiderunt mihi Benedicto Scriniario S. R. E. .... Ropertus S. R. E. OBLATIONARIUS interſui ..... Leo Domini gratia ARCARIUS S. Ap. Sedis &c.* Benedictus autem S.R.E. Scriniarius deinceps etiam Anno Domini 1015. chartam refutationis quarumdam terrarum monaſterii Farfenſis coram Benedicto Papa VIII. ſcripſiſſe legitur in Chronico laudato: *Ego Benedictus Scriniarius S. R. E. qui ſupra, Scriptor hujus chartae factae complevi, & abſolvi.*

Denique conſonant ipſa ferme nomina teſtium, qui interfuerant, ut *Leo Calbo*, legendus forte, *Leo Arcarius*, qui ſupra: *Criſpus de Formello*, ſic forſan vocatus, quod propriam domum haberet in vico Formello; memorat enim Chronicon Farfenſe eccleſiam Urbis appellatam Sanctae Mariae in Formello: *Johannes de Dona* ſeu de Donadeo; ſiquidem Comitis Donadei meminerunt excerpta Archivi Sublacenſis a Muratorio (5) evulgata, in quibus ad An. Domini 1036. ſub Benedicto Papa IX. refertur *Dominus Donadeus nobilis filius, viro Domino Johanni inclyto Comes, ſeu Johannes filius de ſupraſcripto Johanne*. Hujus Donadei uxor fuiſſe videtur Comitiſſa Domna Aemilia, quae dehinc partem ſuam caſtri Sancti Angeli Humberto Abbati Sublacenſi obtuliſſe, ac dono dediſſe ibidem traditur An. Domini 1054. ſub Leone Papa IX. *Domna Imilia nobiliſſima Comitiſſa, olim conjux Domni Donadei, habitatrix Paleſtrinae, donat monaſterio Sublacenſi, & Hum-*



(5) Lud. Murator. antiq. medii aevi to. 5. diſſert. 68. pag. 769.

Digitized by Google

*berto Abbati ſuam portionem de caſtello, quod vocatur Sancto Angelo, An. IV. Leonis Papae IX. die prima Decembris, Indictione VII.*

At enim non conſonat perſona *Scriniarii S. R. E.* qui utramque chartam, Farfenſem ſcilicet & noſtram, ſub eodem Pontifice Silveſtro Papa II. rogatus ſcripſit, & ſubſcripſit; in noſtra ſiquidem legitur: *Ego Benedictus Scriniarius S. R. E. ſicut inveni in tomo carticineo jam fere conſumpto &c. ſic in hanc chartam exemplavi*; in Farfenſi vero habetur: *Ego Petrus Scriniarius S. R. E. qui & ſcriptor hujus chartulae ſubſcriptiones ſupraſcriptas complevi & abſolvi*: quaſi vero non ea quoque aetate S. R. E. Scriniarii ſeu Tabelliones fuerint ſane multi. Scriniarii certe munere fungebatur Benedictus noſter An. Domini 998. ſub Gregorio V. Silveſtri II. Papae deceſſore: fungebatur itidem An. Domini 1015. ſub Benedicto Papa VIII. ejuſdem Silveſtri ſucceſſore, ut paullo ſuperius oſtendimus. Quidni ergo idem munus non exercuerit ſub eodem Silveſtro Papa II. tametſi placito Farfenſi non Benedictus noſter, ſed alter Petrus S.R.E. Scriniarius ſubſcripſerit?

Haec ea ſunt, quae me in eam opinionem adducunt, ut commentariolum illud antiquiſſimum, quo Donatio Euphemiani cognoſcitur atque comprobatur, verum ac germanum eſſe putem. Quid vero Donatio ipſa? Fateor equidem (quid enim diſſimulem?), eſſe permulta, quae me ſummopere conturbant, atque ab illius veritate vindicanda deterrent: quae quidem omnia quum in oculos cujuſque incidant, qui non ſit in hujuſmodi rerum cognitione plane hoſpes & peregrinus, malo ſilentio praeterire, quam invito animo

defen-

defendere. Duo tamen afferam, quae forte quempiam de ejuſdem Donationis veritate haud ita peſſime exiſtimare faciant. Primum quidem illud eſt, tot tantaque praedia Monaſterium noſtrum poſſediſſe ex illis ipſis, quae in Euphemiani Donatione memorantur (quemadmodum inferius ex Diplomate (6) Ottonis III. Imperatoris, & ex Litteris (7) Honorii III. Romani Pontificis, aliiſque permultis Tabularii noſtri monumentis nondum editis evincemus), ut immenſa illa Euphemiani Donatio non omnino incredibilis videri poſſit; cujus rei argumento eſt Epigramma antiquiſſimum inſcriptum lapidi, quod adhuc in aedibus noſtris legitur:

DIVES<br>
IN HAC VR<br>
BE GEMMIS AV<br>
ROQ: MICANTI AGRIS<br>
INNUMERIS HEC ERAT ECLE<br>
SIA:. SED QUOD MULTOTIENS CON<br>
TINGIT FRAUDE MALIGNI. HEV<br>
NUNC OPPRIMITUR HÆC PAV<br>
PERTATE GRAVATA

Alterum quod timorem alicui injicere videbitur, ne omnino audeat falſitatis arguere Donationem ipſam, maximus ille eſt atque auguſtus Pontificis Romani, Praefecti Urbis, Conſulum, aliorumque virorum nobiliſſimorum conſeſſus. An ii omnes vel ita ex men-

F 2 do

(6) Diploma Ottonis III. & monumenta reliqua vide in appendice.

(7) Litteras Apoſtolicas Honorii Papae III. vide infra Cap. XIV.

Digitized by Google

do compoſiti, ut alios in fraudem inducere vellent, aut ita rerum ignari fuerunt, ut ſe ipſos in fraudem induci ſinerent? Detur igitur mihi haec venia, ut ne judicium proferam, ſed antiquitatis auctoritatem tacitus reverear.

Ceterum, utut ſe res habeat, illud minime dubitandum eſt, Euphemiani ſaltem quae dicebantur aedes ab vetuſtiſſimis uſque temporibus Coenobio noſtro fuiſſe addictas; quum earumdem poſſeſſionem non modo Honorius Papa III. ſed longius ante Otto III. Imperator ratam habuerint, ut ex utroque eorum Diplomate facile intelligi poteſt. Quare illud demum conſequens eſt, quod principio poſuimus, ex ipſis Euphemiani aedibus conſtructum fuiſſe Coenobium, quod inhabitarent Sacerdotes, qui ſuam in eo Templo divinis rebus operam darent. Jam vero conſequentibus ſaeculis quis hujus Templi ſtatus fuerit expendamus.



Digitized by Google

# CAPUT VI.

## *Templi & Coenobii ſtatus ſaeculo VIII.*

TEmplum S. Bonifacii Martyris vel exeunte tertio vel quarto ineunte ſaeculo fuiſſe exaedificatum, non ante quintum autem glorioſo S. Alexii nomine auctum, oſtendi ſuperius (1) ex eorumdem Actis Sanctorum; ſed & illud commonſtravi, cum in vita Sixti Papae III. tum a D. Gregorio Magno perhonorificam ejuſdem Templi mentionem factam fuiſſe, ut nihil modo reliquum eſſe videatur, niſi ut diligenter inquiramus, quis conſequutis inde temporibus fuerit ejuſdem Templi ſtatus. Ego vero apud Anaſtaſium legi, VIII. ſaeculo praeſtantiore Diaconiae titulo fuiſſe condecoratum (2). Anaſtaſius enim, vel quicunque tandem ille fuerit rerum a Leone Papa III. geſtarum Scriptor, largitiones & donaria enumerans, hoc eſt, indumenta & vaſa ſacra, quae Beatiſſimus is Pontifex diverſis Urbis eccleſiis elargitus fuerat, *Diaconiae S. Bonifacii* veſtem Tyriam, & coronam argenteam pondo librarum ſeptem obtuliſſe refert: *In eccleſia S. Pancratii veſtem Tyria habentem hiſtoriam Aſcenſionis Domini, ſeu & in Sancta Maria ad Martyres fecit veſtem Tyria ut ſupra* .... *IN DIACONIA SANCTI BONIFACII ut ſupra* .... *IN DIACONIA S. BONIFACII ſimiliter fecit coronam penſan. libras ſeptem*. His ſimilia ſcribit Auctor Anonymus in

(1) Cap.II.p.11.&III.p.20.&21.

(2) Anaſtaſ. Bibliothecar. in vita Leonis Papae III. cum notis Blanchini num. 379. & 404.

Digitized by Google

in Opere ſatis erudito de antiquis Urbis eccleſiis, quod mſ. ſervatur in bibliotheca Vallicelliana, codice ſignato G. 36. hujus enim pagina 4. & 18. narratur, Templum S. Alexii per plures annos Diaconiam fuiſſe ſub nomine praeſertim S. Bonifacii, ibique Leonem Papam III. obtuliſſe pretioſam veſtem, & lampadem argenteam pondo librarum ſeptem. Adſtipulatur Catalogus veterum Diaconiarum, quem exhibet Carolus du Freſne du Cange in Gloſſario mediae & infimae Latinitatis (3), inter quas recenſetur etiam Diaconia S. Bonifacii. At enim Petrus Mallius (4) deſcribens Diaconias, quas numero XVIII. comprehenderat Cencius Camerarius, Eccleſiam SS. Bonifacii & Alexii in earum numero non recenſet, ſed eamdem collocat inter viginti celebres antiquaſque Urbis Abbatias: quod mirari deſinet, qui animadvertat, longe ante ſaeculum XIII. quo Mallius ſcribebat, Diaconiam in Abbatiam fuiſſe commutatam, noſtramque Eccleſiam inſigne Baſilicae nomen obtinuiſſe: quod erit nobis deinceps oſtendendum (5).

Hic autem, antequam Alexianae Diaconiae conditionem perpendamus, non abs re, ut arbitror, erit, aliquid de veterum Diaconiarum more atque inſtituto eloqui.

Diaconiae itaque loca dicebantur, in quibus per Diaconos *Regionarios* pauperes, peregrini, viduae, & pupilli propriae regionis ſuſtentabantur; cujuſmodi hoſpitales domus Romae erant in ſingulis regionibus eccleſiaſticis, quae a ſeptem Diaconis ab initio regeban-

(3) Du Cange Gloſſ. med. & inf. Latin. voce *Diaconia*.

(4) Apud Mabillon. Muſeum Italicum tom. 2.

(5) Cap. VII. & VIII.

Digitized by Google

bantur, ut refert Sozomenus (6): *apud Romanos Diaconi non plures ſunt hactenus quam ſeptem, inſtar eorum, qui ab Apoſtolis primum ordinati ſunt; apud alios vero haudquaquam definitus eſt numerus*. Idipſum probat Ludovicus (7) Thomaſinus ex Epiſtola Cornelii Papae apud Euſebium, qua in re, inquit „ Apoſtolos haud dubio ſequuta eſt Romana Eccleſia, qui Diaconis tantum ſeptem manus impoſuere; ceterae Eccleſiae in eo tenendo numero minus fuere conſtantes „. At vero Mabillonius ad laudata Sozomeni verba (8) obſervat, ſeptem quidem fuiſſe Diaconos Romanos, qui Regionarii appellarentur, quique ſinguli in ſibi commiſſa regione ampliſſimam juriſdictionem exercerent; ſed longe majorem fuiſſe numerum Diaconorum pro numero Diaconiarum, quae hoc titulo inſignes erant, quaeque componebantur & ex noſocomiis ſeu diverſoriis, ubi pauperes, & peregrini, aliique egentes eccleſiaſtica miſericordia alebantur, & ex eccleſia cuilibet ipſorum adjuncta, cui praeerat Pater Diaconiae memoratus in Ordine Romano (9), qui temporalium rerum curam habebat ſub Diacono Regionario, & Diſpenſator etiam vocabatur (10): *ſed Diſpenſator, qui pro tempore fuit in eadem venerabili Diaconia, pro remiſſione peccatorum noſtrorum, omnes Diaconitas & pauperes Chriſti, qui ibidem conveniunt, Kyrie eleiſon exclamare ſtudeant*. Hujuſmodi Diſpenſatores, Economi, & Miniſtri reddituum egenis diſtribuendorum, plerumque ex Diaconorum & Clericorum ordine aſci-

(6) Sozomenus Hiſtor. Eccleſ. lib.5. Cap.XV.

(7) Thomaſinus vet. & nova Eccleſ. Diſciplina par.1.lib.XI.c.29.§.V.

(8) Commentar. in Ordinem Romanum pag. XVI. Muſei Italici to. 2.

(9) Apud Mabillon. ibidem.

(10) Diurn.Rom.cap.7. tit.17.

Digitized by Google

aſciſci conſueverunt,ſed aliquando etiam ex ſaecularibus, qualis fuit Dux ille Euſthatius, cujus marmoream inſcriptionem poſt Turrigium (11) referunt Muratorius (12), Creſcimbenus (13), aliique, & nos ipſi hic exhibemus,

HAEC. TIBI. PRÆCLARA. VIR
GO. COELESTIS. REGINA. SANCTA. SV
PEREXALTAT. ET. GLORIOSA. DO
MINA. MEA. DEI. GENITRIX. MARIA
DE. TVA. TIBI. OFFERO. DONA. EGO
HVMILLIMVS. SERVVLVS. TVVS
EVSTHATIVS. IMMERITVS. DVX.
QVEM. TIBI. DESERVIRE. ET. HVIC.
SANCTAE. TVAE. DIACONIAE. DISPENSA
TOREM. EFFICI. IVSISTI. TRADENS
DE. PROPRIIS. MEIS. FACVLTATI
BVS.IN. VSVS. ISTIVS.SANCTAE. DIAC. PRO
SVSTENTATIONE. XPI. PAVPERVM.
ET. OMNIVM. HIC. DESERVIENTI
VM. DIACONITARVM. OB. MEORVM.
VENIAM. DELICTORVM.

Liquet ergo, Euſthatium Ducem, qui ſane ex ordine Clericorum non erat, conſtitutum fuiſſe Diſpenſatorem Diaconiae hujus, quam de ſuo ipſe locupletavit ad ſuſtentandos pauperes non modo, ſed Diaconitas etiam ſeu miniſtros Diaconiae famulantes, qui hoc loco a pauperibus diſtinguuntur: ex quo emendandum arbi-

(11) Turrigius de Cryptis Vatic.
(12) Lud. Murat. antiq. med. aevi diſſ. LXI.
(13) Creſcimb. Hiſt. S. Mariae in Coſmedin.

Digitized by Google

arbitror du Cangium, qui vocem *Diaconites*, *pauperes, qui in Diaconiis alebantur*, minus recte interpretatus eſt: quod jam advertit Muratorius (14). Deinde autem non ipſae domus hoſpitales Diaconiae nuncupatae ſunt, ſed praeſertim, quae ipſis adjunctae erant eccleſiae; nam hoſpitalitas ubi admodum refrixit, aedeſque corruerunt, haeſit Diaconiae nomen in ipſis ſacellis, oratoriis ſeu eccleſiis, de quibus du Cangius (15) contendit Anaſtaſium loqui, quum ait: *vel Tyria ſtauracina*, *veſtes*, *coronas*, *ſeu pharos*, & alia hujuſmodi Diaconiis elargitos Summos Pontifices. Huic ſententiae aſſentitur Doctiſſimus ſaepe laudatus Muratorius in antiquitatibus medii aevi dicens: „ quoties „ apud Anaſtaſium in vitis Pontificum Romanorum, „ Diaconiae mentio occurrit, continuo intellige id ge„ nus eccleſias, unde pauperes, aut peregrini &c. Chri„ ſtianae liberalitatis fructus recipiebant „. Quum itaque in *Diaconia* SS. BONIFACII & ALEXII a Leone Papa III. oblatam vidimus *veſtem Tyriam & coronam argenteam*, jam liquido apparet, Eccleſiam hanc unam fuiſſe ex iis Diaconiis, quorum Rectores Diaconi Regionarii, vel ſaltem Titulares & Diaconi Cardinales Urbis poſtea dicti ſunt, ut prae aliis oſtendit Muratorius diſſert. 61. antiq. med. aevi: ubi & illud obſervandum eſt, quod in Bullis antiquis Romanorum Pontificum, quibus ſubſcribunt Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinales, Presbyteri tantum, ideſt, parrochialium eccleſiarum Rectores titulum ſuae eccleſiae praeſeferunt, ſuiſque in ſubſcriptionibus indicant,

 non

(14) Murator. ant. med. aev. ut ſupra diſſert. 37. & 61.

(15) Du Cange Gloſſ. med. & infim. Latin. voce *Diaconia*.

Digitized by Google

non vero Diaconi, ut jam pridem monuit Mabillonius oſtendens, Diaconias hujuſmodi deinceps, alias quidem in monachorum coenobia, alias in collegia clericorum converſas, quae *Tituli* Cardinalium dicebantur; tametſi, quando Cardinales Diaconi nomen ſuum ſubſcribendo addebant, a Tituli vocabulo abſtinerent, non ſecus ac Diaconi Regionarii, qui, omiſſa regione, ſolam eccleſiam exprimebant, aut quum nomen ſuum in Conciliis apponerent, ordinem regionum non ſervabant, ſed ſuae ordinationis.

Sed, ut ad rem noſtram aliquando revertamur, id certum eſt, Diaconiam SS. BONIFACII & ALEXII ſub Leone Papa III. fuiſſe; ideoque illud etiam conſequens eſſe videtur, ante hujus tempora ſeu ante ſaeculum VIII. eam inſtitutam fuiſſe; neque vero haud ſimile videri poſſe arbitror, poſt recentem ex hac vita tranſitum ſanctiſſimi viri, & celeberrimi apud Chriſtianos peregrini ALEXII, noſtris in aedibus Diaconiam ad excipiendos liberali hoſpitio advenas fuiſſe inſtitutam. Quis enim ignorat, priſcis illis vereque aureis Chriſtianae Reipublicae temporibus, hoc praeſertim in more Chriſtianos habuiſſe, ut hoſpitio peregrinos homines exciperent. Eſt apud Lucianum in Dialogo Peregrini impoſtor ille Protheus, qui ob multa admiſſa ſcelera exul a patria, dum Chriſtianam Religionem amplecti ſimulat, ut commeatus & cibaria a Chriſtianis carpat, horum una ſimul & liberalitatem collaudat, & nequitiam oſtendit ſuam. Sed eſſet profecto infinitum, ſi exemplis uti vellem, quibus commonſtrarem, patuiſſe ſemper Romanorum domos & eccleſias illuſtribus hoſpitibus, qui aliunde ejecti hunc portum paratum ſibi

ac

Digitized by Google

ac perfugium arbitrabantur. *Non enim Athanaſius dumtaxat* (ſunt verba Julii Papae in Epiſtola ad Epiſcopos Arianae factionis data A.D. 342. *& Marcellus Epiſcopi huc ſe contulerunt, ac ſecum injuſte actum eſſe conqueſti ſunt, ſed etiam complurimi alii Epiſcopi ex Thracia, Caeleſiria, Phoenicia, & Paleſtina, & una Presbyteri non pauci, atque alii quidem Alexandria, & alii ex aliis partibus ad Synodum huc coactam acceſſere*: quibus omnibus, ut recte conjicit Doctiſſimus Praeſul Nicolaus Antonellus (16), pro Romanorum & Romani Pontificis liberalitate, cibaria ceteraque ad victum neceſſaria ſuppeditabantur, quum fortunas eorum omnes in Oriente Ariani invaſiſſent: quinimmo opinari licet, quum inde receſſerint, commeatum quoque ad longum iter faciendum a Romanorum pietate accepiſſe.

Sed prae ceteris hic commemorare praeſtat plerosque Epiſcopos & ſanctos viros, qui adverſis rebus vexati, Romam peregre proficiſcentes, in aedes Sanctorum BONIFACII & ALEXII confugerunt. Hoc hoſpitium habuit Sergius Damaſcenus Epiſcopus, qui a Saracenis e ſua Sede ejectus, Romae a Benedicto Papa VII. benigne exceptus fuit „ quo auctore, factus „ eſt locus ille domicilium ſanctorum virorum, illuc „ accedentium & proficiſcentium „ ut inquit Baronius (17). Huc ſemel iterumque venit S. Adalbertus Epiſcopus Pragenſis, qui Romam veniens S. Bonifacii Monaſterium, ubi quinquennio manſerat, iterum adiit (18). Huc etiam S. Gaudentius, ejuſdem Adal-

 berti

(16) Nicol. Antonell. diſſert. de Titulis quos S. Evariſtus Romanis Presb. diſtribuit edit. Rom. 1725.

(17) Baron. Ann. Eccl. A.D. 977.

(18) Baron. ad An. 990. & Bolland. Acta SS. 23. Aprilis.

Digitized by Google

berti frater, S. Bonifacius Ruſſorum Martyr, S. Anaſtaſius Hungarus, SS. Benedictus & Joannes Martyres profecti ſunt, & Coenobium SS. BONIFACII & ALEXII incoluerunt, ut legere eſt apud Baronium, & nos ipſi infra oſtendemus (19); nec praetermittendi ſunt octo viri ſanctitate inſignes, uno eodemque tempore hoc Monaſterium incolentes, ſcilicet, Gregorius, Nilus, Joannes, aliique, quos memorat Auctor coaevus in vita S. Adalberti (20), Graeci quatuor, ac totidem Latini, quorum illi perturbatum ſtatum Orientalis Eccleſiae relinquentes ad Coenobium SS. BONIFACII & ALEXII convolarunt, ut ait idem annalium Parens, Coenobium S. ALEXII ceu Sanctorum Coloniam ſic deſcribens (21): „ erat plane „ locus ille Sanctorum Colonia, ubi qui his tempori„ bus floruere ſanctitate viri celebres, habitarunt, ut „ non mirum, ſi adhuc iterum ad locum hunc Beato„ rum, quaſi in terreſtre caelum Adalbertus, poſtpo„ ſitis tot tantiſque in Germania, in Gallia, & in Ita„ lia monaſteriis, tantummodo convolarit „.

Porro frequens hujuſmodi Sanctorum & Antiſtitum peregrinorum ad Monaſterium noſtrum adventus, quo tempore etiam antiqua Diaconia, ſeu hoſpitum peregrinorum diverſorium ibidem amplius non erat, ſed illa in monachorum Coenobium commutata fuerat, non leve nobis argumentum eſt ſuſpicandi, Diaconiam hanc SS. BONIFACII & ALEXII antiquitus inſtitutam ſpeciatim fuiſſe ad hoſpitio ſuſcipiendos peregrinos, ut antea innuimus, non vero ad ſuppetias ferendas

(19) Capite IX.

(20) Bolland. Acta Sanctorum ad diem 23. Aprilis.

(21) Baron. ad ann. 990. §. IV.

Digitized by Google

das viduis & pupillis, ut plures aliae Diaconiae in more habebant. Suſpicandi cauſſam praebet ipſa vita S. ALEXII Confeſſoris, qui illuſtrium orbis terrarum Eccleſiarum peregrinationem per ſeptemdecim annos quum ſuſcepiſſet, atque apud Edeſſam Syriae ignotus commoratus fuiſſet, tandem quum ſui nominis famam jam mirabiliter evulgatam ferre vir modeſtus non poſſet, inde diſcedens, atque iterum Romam veniens, a patre hoſpitio exceptus, & nemini notus, quum decem & ſeptem adhuc annos in paterna domo vixiſſet, ſanctiſſime obiit ſub Innocentio Primo Summo Pontifice. Ad illuſtrem hujuſce rei memoriam quid prohibet ſuſpicari, SANCTI ALEXII Diaconiam antiquitus longe ante Pontificatum Leonis III. fuiſſe inſtitutam ad excipiendos peregrinos, ad quam deinde totius orbis advenae confluerent, non modo ante ſaeculum VIII. quo Leo Papa III. in *Diaconia S. Bonifacii fecit veſtem Tyriam, & coronam penſan. libras ſeptem*, verum etiam ſaeculo X. quo, licet jam Diaconia in Coenobium commutata foret, nihilominus tot Sanctos Abbates & Epiſcopos hoſpitio accepit? Quid? Nonne ex antiquiſſima conſuetudine videmus quotidie, peregrinos omnes Germanos praeſertim, quotquot in Urbem, adveniunt, ad Templum S. ALEXII quaſi ſtipato agmine confluere, ut illius loci quaſi admonitu, eorum pietas commoveatur, atque ad Sanctiſſimi Hominis memoriam magis pie recolendam excitetur?

Sed quoniam de Baſilica & Coenobio, quae deinceps exſtructa fuerunt in Diaconia S. BONIFACII meminimus, ad haec nunc ſermo eſt convertendus.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT VII.

*Templi ampliatio ſaeculo IX. ejuſdemque deſcriptio.*

QUae ſub finem ſaeculi VIII. inter Diaconias recenſebatur (1) Eccleſia S. ALEXII, eam nobiliore Baſilicae titulo inſignem lego temporibus Benedicti Papae VII, qui Pontificatum iniit A. D. 975. quique, ut refert Beatus Petrus Damiani in Epiſt. IX. ad Nicolaum Papam II. Sergio Damaſceno Epiſcopo, quum Romam peregrinus veniſſet, *Baſilicam Sanctorum Bonifacii & Alexii* tradidit, ut ibidem monaſticam diſciplinam reſtitueret: *Sergius Metropolita Damaſci . . . . Romam peregrinus advenit; reperienſque DD. BONIFACII & ALEXII BASILICAM ſacerdotalibus pene officiis deſtitutam, Benedictum Romanae Sedis Antiſtitem adiit; atque, ut ſibi monaſterialem ibi permitteret regulam conſtituere, precibus impetravit.* Niſi ergo illam velimus jam tum in Baſilicae formam conſtructam, quum Leo III. *in Diaconia* (2) *S. Bonifacii fecit veſtem Tyriam, & coronam penſan. libras ſeptem* (quod fortaſſis a veritate minime abhorret, tametſi non eadem opinio Anaſtaſii videatur, apud quem Baſilicae, Diaconiae, Oratorii, Tituli, aliorumque aedificiorum nomina ſatis diſtincta obſervantur); illud ſaltem pro explorato habendum erit, ante Benedictum VII. Baſilicae nomine inſignem fuiſſe Eccleſiam hanc, & non improbabili conjectura ſaeculo IX. in Baſilicae amplitudinem magnificentius exſtructam atque inſtaura-

ra-

(1) Vide ſupra cap. VI. pag. 45. & 46. (2) Ibidem.

Digitized by Google

ratam: cujus quidem rei, quum nulla nobis ſuppetant veterum Scriptorum teſtimonia, & ne minimum quidem veſtigium in Tabulario noſtro appareat; id reliquum eſt, ut ex ipſis caementis & ſtructurae forma aedificii tempus eruere conemur; ſiquidem, ut ait Ciampinus (3) „ habent ſaxa, aera, lapides, & quae„ cunque vetuſta monumenta quodammodo voces „ ſuas, quibus non tam res geſtas majorum, quam „ & originem aetatemque ſuam bene advertentibus „ abſque litteris indicant.

Ad hujus autem aetatem facilius inveſtigandam, plurimum conducere arbitramur, veterum Baſilicarum formam, & noſtrae praeſertim deſcribere, atque ob oculos ponere; nam illico etiam manifeſtum fiet, quo jure Templum S. ALEXII Baſilicae nomine appellatum fuerit, & quam merito inter antiquas Romanas Baſilicas enumerandum ſit.

Baſilica a Graeca voce βασιλικὴ derivatur, quae Regiam denotat; unde Iſidorus Originum libro quinto ait: *Baſilicae prius vocabantur Regum habitacula, nunc autem ideo Baſilicae divina templa nominantur; quia ibi Regum omnium Deo cultus & ſacrificia offeruntur*: quo ſenſu quaevis eccleſia, Baſilica vocari poteſt.

At vero antiquae Romanorum Baſilicae, de quarum ſtructura ſatis egerunt Vitruvius (4), Palladius (5), Leo Albertus (6), aliique (7), ab initio aedificatae fuerunt, ut Populus in eis ad jus dicendum convenire poſſet: quarum omnium prima fuit Baſilica Portia anno ab

Urbe

(3) Ciamp. Vet. Monument. par. 1. cap. 8. pag. 65.

(4) Vitruvius lib. 1. cap. 1.

(5) Andreas Palladius lib. 3. cap. 19.

(6) Leo Baptiſta Albertus lib. 7. cap. 14.

(7) Vincentius Schamozzi lib. 3. cap. 5.

Digitized by Google

Urbe condita 564. Conſulibus Lucio Portio & Publio Claudio aedificata, ut ex Livio oſtendit Nardinus (8); & hujuſmodi erant Baſilica Aemilia, cujus iconiſmum antiquo numiſmate expreſſum exhibet Spanhemius (9), & Baſilica Seſſoriana, quae nunc dicitur S. Crucis in Hieruſalem, aliaeque, quas numero undecim recenſet Publius Victor in primo Catalogo, & novemdecim in ſecundo, apud Panvinium in libro de Romana Republica. Singulae hae Baſilicae ex obſervatis ibidem certis quibuſdam architectonicis praeceptis diſtinguebantur, puta, cingebantur porticibus, immiſſis in ſtylobata columnis: medium ſpatium in utrumque latus per intercolumnia habebat liberum proſpectum: locus, ubi tribunalia erant, qui tribunae iccirco nomen habuit, hemicycli formam retinebat, quem etiam abſidem vocarunt: ante tribunal tranſverſa navis erat, quae cauſſidica dicebatur; quia eo notarii & cauſſarum patroni conveniebant: porticus exteriores in uſum ſervorum ſuperaddebantur; aliaeque leges, & regulae obſervabantur, quas prae aliis expendit Ciampinus (10). Quia igitur priſci Fideles Baſilicas ab Ethnicis jam erectas ab omni profanae ſuperſtitionis labe expiatas ad divinos uſus accommodarunt, atque ad earum ſimilitudinem inſignia quaedam nova templa erexerunt; hinc factum eſt, ut plura eccleſiarum aedificia Baſilicae formam retinuerint, atque iccirco Baſilicae denominatae ſint, in quarum numerum receptae ſunt non modo Baſilicae, quas deſcribit idem Ciampinus in hi-

(8) Nardinus Rom. ant. lib. V. cap. 4.

(9) Ezechiel Spanhemius apud Ciampinum Veter. Monum. par. 1, cap. 1. pag. 7. edit. Rom. 1690.

(10) Ciamp. Vet. Monum. par. 1, cap. 1. ut ſupra.

Digitized by Google

Digitized by Google

hiſtorica ſynopſi de Sacris Aedificiis a Conſtantino Magno conſtructis, ſed & aliae nonnullae, quas ipſe ibidem non recenſuit, neque deſcripſit, utpote a Conſtantino Magno minime aedificatas. In harum igitur numero Baſilica S. ALEXII jure ac merito habenda eſt, ut ex ipſius ichnographia, quam hic exhibemus, ſatis abunde patebit.

Jam vero Tabula III. Coenobium & Baſilicam S. ALEXII, ſeu utriuſque veterem ichnographiam repraeſentat. Baſilica *A* in tria deambulacra ſeu naves tunc quoque diſtinguebatur, ut juxta antiquum Eccleſiae morem, feminae ſeorſim a viris in templo convenirent, his ſiniſtram, illis dexteram obtinentibus, ut teſtis eſt antiqua inſcriptio, quam refert Severanus (11): IN PORTICV. QVANDO INTRAMVS. SINISTRA PARTE. VIRORVM. &c. & liber Pontificalis in vita Symmachi, qui *fecit Oratorium Sanctae Crucis a parte virorum*; & in vita Sergii: *hic fecit imaginem auream Beati Petri Apoſtoli, quae eſt in parte mulierum*. Porro hujus longitudo a liminibus uſque ad arcum triumphalem palmorum eſt 154. 4. latitudo palm. 108. nempe mediae navis latitudo palm. 52. lateralium utraque palm. 28. Per quatuor inde gradus aſcendebatur ad navim tranſverſam, cujus longitudo eſt palm. 107. 9. exceptis binis Sacellis *C*, *D*, hinc inde ad illius extrema recentius conſtructis, altero ad Sacra recondenda Sanctorum Lipſana, quae ibi coluntur, altero ad aptius reponendam ſacram pervetuſtam imaginem Beatae Mariae Virginis, quam ex Edeſſa

H Sy-

(11) Severanus de ſeptem Urb. Eccleſ. apud Ciampin. Veter. Monument. par. 1. cap. 2. pag. 15.

Syriae huc aſportaſſe fertur Sergius Damaſcenus Epiſcopus, qui illam in medio Eccleſiae locaverat, ubi ipſe idem tumulari voluit, ac ubi marmoreum ejus epitaphium inferius (12) exponendum noſtris uſque diebus viſebatur. Latitudo tranſverſae navis palmorum adhuc eſt 45. 2. diameter abſidis palm. 40. 10. ſemidiameter vero ad ipſam normalis palm. 21. 9. ita ut area Baſilicae eadem omnino fuerit, ac quae nunc viſitur; quippe in nupera hujus inſtauratione facta ab Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Angelo Maria Quirino, nunquam ſine laude nominando, longitudo & latitudo Baſilicae haudquaquam immutatae ſunt, ſed tantum altitudo, quae palmorum ſexdecim evectior facta eſt, additis paraſtatis columniſque ſtructilibus, ad magnificos fornices noviter exſtructos ſuſtinendos, ut ſuo loco dicemus; quum antea hujuſmodi Baſilica nullo eſſet laqueari aut fornice ornata. In medio tranſverſae navis etiam tum Ara maxima aſſurgebat, cui Ciborium ſuperſtructum fuerat, non quidem hoc elegans, quod nunc viſitur ſumma arte elaboratum, quatuor columnis ex Caryſteo ſive viridi marmore incumbens, de quo inferius agemus, ſed alterum rudioris formae, quam prorſus ignoramus: prope Ciborium deſcendebatur hinc inde in ſubterraneum Sacellum, quod Confeſſionem vocant, cujus ichnographiam exhibet Tab. VI. Sexdecim magnae columnae ex ſolido marmore, ut plurimum Numidico, Baſilicae naves diſtinguebant, octo in ſingulas partes, quarum diameter palmorum 2. 9. altitudo palm. 20. & 21. uſque ad epiſtylia, ordinis qua Corinthii, qua Jonici, qua compoſiti, undique confuſi pro illius aetatis imperitia, cujuſmodi multa conſpicimus

(12) Capite VIII.

mus in pluribus aliis ejus temporis aedificiis, quae ſibi minime conſtant. Videmus enim columnas ordinis Dorici alias Corinthiis, alias Jonicis baſibus & capitulis junctas: id nemo mirabitur, qui ſecum animo reputaverit, labentibus jam cum Romano Imperio bonis artibus, atque excidentibus paſſim ex nobiliſſimis Romanorum aedificiis, columnis, baſibus, & capitulis, haec a novis caementariis recollecta fuiſſe, & in novas fabricas, nulla architectonicae artis lege ſervata, cum aliis inconditis congeſta: quae deinceps inordinate coagmentata ſic erigebantur, ut unum eumdemque zophorum vel epiſtylium ſaepenumero ſuſpicere contingat, qua elaboratiſſimum, qua nulla arte excifum verius, quam ſculptum, quemadmodum prae aliis videre eſt in baſilica S. Laurentii in agro Verano, ubi ſingulae fere baſes, capitula, & columnae inter ſe diſcrepant. Baſilicae pavimentum ex opere teſſellato, variis marmoribus affabre elaboratum erat (13), cujus plurima veſtigia nunc viſuntur in navibus media & tranſverſa. Ante faciem Templi, quae meridiem reſpicit, amplam porticum longitudine palmorum 110. latitudine palm. 28. 9. ſuffulciebant columnae ſex, e ſolido pariter candidoque marmore conſtantes, ſed diametri vix palm. 2. Hic antiquitus publice poenitentibus erat locus, ut palam crimina confitentes, veniam & preces expoſcerent ab introeuntibus in Templum per unicam tantum, quae ibi patebat, portam principem, paraſtadis utrinque & hyperthyro marmoreis, muſivo opere elaboratis munitam, altam palm. 21. latam pal-



(13) Georgius Fabricius Romanar. antiquitat. lib. 2. cap. ult. pag. 237. edit. Baſileae 1587. refert: *Templum S. Alexii in vico Aventino ſatis pulchrum, praeſertim pavimento.*

palmorum 11.9. lateralium autem forium loco intra Eccleſiam, erant Altaria duo, adinſtar baſilicae Sancti Clementis; a ſiniſtris ſcilicet ingredientium, Sacellum *F* lapideo ſepto circumvallatum, ubi per ſeptemdecim annos parentibus ignotus *ſub ſcala poenitentiae*, quae ibi ex antiqua traditione religioſe cuſtoditur, vixiſſe & obiiſſe traditur Divus ALEXIUS; a dexteris vero, Altare *G* Crucifixi Domini noſtri JeſuChriſti, prope turrim campanariam *H*, quae ibidem etiamnum ſpectabilis aſſurgit altitudine palm. 135. & architectonicis quinque ordinibus compoſita, cujus iconem exhibet Tab. V. & cujuſmodi plures in aliis Urbis baſilicis viſuntur. Ante porticum eſt pronaum *K*, longitudine palmorum 118.6. latitudine palmorum 112. parietibus undique ſeptum, per quarum latus meridionale patet egreſſus in viam publicam, ſub alta turri quadrata *L*, quae maximam ſane vetuſtatem praeſefert: ſed hac ipſa de cauſſa quaqua verſus dehiſcens & ruinam minitans, quantocius demolietur.

Haec prothyrum Baſilicae referebat, & pilis lateritiis geminiſque Numidicis columnis ordinis Jonici teſtudinem fulcit, decuſſata concameratione fabrefactam, ſub qua porta maxima patet, lata palmorum 13.9. alta palmorum 18.6. ingentibus utrinque munita e ſolido marmore paraſtadis & zophoro, in quo ſculpta legitur vetus inſcriptio (14) Tiberii Claudii, qui *in honorem Domus Auguſtae Scholam cum ſtatuis, & imaginibus, ornamentiſque omnibus ſua impenſa fecit*. Hic ſilentio non praeteream ferream virgam quadratam

(14) Hanc inſcriptionem referunt Grutherus pag. 169. 5. & Smetius ord. prim. fol. XII. num. 6. aliique.

Digitized by Google

TAB. IV.



Nolli d. s.

Scenogra
Bonifac

Digitized by Google

Digitized by Google

tam ad columnarum quidem concatenationem poſitam, ſed nonnullis anulis ferreis inſertam, quorum ope antiquitus vela ſuſpendebantur, quum feſtivis diebus ſolemnioribus templa priſco ritu ornarentur: cujus generis anuli nunc etiam ſpectantur in ſimilibus antiquis porticibus aliarum baſilicarum, nempe Sancti Clementis, Sanctae Praxedis, Sanctae Mariae in Coſmedin, & S. Georgii in Velabro.

Sed ad hujus Baſilicae ſcenographiam & ortographiam devenientes, quas exhibent Tabulae IV. & V. forma feneſtrarum praeſertim obſervanda eſt, quarum octo excavatae viſebantur in quolibet navis mediae latere, latitudinis palmorum 2. altitudinis palmor. 9. uſque ad arcus ſummitatem; altera vero amplior & ſemiorbicularis in facie Templi trifariam diviſa, quae ſatis Eccleſiam illuſtrabat. Sexdecim feneſtellis arcuatis hiatum aeque anguſtum palmorum 2. habentibus, ad immodicum lumen more illorum temporum interprohibendum, ornabantur duae reliquae naves laterales: ſed in navi tranſverſa vix quatuor feneſtellae apparebant, binae in unoquoque latere, ſcilicet utrinque ab abſide, atque hinc inde ab arcu triumphali: ſed hae duae lucem vivam, ut ajunt, non admittebant, lumen de lumine tantum recipientes, non ſecus ac aliae octo utrinque in media navi, parum vel nihil Eccleſiam illuminabant; nam unica contignatio ſine laquearibus Baſilicae tegumento inſerviebat; ejuſdemque ſingula deambulacra unum & idem tectum pectinatum cooperiebat, ut videre eſt in ejuſdem ſcenographia Tabul. IV. atque etiam in aliis hujus generis baſilicis.

Sive

Sive itaque hujuſmodi feneſtrarum formam, figuram, & poſitionem ſpectemus, ſive totam hujus Templi ſtructuram cum reliquis Romanis baſilicis adhuc exſtantibus conferamus; ſatis ſuperque evidens fit, ne minimum quidem ab illis Eccleſiam S. ALEXII diſcrepare.

Quemadmodum igitur reliquae baſilicae ferme omnes, & praeſertim quinque Urbis Patriarchales longe ante octavum ſaeculum conditae ſunt, ut ſatis conſtat; eccleſia vero S. Clementis, quae noſtrae ſimillima eſt, ſaeculo IX. in eam, quam hodie uſque refert, antiquam baſilicae majeſtatem reducta eſt a Nicolao I. ut ex ejuſdem Pontificis monogrammate jam interpretati ſunt Ugonius (15) & Allemanus (16); ſic Eccleſiam noſtram in Baſilicae formam ampliatam & inſtauratam eſſe conjicimus, eodem ſaeculo nono vel paullo ante, ut ex ipſis quoque caementis arguitur, quae aetatem Caroli Magni praeſeferre videntur,

Etenim antiqui hujus Eccleſiae muri, quos nos ipſi, quum modo inſtaurarentur, conſpeximus, qua parte reſpiciunt hortos Sanctae Sabinae prope turrim campanariam, alternis ordinibus conſtant tophorum & laterum, cujuſmodi ſtructurae ſpecies viſitur in reſtaurationibus ſive murorum Urbis ab Adriano I. ſive eccleſiae ad aquas Salvias a Leone III. Pontificibus factis, ſive aliorum aedificiorum aetate Caroli Magni: ſub quo ſcientiae ac bonae artes quum reviviſcere cepiſſent, obſervat Ciampinus (17), denuo receptam eſſe ſtructurae formam, quae temporibus Gallieni Imperatoris vigebat; nimi-

(15) Pompeus Ugonius de Urbis Stationibus.

(16) Allemanus de Lateran. pariet.

(17) Ciamp. Monum. Vet. par. 1.

Digitized by Google

nimirum, caementa in conſtruendis tunc temporis aedificiis ita diſpoſita fuiſſe, ut unus ordo ſive linea ex tophis quadratis, alter ex lateribus conſtaret, ut factum vidimus in hac Templi noſtri parte: ex altera vero qua Coenobio junguntur, & Boream reſpiciunt muri Eccleſiae, opere lateritio adhuc conſtant uſque ad altitudinem, palmorum 37. lateribus inter ſe ita cohaerentibus, ut inter ſuperiorem & inferiorem laterem, vix calcis veſtigium ſub una ſimplici linea appareat: quae aedificandi ratio, florente Romano Imperio, in uſu erat. Quamobrem conjicimus, parietinas ibi eſſe pervetuſtae alicujus aedis, maxime quod prope Sacellum *F* Tab. III. nobilium Dominorum de Sabellis, ſubſtructiones adhuc exſtant ex ingentibus lapidibus Gabinis & Albanis, quos *peperino* vocitant; quoſque, Reipublicae Romanae tempore, in uſu potiſſimum fuiſſe nullus ignorat.

Quum igitur hujus Baſilicae parietes, qua parte antiquitus inſtaurati ampliatique fuerunt, aetatem Caroli Magni vel huic proximam indicare mihi viſi ſint; haud temere exiſtimaſſe videbor, ſi jam tandem conficiam, Eccleſiam SS. BONIFACII & ALEXII vel ipſo ſaeculo nono vel paullo antea, in Baſilicae amplitudinem adauctam & inſtauratam fuiſſe. Hoc feneſtrarum & ceterarum partium adhuc ſuperſtitum rudera: hoc ipſa antiquorum parietum veſtigia commonſtrant. Quare conſequens eſt, Aediculam in honorem Sancti BONIFACII primo conſtructam, in Diaconiam deinceps, ac poſtmodum in Baſilicam fuiſſe converſam, antequam Benedictus Papa VII. *Baſilicam SS. Bonifacii & Alexii Sergio traderet Metropolitae Damaſci*, ut ibidem monaſticam diſciplinam reſtitueret.

CA-

# CAPUT VIII.

## *Coenobii ampliatio ſaeculo X. & Abbatiae inſtitutio.*

ALexianum Coenobium, quod in aedibus Euphemiani Senatoris primo conditum, atque temporibus Caeleſtini, Sixti III. & Gregorii Magni Pontificum Romanorum, haud ignotum fuiſſe ſuperius (1) affirmavimus, quodque mox ad excipiendos hoſpites, Diaconiae nomine accommodatum diximus, quis demum inſtaurandum curaverit, atque illud vetuſtate fatiſcens in Monaſterium ſeu Abbatiam converterit, nunc jam aggredior ad explicandum. Coſmus *della Rena* (2) libro illo, quem inſcripſit de antiquis Thuſciae Ducibus, refert, Albericum juniorem, Marociae & Alberici filium, ac fratrem Joannis Papae XI. ducta in uxorem Alda, filia Hugonis Regis Italiae, propriam domum in Aventino poſitam, in qua ille natus fuerat, dono dediſſe ad aedificandum monaſterium; idque conſtare perhibet ex mſs. Farfenſibus, quae ipſe idem legiſſe ſe profitetur in bibliotheca Barberina, unde haec hauſit: *Albericus Romanorum Princeps Glorioſus propriam domum, in qua natus fuerat, Romae in Aventino monte poſitam, conceſſit ad monaſterium conſtituendum*. Hoſce mſs. Farfenſes codices quum adire ipſe ac perſcrutari non potuerim, ad Chronicon Farfenſe animum adjeci a Muratorio (3) publicatum, ubi

(1) Cap.III. p.19. & 24.& IV.p.32.

(2) Coſmo della Rena Serie degli antichi Duchi di Toſcana ſtamp. in Firenze l'an.1690. pag.132.

(3) Muratorius Rerum Italicarum Script. tom. 2. parte 2. Chronic. Farfenſe pag. 469.

ubi memoriae proditum animadverti, ab Alberico Romanorum Principe Glorioſo, non modo Farfenſe coenobium, ſed alia quoque monaſteria in ejus ditione poſita, ad regularem normam revocata fuiſſe: *Erat autem tunc temporis Albericus Romanorum Princeps Glorioſus, qui .... ſicut alia monaſteria ſub ſuo conſtituta Dominio, ad regularem normam, quam amiſerant in Paganorum devaſtatione, ita & hoc Coenobium* ( Farfenſe) *reducere ſtudebat*. Inter haec alia monaſteria, quae in Alberici ditione erant, ab eodem inſtaurata & ad regularem diſciplinam redacta, Coenobium noſtrum in Aventino, ubi ipſe natus fuerat, connumerandum fore dubitare poſſemus, niſi dubitationem omnem tolleret Hugo Abbas in Opuſculo *de deſtructione Monaſterii Farfenſis*, quod poſt Mabillonium edidit Muratorius (4) in antiquitatibus medii aevi: ibi namque Alberici ſtudium inſtaurandae regularis diſciplinae tantum extitiſſe traditur, ut Oddonem Celeberrimum Abbatem Cluniacenſem ex Gallia accerſiverit; eumque praefecerit ſingulis monaſteriis, quae circa Urbem erant; atque ſuam quoque domum conceſſerit ad monaſterium conſtruendum in honorem Sanctae Mariae: *Ad tempus Alberici Romanorum Principis, qui Glorioſus Princeps in tantum cupiebat monaſteria in ſuo Dominio conſtituta ad regularem ducere normam ... ut de Gallia faceret venire Oddonem Sanctum Abbatem, qui tunc temporis Cluniacum gubernabat monaſterium ... & eum Archimandritam conſtituit ſuper cuncta monaſteria Romae adjacentia; ſuamque domum propriam, ubi eſſe notus eſt* ( forte legendum, *ubi ipſe natus eſt* ), *poſitam in*

I *Aven-*

(4) Murat. tom. 6. antiq. med. aevi diſs. 72. pag. 279.

*Aventino monte, conceſſit ad monaſterium conſtruendum, quod uſque ad praeſens ſtare videtur in honorem S. Mariae*. Si itaque tempore, quo haec ſcribebat Hugo Abbas, nempe circa Annum Domini 1014. adhuc ſtabat in honorem Sanctae Mariae monaſterium, quod Albericus ſuis in aedibus in Aventino conſtrui juſſerat; nemo non videt, ad Coenobium S. BONIFACII Martyris haudquaquam referri poſſe Alberici Principis largitionem, ſed potius ad aedes S. Mariae de Aventino, quae nunc ſpectant ad Melitenſes Equites Ordinis Hieroſolymitani (5).

Quare incogitanter nimis affirmaſſe videtur Baronius (6), Coenobium S. Mariae in Aventino idem fuiſſe ac SS. BONIFACII & ALEXII, quum ad Annum 1014. referens ex Beato Petro Damiani, hoſpitium Sancti Odilonis Abbatis, Romae commorantis in Aventino, fuiſſe in monaſterio Sanctae Dei Genitricis Mariae, continuo addit: *eſt id Monaſterium, quod alio nomine S. BONIFACII ſive ALEXII dici conſuevit*. Incogitanter haec Baronio excidiſſe reor; quippe bina monaſteria, bina templa haec fuiſſe, ſatis liquet; propterea quod eo tempore utraque S. BONIFACII ac Sanctae Mariae de Aventino Eccleſia, inter celeberrimas viginti antiquiores Abbatias connumerabatur: qua-

(5) De Monaſterio S. Mariae de Aventino haec habet Mabillonius An. Ben. tom. 4. lib. 58. num. 61. *Quod attinet ad Monaſterium Beatae Mariae in Aventino, ubi Hildebrandus ſub Avunculi Abbatis diſciplina monaſticen profeſſus videtur, obſcura eſt ejus origo, quod modo redactum eſt in Prioratum Militum Hieroſolymitanorum. Duo alia erant in eodem monte Monaſteria, unum SS. ALEXII & BONIFACII, quod modo tenent Hieronymiani Monachi; alterum Sancti Sabae, unitum a Gregorio XIII. collegio Germanorum S. Apollinaris*.

(6) Baronius Annal. Eccleſ. ad an. 1014. §. XVI.

Digitized by Google

quarum Abbates aſſiſtebant Pontifici Maximo, quum in baſilica Lateranenſi Sacra conficeret; quarumque catalogum contexuerunt Petrus Mallius (7), Joannes Diaconus (8), Panvinius (9), & ipſemet Baronius (10), qui Abbatiam *S. Mariae in Aventino* recenſet ordine tertiam, & SS. ALEXII & BONIFACII ordine quintam, quam alii quarto loco connumerant. Quum ergo geminae hae fuerint & diſtinctae Abbatiae, noſtrumque Coenobium non in Alberici paterna domo, ſed in aedibus Euphemiani verius conditum ſit; aliunde repetendus eſt ejuſdem auctor, ac Monaſterii ſeu Abbatiae inſtitutor.

Is procul dubio Sergius fuit Damaſcenus Epiſcopus, quem, ut Capite praecedenti innuimus, a Saracenis e ſua Sede dejectum, Benedictus PP. VII. Romae benigne excepit; eique Anno Domini 977. Templum & Coenobium SS. BONIFACII & ALEXII incolendum tradidit: quod Sergii ejuſdem opera & ſtudio inſtauratum, atque in ſplendidiorem formam redactum fuiſſe, praeſefert ſepulcralis ejuſdem Sergii Epigraphes, quae candido inſculpta marmore etiamnum, paucis tantum characteribus attritis, in eodem Templo legitur, hiſce verſibus exarata:



(7) Apud Mabillon. Muſeum Italicum tom. 2. pag. 160.
(8) Ibidem pag. 574.
(9) Panvinius de ſeptem Urbis Eccleſiis pag. 181.
(10) Baron. Annal. tom. xi. pag. 243. edit. Antuerpiae.

* SERGIVS HIC RECVBAT METROPOLITA SEPVLTVS
QVI QVONDAM FVERAT DAMASCI TEMPORE LONGO:
NVMINE PERDVCTVS AD SACRI CVLMINA PETRI:
TEMPORIBVS PII BENEDICTI PRAESVLIS ALMI:
MARTYRIS HOC TEMPLVM CESSIT MONACHOSQ LOCAVIT:
COENOVIVM SCI BENEDICTI CONDIDIT HICCE
PRIMO QVI STATVIT NRAE CERTAMINA VITAE
QVATVOR HIC ANNOS VIXIT SVB TRAMITE RECTO.
ANN. DNIC INCARNAT DCCCCLXXXI. INDIC. VIIII.
IN PACE III IDVS NOVEMBER ( VIX. AN. LXXIIII.

C. ☧. R.

Epigraphen hanc deſcripſerunt Baronius (11), Oldoinus (12), aliique, ſed ab autographo aliquantulum diſcrepantem, ut cuique manifeſtum fiet, qui cum illa, quam ipſi afferunt, noſtram hanc, ad lapidis fidem exactam, conferre voluerit. Prae aliis autem haec duo notare praeſtat: *vocavit* pro *locavit*, *ipſe* pro *hicce*, nempe, *Monachoſque vocavit*: *Coenobium Sancti Benedicti condidit ipſe*, quum in lapide ipſo legatur: *Monachoſque locavit*: *Coenovium S. Benedicti condidit hicce*: quae ſatis aperte innuunt, Sergium Damaſcenum Epiſcopum Monaſterium iſtud condidiſſe, ſcilicet conſtruxiſſe, inſtauraſſe, in eoque Monachos collocaſſe, exaedificatis nimirum loculis, loculamentis, cellis, ad ampliorem Coenobitarum commoditatem. *Condere* enim nil aliud hic innuere videtur, quam aedificare, quo in ſenſu etiam a Tullio uſurpatur,

tur,

(11) Baron. ad ann. 977.
(12) In additionibus ad Ciacconium, ubi de Benedicto VII. qui dictus eſt VIII.

Digitized by Google

tur: *qui Vrbes condiderunt* (13), *Romulus qui hanc Vrbem condidit* (14), *qui Vrbem illam condidiſſe dicitur* (15), & alia hujuſmodi. Sergius itaque Coenobium noſtrum *condidit*, *Monachoſque locavit*: cujus rei meminerunt Scriptores plerique, qui de rebus geſtis Benedicti Papae VII. tractarunt; quorum primus B. Petrus Damiani in Epiſtola ſeu Opuſculo IX. ad Nicolaum Papam II. ait: *Sergius etiam Metropolita Damaſci, non inconvenienter his poſſet adnecti, qui Eccleſiam ſuam pro Chriſti amore deſeruit, & Romam peregrinus advenit; reperienſque DD. BONIFACII & ALEXII Baſilicam ſacerdotalibus pene officiis deſtitutam, Benedictum Romanae Sedis Antiſtitem adiit; atque ut ſibi monaſterialem ibi permitteret regulam conſtituere, precibus impetravit: ubi nimirum longo poſt tempore religioſe degens, vitam finivit*. Baronius item ad Annum Dom. 977. haec habet: „ Benedictus Papa Sergio Damaſci Epi„ ſcopo *Eccleſiam S. BONIFACII ſive ALEXII* tradi„ dit colendam, in qua ipſe collegit Monachos, & ob„ ſervantia monaſtica reſtituta, ubi annos quatuor illic „ egiſſet, ſancto fine quievit . . . Porro, tanto au„ ctore & inſtitutore, factus eſt locus ille Domicilium „ Sanctorum Virorum illuc accedentium & profici„ ſcentium „. His accedit Auguſtinus Oldoinus, qui ubi Ciacconii Opus perſequens Benedicti PP. VIII. qui VII. dicitur, res geſtas enarrat, ait, quod Benedictus Romanus Pontifex renunciatus anno 975. „ Sergium „ Damaſcenum Epiſcopum, a Saracenis ejectum, Ro„ mae benigne excepit; eique *Eccleſiam S. ALEXII* co-

(13) Cicero de Divinatione.
(14) Idem III. in Catilinam.
(15) Idem in C. Verrem.

Digitized by Google

„ colendam tradidit, in qua ipſe Monachos collegit, & „ obſervantia monaſtica reſtituta, ubi annos quatuor „ illic degiſſet, ſancto fine quievit: ad cujus ſepul- „ crum in eadem Eccleſia, inſcriptio eſt his verſibus „ inciſa: *Sergius hic recubat &c.*

Sed audiamus Mabillonium de Hiſtoria Monaſtica optime meritum, qui hujus Abbatiae inſtitutionem a Sergio Damaſceno factam ſic memorat (16): „ Benedictus VII. initio ſui Pontificatus Sergium Damaſci „ Metropolitam, a Saracenis pulſum, Romae excepit; „ eique tradidit *Baſilicam SS. BONIFACII & ALEXII*, „ quam Sergius in Monaſterium convertit ſub regula „ S. Benedicti „. Baſilicam in Monaſterium converſam tradunt etiam Bollandiani continuatores in Commentario praevio ad Acta S. ALEXII (17): de cujus Eccleſia in Aventino, ibidem verba facientes referunt, quod Benedictus Papa VII. Sergio Damaſceno Metropolitae, a Saracenis pulſo, Romaeque excepto, hanc Eccleſiam incolendam tradidit, *quam Sergius in Monaſterium convertit ſub regula S. Benedicti*. Verum non de Baſilica, ſed de Coenobio S. ALEXII, quod Sergius in Monaſterium ſeu Abbatiam convertit, Doctiſſimos Auctores intelligendos jam nullus eſt dubitandi locus. Stat enim ad noſtros uſque dies vetus Baſilica, pluries licet inſtaurata, quam Benedictus Papa VII. Sergio indulſit, non ut in Monaſterium converteret, ſed *ut monaſterialem ibi regulam conſtitueret*, ut ait ſaepe laudatus B. Petrus Damiani: cui aſſentiuntur nonmodo memorati Baronius & Oldoinus, ſed etiam Surius

(16) Annal. Ord. Bened. tom. 3. lib. 48.

(17) Bolland. Acta Sanctorum ad diem 17. Julii §.iii.

rius (18), Lippomanus, aliique omnes, qui hujus facti meminerunt; quorum teſtimonia in re compertiſſima hic recitare ſupervacaneum arbitror. His tamen addere liceat, quae refert Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica (19) ſaeculi X. ubi de Benedicto Papa VII. agens, non ſilet, quod Sergium Metropolitam Damaſcenum, a Saracenis ejectum, humaniſſime excepit; *eique BONIFACII & ALEXII Baſilicam conceſſit, quam cum Monachis coleret*, nimirum & una cum Graecis illis incoleret, quos Damaſco forte ſecum adduxerat, dum Saracenorum eluvies illuc erupiſſet; & una cum Latinis aliis, ſive quos ſubinde convocavit & collegit; ſive quos ibidem adinvenit, atque ad veterem diſciplinam monaſticam reſtituit. Neque enim affirmare dubito, paucos ibi fuiſſe ante Sergii adventum monaſticam vitam agentes, in quorum profecto numero habendus eſt *Creſcentius Eximius Civis Romanus, Dux quoque Magnus*, qui Monachus *jam ante annos duodecim* legitur in ſepulcrali ejuſdem Epigraphe, quam inferius producemus Cap. IX. §. 2.

Cui autem Familiae adſcribendum ſit utrumque Monachorum genus a Sergio collectum, atque ad monaſticam diſciplinam revocatum, abunde colligitur ex Actis S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi & Martyris, qui in hoc eodem Coenobio ſub idem ferme tempus vitam monaſticam egit quinquennium, ut deinceps oſtendemus. Ibi enim Adalberti ſancta conſuetudo atque familiaritas noſtris cum illis Monachis ſic deſcribitur: *uſus vero ſibi maximus erat colloquia quaerere ſpiritualium*

(18) Surius tom. 4. Lippomanus tom. 7.

(19) Nat. Alex. tom. ix. Hiſt. Eccl. ſaec. IX. & X. cap. 1. art. 23. num. 3.

Digitized by Google

*lium & ſeniorum, qui crebro illuc pro caritate Abbatis plures confluxerunt. Graeci, inquam, optimi veniunt, Latini ſimiles militaverunt: ſuperioribus Pius Baſilius, inferioribus Magnus Benedictus Dux ſive Rex erat &c.* quibus ex verbis facile ſibi quiſque perſuadebit, utrumque vitae inſtitutum Beatorum Baſilii & Benedicti tunc in noſtro Monaſterio ſervatum fuiſſe: neque aliud ſignificare videtur Scriptor rerum ab Adalberto geſtarum Monachus ſane coaevus, eidem Coenobio Sancti ALEXII addictus (quod infra probabimus), dum Baſilium ſimul & Benedictum appellat Patrem ſuum, nimirum Cap. 3. num. 15. de Baſilianis ait: *Hi vero omnes propriis manibus victum quaerentes, ſecundum Regulam S. Patris noſtri Baſilii caeleſtibus deſideriis innituntur*; Capite autem V. num. 25. de S. Adalberti peregrinationibus loquens, ſubdit: *Nec praeteriit Floriacum, quae Beatiſſimum Confeſſoris Corpus Patris Benedicti ſuo gremio collocare meruit*. Si igitur uterque Sanctus Baſilius & Benedictus Patris nomine nuncupabatur a Monachis S. ALEXII, utriuſque leges & inſtitutum ibidem tunc viguiſſe, minime alienum videtur ut arbitremur. Quare Baronius ex Surio recenſens Monachos octo ſanctitate celebres, per idem tempus Monaſterium S. ALEXII incolentes, quos ipſe vocat Abbates, Graecos quatuor, & totidem Latinos fuiſſe narrat: hos quidem Benedictinos credere par eſt; illos Baſilianos, qui perturbatum Orientalis Eccleſiae ſtatum relinquentes, ad Monaſterium SS. BONIFACII & ALEXII tanquam ad portum confugerunt. Et quidem Graecos Monachos Latinis permixtos vixiſſe in hoc eodem Romano Coenobio fatetur

ipſe

Digitized by Google

ipſe etiam Mabillonius (20); idque conſtare ait ex Vita S. Adalberti: utrumque vero inſtitutum ibidem viguiſſe Baſilii & Benedicti, clarius affirmant Bollandiani continuatores (21) ſive in Commentario praevio ad Acta S. Adalberti, ubi hunc, abdicato Epiſcopatu, ſemel iterumque monaſticam vitam noſtro in Coenobio egiſſe referentes, ajunt: *in quo Graeci ſimul & Latini militabant: illi ſecundum Regulam S. Baſilii; iſti ex praeſcripto Sancti Benedicti*; ſive etiam in Commentario praevio ad Acta S. BONIFACII Martyris (22), ubi iterum ferunt, Adalbertum hic vixiſſe *inter Monachos Baſilianos & Benedictinos, ſingulos ſecundum ritus ſuos degentes*.

Quod autem addunt Eruditiſſimi Collectores, *ſolos Benedictinos locum obtinuiſſe uſque ad ſaeculi XV. initium, quando a Summis Pontificibus illum ſuis Monachis Ordinis S. Hieronymi viventibus*, impetravit Ven. Vir Lupus de Olmedo, id illud quidem eſt, quod emendandum jure duxerunt Actorum Continuatores ad diem 17. Julii; nam inter Benedictinos & Hieronymianos interjectos fuiſſe Canonicos Praemonſtratenſes docet Bulla Gregorii PP. IX. quam Capite XVI. afferemus: veruntamen haud inveriſimile arbitror, ſolos Monachos Benedictinos, jam inde ab exeunte ſaeculo X. aut XI. ineunte, Monaſterium illud retinuiſſe uſque ad tempora Gregorii PP. IX. nam de Graecis ſeu Baſilianis nulla uſquam, quod ſciam, mentio amplius occurrit, illis exceptis, quos habuit comites vel itineris



(20) Mabillon. Annal. Bened. to.3. lib.48. ad an.975.

(21) Bolland. Acta SS. die 23. Aprilis in Vita S. Adalberti, ſeu in ejuſdem Commentario praevio §. 2. num. 8.

(22) Bolland. Acta SS. ad diem 14. Maji in Vita S. Bonifacii.

neris vel Inſtituti ſui Sergius Damaſcenus ejuſdem Monaſterii conditor & inſtaurator; *quo auctore & inſtitutore*, ut Baronii verbis utar, *factus eſt locus ille Domicilium Sanctorum Virorum, illuc accedentium & proficiſcentium*.

Et ex eo ſane tempore magnam hoc Coenobium habuit celebritatem nominis, praeſertim vero Leone Abbate, qui Sergii ſucceſſor & Apoſtolicae Sedis in Gallias Legatus fuit (23): quinimmo inter veteres privilegiatas, quas vocant, viginti Romanas Abbatias quartum locum obtinebat, ut liquet ex illarum catalogo, quem hic afferendum exiſtimavimus, eorum commodo, ſi qui ſunt harum rerum percurioſi. Decerptus eſt ex libro Joannis Diaconi (24) de Eccleſia Lateranenſi, qui §. 16. poſt enumeratas octodecim Diaconias, viginti Urbis Abbatias ſic deſcribit.

*ABBATIAE SUNT ISTAE.*

1. *S. Caeſarii in Palatio.*
2. *S. Gregorii in Clivo Scauri, ibi eſt Caput Brachii S. Andreae Apoſtoli.*
3. *S. Mariae in Aventino, ibi eſt de Corpore S. Savini Epiſcopi.*
4. *S. ALEXII, UBI EST CORPUS EJUS ET S. BONIFACII MARTYRIS.*
5. *SS. Priſcae & Aquilae, ubi ſunt Corpora eorum partim.*
6. *S. Sabae Cellae novae, ubi eſt Corpus S. Tiburtii Martyris.*
7. *S. Pancratii in via Aurelia.*

8. In-

(23) Vide infra Cap. ix. §. 3. de Leone Abbate.

(24) Apud Mabillon. Muſ. Ital. to. 2. in appendice Ordinis Rom. p. 574.

8. *Infra Urbem Ravennantium Tranſtyberim SS. Coſmae & Damiani in vico Aureo.*

9. *S. Silveſtri inter duos hortos, quam aedificavit Dionyſius Papa, qui & ibi requieſcit.*

10. *S. Mariae in Capitolio, ubi eſt Ara Filii Dei.*

11. *S. Baſilii juxta palatium Trajani Imperatoris.*

12. *S. Agathae Virginis, quae eſt Suburrae monte.*

13. *S. Laurentii in Paniſperna, ubi fuit poſitus in craticula.*

14. *S. Thomae juxta formam Claudiam.*

15. *S. Blaſii inter Tyberim & pontem S. Petri.*

16. *Sanctae Trinitatis Scottorum.*

17. *Sancti Valentini juxta pontem.*

18. *S. Mariae in Caſtro Aureo.*

19. *S. Mariae in Pallara, ubi fuit ſagittatus Sanctus Sebaſtianus.*

20. *Sanctae Mariae in Monaſterio juxta S. Petrum ad Vincula.*

Hujuſmodi viginti Abbatiae deſcribuntur etiam a Petro Mallio (25) in libro ad Alexandrum III. Summum Pontificem, & ab Onuphrio Panvinio de ſeptem Urbis Eccleſiis; ac utrobique quarto loco recenſetur *Abbas S. ALEXII, ubi eſt Corpus ejus & S. BONIFACII Martyris*, quamvis Baronius (26) praeponat Abbatiam S. Sabini Epiſcopi, quae nuſquam fuit. Ejuſdem autem Sabini Cineres ſervabantur in eccleſia S. Mariae in Aventino; iccirco nullus dubito, quin Abbas Sancti ALEXII reliquis ſexdecim Urbis Abbatibus honoris loco eſſet ſuperior, quum una ſimul publicis eccleſiaſticis officiis intereſſent. Illud vero praeſertim mu-



(25) Apud Mabillon. ibidem p. 160. Vid. etiam Caſimir. Mem. Iſtorich. d' Araceli cap. 2. pag. 10. & ſeqq.

(26) Baron. Annal. tom. XI.

nus Abbatibus incumbebat, ut convenirent in eccleſiam S. Joannis Laterani tempore Stationum, quas vocant (27), pluries ibi in ſingulos annos recurrentium, ibidemque Summo Pontifici aſtarent, quum ſolemniter coram Epiſcopis, Cardinalibus, & univerſo Clero Divina Myſteria celebraret; atque etiam publicis Supplicationibus intereſſent, ſive quando pro Coronatione Romani Pontificis a templo Vaticano ad S. Joannis Laterani baſilicam, ſive quando ex hac ad illud (28) procedendum erat die ſacra Divo Marco Euangeliſtae: qua die de oblationibus Altaris vigintiquinque libras argenti *in presbyterium* erogare moris erat; & Monaſterio S. ALEXII presbyterium trium ſolidorum diſtribuebatur, quum pleriſque aliis eccleſiis (Patriarchalibus exceptis) duo ſolidi dumtaxat, aut ſolidorum denarii tantum impertirentur: quae omnia leguntur in Ordine Romano, Auctore Cencio Camerario (29).

Quoniam vero Baronius de hoc celebri Monaſterio verba faciens, *Coloniam Sanctorum* appellat, *ubi, qui ſaeculo decimo floruerunt, ſanctitate viri celebres habitarunt* (30); iccirco de hujuſmodi Sanctis Viris nunc ſermo inſtituendus eſt.

CA-

(27) Panvinius de ſeptem Urbis Eccleſiis.

(28) Ordo Proceſſionis legitur apud Mabillonium in Muſeo Italico tom.2. pag.259. his verbis deſcriptus in Ordine Romano XIV. I. praecedit equus Domini Papae phaleratus. II. vadit Subdiaconus cum Cruce. III. duodecim Bandonarii cum duodecim vexillis. IV. Praefecti Navales. V. Scriniarii. VI. Advocati. VII. Judices. VIII. Cantores. IX. Diaconi, qui legunt Epiſtolam & Euangelium in Graeco. X. Abbates Forenſes. XI. Epiſcopi. XII. Archiepiſcopi. XIII. Abbates Urbis. XIV. Patriarchae & Epiſcopi Cardinales. XV. Presbyteri Cardinales. XVI. Diaconi Cardinales. XVII. Dominus Papa ſic venit proceſſionaliter uſque ad Lateranum.

(29) Apud Mabillon. Muſ. Ital. tom. 2.

(30) Baron. ad an.990. §.IV.

Digitized by Google

# CAPUT IX.

## *Coenobii Abbates & Viri Illuſtres ſaeculo X.*

ANtiquus ille Scriptor (1) rerum geſtarum a Sancto Adalberto Pragenſi Epiſcopo & Martyre, quem noſtro hoc in Romano Coenobio SS. BONIFACII & ALEXII ſemel atque iterum monaſticam vitam egiſſe paullo poſt (2) dicemus, is Auctor, quicunque tandem fuit (nomen enim ignoramus), ſeniores quoſdam hujus ejuſdem Monaſterii Monachos doctrina & ſanctitate illuſtres memorat, cum Graecos, tum Latinos, quorum ſuaviſſima conſuetudine colloquutionibuſque rerum divinarum ita rapiebatur optimus Antiſtes, ut jam non cum hominibus, ſed cum Superis vitam agere vide-

(1) Antiquum dicimus, non antiquiorem; nam S. Adalbertus Pragenſis plures Vitae ſuae Scriptores ſortitus eſt, quorum primus res ab eo praeclare geſtas paullo poſt ejus mortem litteris commendavit. Is erat Monachus SS. BONIFACII & ALEXII, ut ex eadem Vita liquet, & ex dicendis §.4. magis patebit. Scribebat, imperante Ottone III. ut ipſemet teſtatur his verbis: *erat ipſis diebus Romae Imperatrix Theophania mater ejus, qui modo regnat, Tertius, &, Deo juvante, Maximus Otto &c.* Is ab ſe viſa commemorat: unde perperam haec Vita tribuitur ab aliquibus Coſmae Pragenſi, qui vivebat ſaeculo XII. Vide Mabillon. Acta SS. tom. 7. & Bolland. Acta SS. die 23. Aprilis.

Scriptor alter itidem antiquus & anonymus Vitam S. Adalberti ſcripſit, regnante S. Henrico, poſtmodum Imperatore. Hic pariter Adalbertum viderat, vel certe comitibus ejus familiariter advixerat Romae, Monachus SS. BONIFACII & ALEXII, ut probant Mabillonius & Henſchenius loco laudato.

Tertius Scriptor ab aliquibus creditur Gerbertus, hoc eſt Silveſter Papa II. cujus libellum Bzovius vulgavit; ſed ipſiſſima eſt Auctoris primi lucubratio, quae forſan, hortatore Silveſtro Pontifice, inchoata, ejuſdem nomini inſcripta, eum habere Auctorem falſo credita eſt. Alia Adalberti Acta referunt Bollandiani continuatores, quos vide ad diem 23. Aprilis.

(2) Vide infra §.IV. de S. Adalberto.

videretur: en Auctoris verba (3): *Uſus ſibi* (ſcilicet Adalberto) *maximus erat colloquia quaerere ſpiritualium & ſeniorum, qui crebro illuc* (4) *pro caritate Abbatis plures confluxerant: Graeci optimi, Latini ſimiles militarunt .... inter quos medius incedens, Deum ſitiens Adalbertus, verba vitae ſumit, & glutit; raptuſque in altum cum fratribus contemplatur dulcem Dominum. Oh quantoties obortis lacrymis memini dicentem .... ubi ſunt margaritae meae, ubi ſunt cibi animi mei? quum convenirent ſancti viri, pluebant ibi ſermones Dei &c.*

Quinam fuerint inſignes hujuſmodi Viri ſanctitate celebres, ſeu quibus nominibus vocarentur, nequaquam ſiluit idem Scriptor; ex quo diſcimus, quod quatuor Graeci appellabantur Gregorius Abbas, Pater Nilus, Joannes Bonus, & Simplex Stratus; Latini vero Joannes Sapiens, Theodorus Silens, Joannes Innocens, & Leo Simplex: *hoc Gregorius Abba: hoc erat Pater Nilus: hoc Joannes Bonus Infirmus: hoc Simplex Stratus, & ſuper terram Angelus unus: hoc ex donis majoribus Dei Sapiens Joannes: hoc Silens Theodorus: hoc Joannes Innocens: hoc Simplex Leo, pſalmorum amicus, & ſemper praedicare paratus* (5). Singulos hoſce Monachos pietate illuſtres in Abbatum numerum reponendos exiſtimavit Baronius (6), quatuor Graecos, toti-

(3) Ex cap. 4. num. 17. Vitae ſecundae S. Adalberti apud Bolland. Acta SS. die 23. Aprilis.

(4) Illuc, ſcilicet in Coenobium S. nctorum BONIFACII & ALEXII, ut legitur in eadem Vita cap. 3. num. 13. *ad S. BONIFACIUM monachalem veſtem accepit: ſub Abbate, Regula duce, militavit.*

(5) Ex eadem Vita cap. 4. num. 17.

(6) Baronius ad ann. 990. §. iv. haec habet: *Quinam fuerint octo inſignes Abbates, quatuor Graeci, & totidem Latini, ſanctitate celebres, iiſdem aperit verbis*: hoc faciebat Gregorius Abba: hoc Pater Nilus &c. ut ſupra.

Digitized by Google

totidemque Latinos: cujus ſententiam fidenter nimis ſequuti ſunt non modo Severanus, aliique, qui de Urbis Eccleſiis verba fecerunt, ſed etiam Bollandiani collectores (7), quin tamen rem penitius introſpicerent, atque inveſtigarent, ut ex dicendis (8) palam fiet. Incredibile enim eſt, octo una ſimul Abbates, iis potiſſimum temporibus, unius Monaſterii fuiſſe; quum ipſemet Scriptor ex illis octo, non niſi Gregorio Abbatis tribuat nomen, reliquos tantum *confluentes* ſeu convenientes ad Abbatem, non Abbates nominet. Quamvis autem *Leo Simplex*, *pſalmorum amicus* idem videatur cum Leone, qui fuit Abbas Nonantulanus; quique, ut infra dicemus (9), teſte B. Petro Damiani (10), *apud S. BONIFACIUM intra Romana moenia, quod ſibi vitae reſiduum fuit, feliciter conſumavit*; perperam a Baronio confunditur cum Leone Abbate Alexiani Coenobii, a quo inter Monachos Beatum Adalbertum receptum fuiſſe videbimus.

Verum, ut Clariores Monachos, qui ſaeculo X. Coenobium S. ALEXII illuſtrarunt, ſic ut ordo temporum fert, diſtinguamus, primum de Sergio Damaſceno, de quo plura dixi ſupra, paucis agendum, mox de aliis, nempe de Creſcentio, antea praepotenti Romanorum Duce, poſtmodum Monacho, de Leone Abbate Monaſterii S. ALEXII, de S. Adalberto Pragenſi,

de

(7) Bolland. Acta SS. die 17. Julii in Commentario praevio ad Acta S. ALEXII §. 3. recitatis Baronii verbis; *erat plane in Urbe locus ille Sanctorum Colonia*, mox ſubdit: *ut omittam Abbates octo ſanctitate inſignes, Graecos quatuor, ac totidem Latinos, in eodem loco partim a Monachis Baſilianis, partim a Benedictinis, ſuo ſingulis Inſtituto viventibus, inhabitata*:

(8) Vide §. III. de Leone Abbate, & §. VII. de Leone Simplici.

(9) §. VII. de Leone, qui fuit Abbas Nonantulanus.

(10) B. Petrus Damiani in Epiſtol. ad Nicolaum Papam II. cap. xi.

Digitized by Google

de S. Gaudentio ejuſdem fratre, de Patre Nilo, de Leone Simplici, de S. Anaſtaſio & quinque ejuſdem Sociis, ac demum de Joanne Canapario & Francone, ſingulis Alexiani Coenobii Monachis, ſigillatim ſermonem inſtituemus. Sit itaque

## §. I.

### *De Sergio Damaſceno.*

INter Viros Illuſtres hujus Coenobii, primum ſane locum obtinet Sergius Damaſcenus, quem Monaſterii auctorem, inſtitutorem, aut ſaltem reſtitutorem veriſſime poſſumus appellare. Etſi autem rerum ab eodem praeclare geſtarum vix quidquam amplius memoriae proditum eſt praeter ea, quae collegimus ſupra (1) & ex inſcriptione ipſius ſepulcrali, & ex Beati Petri Damiani monumentis; tamen hic duo animadvertenda ducimus, quae de anno ipſo, quo ille obiit, Doctiſſimis Viris Mabillonio & Lequien, diverſe quidem opinantibus, haud ſatis explorata fuerunt. Nam anno 977. Sergium Damaſcenum ſupremum diem obiiſſe affirmat Mabillonius in Obſervationibus praeviis ad Vitam S. Adalberti Pragenſis, ubi de Coenobio noſtro verba faciens haec habet (2): „ Porro in illo Sanctorum BONIFACII & ALEXII Monaſterio Romano, quod in Aventino monte ſitum erat, Sergius „ Metropolita Damaſcenus ſedem habuit ex conceſ„ ſione Benedicti VII. eoque Monachos collegit, ut le-

(1) Cap. VIII. pag. 68. & 69.

(2) Vide Mabillon. Acta SS. Ord. S. Benedicti ſaeculo V. ad diem 23. Aprilis in Obſervationibus praeviis ad Vitam S. Adalberti num. 5.

Digitized by Google

„ legitur in ipſius Epitaphio apud Baronium ad ann.
„ 977. quo ejuſdem obitus accidit. Sed quod mirere,
„ non Graecos homo Graecus, ſed Latinos ibi inſtituit
„ Monachos, aut certe quicunque illi fuerint Regu-
„ lae Benedictinae ſervantes &c „: haec ille. Verum,
ut praeteream utrique Beatorum Baſilii & Benedicti Inſtituto in eodem Coenobio una ſimul locum fuiſſe, atque Graecos Monachos Latinis permixtos ibidem vixiſſe, ut nec ipſe Mabillonius diffitetur in Annalibus (3), quemadmodum Cap. VIII. pag. 73. jam diximus; illud ſane falſum eſt, quod ejuſdem *obitus acciderit ann. 977. ut legitur in ipſius Epitaphio apud Baronium*. Enimvero nec Baronius nec Epitaphium illud Sergii obitum ſtatuunt Anno Domini 977. ſed A. D. 981. ut ex ipſo Epitaphio patet, quod (4) ſuperius adduximus. Id autem non ideo in medium attulimus, ut quidquam de tanti Viri doctrinae atque eruditionis opinione detrahatur, ſed ut intelligatur aliquando, quum antiquas res praeſertim domeſticas inquirendas ſuſcepimus, haud nimis apud nos alieni judicii auctoritatem valere oportere. Neque enim negari poteſt, hac in re lapſos eſſe Summos Viros nedum Mabillonium, ſed & Lequienum; nam hic eo in libro (5), qui Oriens Chriſtianus inſcribitur, ubi de Eccleſia Damaſci Metropoli agit, ſilentio haud praeterit ejuſdem Antiſtitem Sergium, de quo ex Petro Damiani plura transferens narrat, quod „ Eccleſiam ſuam pro Chriſti amore deſeruit,
„ & Romam peregrinus advenit; reperienſque Divo-
„ rum BONIFACII & ALEXII Baſilicam ſacer-

L do-

(3) Mabillon. Annal. Benedict. tom. III. lib. 48. ad ann. 975.

(4) Vide ſupra Cap. VIII. pag. 68. ubi legitur Epitaphium Sergii.

(5) Lequien Oriens Chriſtian. to. 2. num. xiii. pag. 837.

„ dotalibus pene officiis deſtitutam, Benedictum Ro-
„ manae Sedis Antiſtitem adiit; atque, ut ſibi monaſte-
„ rialem ibi permitteret regulam conſtituere, preci-
„ bus impetravit, ubi nimirum longo poſt tempore
„ religioſe degens, vitam finivit „. Haec autem omnia non ad Pontificatum Benedicti VII. ſed potius Benedicti IX. atque adeo ad annum trigeſimumtertium ſupra milleſimum referenda putat, ibidem ſubdens:
„ Haec ad Benedicti IX. tempora videntur ſpectare,
„ qui nempe anno 1033. Romanum Pontificatum iniit,
„ quum Damianus monachum nondum induiſſet. In
„ Chronologico Canone, qui in capite Juris Romani
„ exſtat, ad annum 1021. legitur Sergius Metropo-
„ lita Damaſci „. Sed huic, Doctiſſimi ceteroquin Viri, opinioni vel errori potius reclamant non modo Auctores omnes, quotquot Sergii noſtri meminerunt, B. Petrus Damiani, Baronius, Ciacconius, Oldoinus, uterque Pagius, Mabillonius, aliique, quorum teſtimonia ſupra (6) attulimus, ſed ipſa Sergii ſepulcro inſcripta Epigraphes, temporis, quo mortuus eſt, veriſſima omnium teſtis. Quid igitur de Sergio illo Metropolita Damaſci, qui *in capite Juris Romani ad annum* 1021. *legitur*? Equidem non vereor dicere fuiſſe alium, illiuſque Eccleſiae Antiſtitem eodem nomine; propterea quod nimis longo annorum intervallo diſtat a Sergio noſtro, qui A.D. 975. a Saracenis e ſua Sede deturbatus, Romam veniens, Baſilicam SS. BONIFACII & ALEXII obtinuit A.D. 977. quam cum Monachis incoleret: ad cujus Sergii laudem ac decus ſempiternum, magni quidem intereſſe arbitror, quod, eo *auctore atque inſti-*

*tuto-*

(6) Supra Cap. VIII. pag. 69. 70. & 71.

Digitized by Google

*tutore, locus iſte*, ut Baronii verba uſurpem, *factus eſt Domicilium Sanctorum Virorum huc accedentium & proficiſcentium*.

## §. II.

### *De Creſcentio Romanorum Duce, & poſtea Monacho* SS. BONIFACII & ALEXII.

MOnaſticum Inſtitutum in Coenobio Alexiano viguiſſe, vel priuſquam Sergius Damaſcenus illud adminiſtrandum ſuſciperet, haud levem ſuſpicionem affert Epitaphium Creſcentii, praepotentis olim Romani Ducis, qui *ab omni ſpe mundi lapſus, ad limina Sancti Martyris BONIFACII ſe Domino tradidit, & habitum Monachorum adeptus, obiit die ſeptima Julii anni 984.* C. R. *M.* puta, cum Regula Monachorum, *jam ante annos duodecim*. Si enim ab anno 984. quo plane ille mortuus eſt, duodecim Monachatus annos ſubducamus; jam liquido apparet, Creſcentium in Monachorum numerum admiſſum fuiſſe anno 972. hoc eſt, anno quinto antequam illuc veniſſet Damaſci Antiſtes Sergius, qui anno dumtaxat 977. *Baſilicam ſacerdotalibus pene officiis deſtitutam obtinuit*, B. Petro Damiani teſte. Quid quod ab ipſa dicendi ratione, qua Petrus idem utitur, ad conjecturam revocamur, non *omnino*, ſed *pene* deſtitutam ſacerdotalibus officiis fuiſſe Baſilicam S. ALEXII, in qua Monachi divinis officiis vacarent perpauci quidem numero, at vacarent tamen? Sed vetuſtas temporis, ut horum Monachorum, ita fortaſſe Creſcentii memoriam oblivione



Digitized by Google

obruiſſet, niſi haberemus Epigraphen ejus ſepulcralem, quae marmoreo inſculpta lapide apud nos exſtat, & hujuſmodi eſt:

✠ CORPORE HIC RECVBAT CRESCENTIVS INCLI
TVS ECCE :. EXIMIVS CIVIS ROMANVS
DVX QVOQ: MAGNVS :. EX MAGNIS MAGNA
PROLES GENERATVR ET ALTA : IOH PATRE
THEODORA MATRE NITESCENS :
QVEM XPS ANIMARV AMANS MEDICVSQ: PERITVS :
CORRIPVIT LANGORE PIO LONGEVO VT AB OMI
SPE MVNDI LAPSVS PROSTRATVS LIMINA SCI
MARTIRIS INVICTI BONIFATII AMPLEXVS ET
ILLIC : SE DNO TRADIDIT HABITV MONACHO
RVM ADEPTVS : QVOD TEMPLVM DONIS
*Amplis* DITAVIT ET AGRIS .
*Hic omnis quicunque legis rogitare memento,*
*Ut tandem ſcelerum veniam mereatur habere.*
*Et obiit die VII. Mens. Jul. Ann. Dominic. Incarn.*
DCCCCLXXXIV. *C. R. M. jam ante annos duodecim.*

Poſtremos hujus Epitaphii verſus, qui temporum injuria perierunt, ſupplevimus ex Baronio (1), qui illud jam pridem deſcripſerat, ut inquit, *pene attritum veſtigiis, & vetuſtate conſumptum*. Ipſe namque ad ann. 996. §. XI. de tribus Creſcentiis nobilibus viris, Romae ſub finem X. ſaeculi, potentia opibuſque florentibus agens, Creſcentii Monachi noſtri ſic meminit: „ Creſcentii alterius ejus nominis Ducis, qui hoc „ pariter ſaeculo in Urbe claruit, & honeſto ſanctoque fine diem clauſit extremum, hic deſcribendum puta-

(1) Baron. Annal. Eccleſiaſt. ad annum 996. §. xi.

Digitized by Google

„ putavimus Epitaphium, quod in Eccleſia S. BONI-
„ FACII in Aventino monte poſita, dicta alio nomine
„ Sancti ALEXII, ex Abbatia (2) converſa in Titulum
„ Cardinalium, in pavimentum deſcriptum legitur,
„ jam pene attritum veſtigiis, & vetuſtate conſumptum:
„ *Corpore hic recubat Creſcentius Inclytus ecce* &c. „
Poſt recitatum autem Epitaphium, idem Baronius addit ſibi videri, quod Creſcentius ideo dicatur *Joanne patre, Theodora matre niteſcens*; quia ortus fuerit Joanne & Theodora parentibus illis, quorum meminit Luitprandus (3): „ quod autem iſte Joannis &
„ Theodorae aſſeritur filius, in mentem veniunt
„ Joannes & Theodora illi, de quibus Luitprandus
„ agit: nomina conſentiunt, atque tempora, necnon
„ potentia, qua in Urbe pollebant „. Porro quid de Joanne & Theodora Luitprandus ſatyrice nimium ſcripſerit, ſatis conſtat ex lib. 2. cap. 13. cujus haec ſunt verba, quae Baronius ipſe recitat ad ann. 908. ſ. V.
„ Theodora ſcortum impudens . . . Romanae civi-
„ tatis non inviriliter Monarchiam detinebat, quae
„ duas habuit natas Maroziam atque Theodoram, ſibi
„ non ſolum aequales, verum etiam Veneris exortivo
„ promptiores. Harum una Marozia ex Papa Sergio
„ Joannem, qui poſt Joannis Ravennatis obitum San-
„ ctae Romanae Eccleſiae obtinuit Dignitatem, nefa-

rio

(2) Nempe Sixtus Papa V. Eccleſiam S. ALEXII recenſuit inter Titulos S. R. E. Presbyterorum Cardinalium; ut in ejuſdem Conſtitutione num. 81. in Bullario Romano, data apud S. Petrum die 24. Apr. an. 1587. quae incipit: *Religioſa &c.*

(3) Luitprandus primum Diaconus Ticinenſis, demum Epiſcopus Cremonenſis, Hiſtoriarum ſui temporis libros ſex ſcripſit, quos legere eſt apud Muratorium Rer. Ital. Script. tom. 2.

Digitized by Google

„ rio genuit adulterio . . . Theodora, ut teſtatur „ Vita ejus, meretrix impudentiſſima, Veneris calore ſuccenſa, in hujus ( Joannis ſcilicet Ravennatis Epiſcopi, antequam Pontifex crearetur hujus nominis X.) ſpeciei decorem vehementer exarſit; ſecumque hunc ſcortari non ſolum voluit, verum „ etiam atque etiam poſt compulit „. Ex hoc igitur impuriſſimo ac deteſtabili connubio (ſi Luitprando credimus) procreatum eſſe Creſcentium noſtrum ſuſpicatur Baronius: cujus ſententiam (4) amplectitur etiam Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, ubi referens ex antiquis codicibus mſs. quod Benedictus Papa VI. comprehenſus eſt a quodam Cencio Theodorae filio, & in arcem caſtri S. Angeli contruſus, ibique ſtrangulatus propter Bonifacium, ita ſubdit: „ Cencius „ autem, ſic compendio dictus, videtur eſſe Creſcentius „ ille, cujus Epitaphium a Baronio profertur: *Eximius* „ *Civis Romanus &c.* Hic in poenam ſacrilegi iſtius „ facinoris, immiſſo divinitus morbo caſtigatus, ad „ S. BONIFACII factus eſt Monachus. Theodoram „ autem & Joannem, haud immerito eos hic intelligit Baronius, quorum ſupra turpem amorem vidimus in Apoſtolicae demum Sedis erupiſſe infamiam, Joanne ad Summum Pontificatum provecto; „ nec enim natalium talium dedecus Creſcentio eorum filio viam praecludere poterat ad ſummos in „ Romana urbe gradus, opibus maternis paternaque „ Dignitate ſuffultus „. Hactenus Papebrochius, cujus opi-

(4) Daniel Papebrochius in Propyleo ad Acta SS. Conat. Chronic. Hiſtor. RR. PP. de Bened. VI.

Digitized by Google

opinioni aliquid momenti afferre poſſe videntur poſtrema Epitaphii verba : *Omnis quicunque legis rogitare memento, ut tandem ſcelerum veniam mereatur habere*. Quid autem ſcelus excogitari majus poteſt, quam afferre manus ſacrilegas Pontifici Maximo?

Duplex haec (ſi Deo placet) nota turpitudinis Creſcentio noſtro inuritur, quam reliquae monaſticae vitae ſanctitate obruat, atque deleat. Ego vero, quum rem accurate diligenterque perſpexerim, non eſſe ferendum arbitror, ut tanta crimina falſo ac temere conjecta in hominem fuiſſe videantur. Nam ſi generis turpitudo ſpectetur, nimium credulus hac in re Luitprando Baronius aliique deinceps fuerunt. Quis enim ignorat, Hiſtoriam illius paſſim falſam eſſe, interpolatam, corruptam? Hoc jam oſtenderunt Coſmus della Rena (5), hoc Ludovicus Muratorius (6), cum pluribus in locis, tum in iis praeſertim, quibus Theodoram, Marociam, aliaſque praenobiles & potentiſſimas Urbis Matronas, ceu impudentiſſimas vileſque e trivio meretriculas, traducit homo acer, earumque famam inimico ac maledico dente carpit: quinimmo bonus ſibi Hiſtoricus videtur eſſe, quum in Pontifices Maximos evomit virus acerbitatis ſuae. Hinc Sergium III. Joannem X. & XI. veluti impotenti libidine abreptos, inceſtuoſos, crudeles, ac ad omne ſcelus paratiſſimos, non ſine maxima & veritatis & pietatis injuria turpiſſime depingit. Quae quidem omnia ex falſis rumuſculis, qui in tam maledica civitate tum diſſipabantur, collegiſſe praeſefert Luitprandus, dum fatetur, eadem

hau-

(5) Coſmo della Rena degli antichi Duchi di Toſcana pag. 130. & 139.

(6) Murator. Annali d' Italia anno 914.

Digitized by Google

hauſiſſe ſe *ex Vita ejus*, ideſt ex libello, in quo Vita ejus Theodorae turpiſſimis maledictorum notis inuſta (ut plerumque in potentiores fit) tradebatur memoriae hominum ſempiternae.

Et quidem horret, ac refugit animus cogitare, Theodoram mulierem nobiliſſimam potuiſſe Joannem Epiſcopum, ſecum ad nefarium concubitum adigere: deinde vix *modica temporis intercapedine* efficere, ut Ravennae Eccleſiam deſereret, & Romanam invaderet. Sunt haec falſa, inaudita, incredibilia; nam illud certiſſime conſtat, Joannem uſque ab anno 905. Eccleſiam Ravennatem rexiſſe, & nonniſi anno 914. Romanam Cathedram aſcendiſſe, ut ex indubiae fidei monumentis oſtendit Hieronymus Rubeus Hiſtoriae Ravennatis libro V. Sed ne actum agere videar, Muratorium conſulat in Annalibus Italis ad annum 914. quiſquis Joannis & Theodorae famam a Luitprandi calumniis ſatis vindicatam velit.

Nunc illud examinandum reſtat, utrum Creſcentius noſter, Joannis & Theodorae filius, ille ipſe fuerit, qui in Benedictum Papam VI. violentas manus injecit. Sigonius (7) de Regno Italiae libro ſeptimo narrat, mortuo Ottone Magno, varias apud Italos ſeditiones exortas eſſe: *in primis autem Romae de antiqua recuperanda libertate tumultuatum: hunc tumultum Cincius Civis Romanus excivit, ac Benedictum* (hujus nominis Sextum) *jura Imperii atque Eccleſiae retinentem nactus arripuit; atque in vincula traditum miſere mori coegit*. Doctiſſimus Saxius in notis ad hunc locum obſervat, Cincium a Sigonio memoratum Theodorae filium

(7) Sigon. de Regno Ital. lib. 7.pag. 449. edit. Mediolani 1732.

Digitized by Google

filium dici, & Cynthium appellari a Ciacconio & Oldoino. In Chronico autem Hermanni Contracti edito a Caniſio, Creſcentium vocari; ibi namque legitur: *Romae Benedictus VI. Papa criminatus a Romanis, & Creſcentio Theodorae filio in caſtello S. Angeli cuſtodiae mancipatus, ibique ſtrangulatus eſt*. In eodem pariter Chronico ex editione (8) Chriſtiani Urſtiſii ad an. 974. habetur: *Benedictus VI. Papa CXXXVI. poſt primum annum a Creſcentio relegatus, & ſtrangulatus eſt*. Si unum autem excipiamus Hermannum Contractum, nuſquam in antiquis Chronicis & Catalogis Romanorum Pontificum, Creſcentii nomen legitur, ubi de auctore necis illatae in Benedictum VI. agitur. Sed alii Cencium (9), alii Cynthium (10) appellant, aliique plures Bonifacium ipſum cognomento Franconem, Ferrucii filium, nequiſſimi hujus facinoris auctorem faciunt: qui poſt hujus obitum Romanam Sedem invaſit, ut ex Baronio aliiſque (11) Scriptoribus, qui de Romanis Pontificibus egerunt, facile perſpici poteſt.



(8) Hermanni Contracti Chronicon. Francofurti ad Moenum an. 1670.

(9) In codice Vaticano, Auctore, ut creditur, Pandulpho Piſano, legitur: „ Benedictus VI. natione „ Romanus, ex Patre Hildebran- „ do, ſedit annum I. menſes VI. „ Iſte comprehenſus eſt a quodam „ Cencio Theodorae filio, & in „ caſtellum S. Angeli retruſus, „ ibique ſtrangulatus propter Bo- „ nifacium Diaconum, quem mi- „ ſerunt, vivente eo Papa &c. „ Vide Murator. Rer. Ital. Scriptor. tom. 3. pag. 2. in Vitis Rom. Pont. pag. 332.

(10) Platina in Vitis Rom. Pont. de Bened. VI. ita ſcribit: „ Bene- „ dictus VI. patria Romanus, Jo- „ anni in Pontificatu & calamita- „ tibus ſucceſſit. A Cynthio enim „ Romano Cive, & quidem prae- „ potenti, captus in Hadrianam „ molem, quam S. Angeli arcem „ nunc vocant, cuſtodiam .... in- „ cluditur; eodemque in loco non „ multo poſt ſtrangulatur, vel, ut „ Coſentinus refert, fame mori- „ tur &c. „

(11) Murator. Annali d' Italia anno 974. Natal. Alexand. Hiſt. Eccl. X. ſaeculi cap. 1. art. 23.

Digitized by Google

Quum igitur tam multiplex & diverſa ſit Antiquorum opinio de auctore necis illatae Benedicto PP. VI. praepropere nimis judicium tuliſſe videntur Baronius & Papebrochius, quum Creſcentium noſtrum, eoquod Theodorae & Joannis filius aſſeritur, eumdem putarunt ac Cynthium a Sigonio, ſeu Creſcentium ab Hermanno memoratum, qui Benedictum VI. interfeciſſe fertur: ut enim ſileam Cynthium Theodorae quidem, non item & Joannis filium affirmari, uti Creſcentius noſter *Joanne patre, Theodora matre niteſcens*; utque etiam concedam Creſcentium, compendii cauſſa, Cencium ſeu Cynthium appellari potuiſſe, quod autumat Papebrochius; atque etiam ut Baronio tribuam conſentire nomina, conſentire potentiam, qua tum in Urbe Creſcentius, Joannes, & Theodora pollebant; tempora minime conſentiunt; idque veriſſime affirmo, atque contendo. Etenim ſimulac Creſcentius noſter anno 972. in Monachorum diſciplinam ſeſe tradidit, ut ex Siglis ſepulcralibus C. R. M. ſuperius oſtendimus, profecto is eſſe non potuit, qui anno 974. vel 975. ductor militum ferox Benedictum comprehendit, in Hadrianam molem detrudit, ac indigne enecat: poſtmodum vero „ in poenam ſacri„ legi iſtius facinoris, immiſſo divinitus morbo, ca„ ſtigatus, ad S. BONIFACII factus eſt Monachus „ ut perperam conjicit ex Baronio Papebrochius.

Conſtat enim Anno Domini 972. quo Creſcentius *ab omni ſpe mundi lapſus ad limina Sancti Martyris BONIFACII Monachorum habitum adeptus eſt*, Romanam Cathedram rexiſſe Joannem Papam XIII. vita functum die ſexta Septembris anni 973. ut legitur in hu-

hujus Epitaphio apud Baronium (12), eique ſuffectum eſſe non Donum II. ut Hermannus Contractus aliique, quos Baronius ſequutus eſt, ſcripſerunt, ſed Benedictum VI. ut ex Sigeberto, Martino Polono, & Ptolemaeo Lucenſi (13) colligitur, poſtquam Romana Sedes tres circiter menſes vacaſſet, ut obſervat Pagius (14). Quare, ſi Creſcentius tanti ſceleris auctor fuiſſe fingitur, non ante quidem fuit, quam ſub finem anni 974. immo menſe ſexto anni 975. hoc eſt, quo tempore Creſcentius jam biennium egerat inter Monachos; a quibus ſane indignum facinus diſcere non potuit; nam quod ex iis verbis, ut *ſcelerum ſuorum veniam mereatur habere*, conjiciunt, eum forte tantum facinus admiſiſſe, ii quidem videntur perpaucas legiſſe eorum temporum ſepulcrales inſcriptiones, quae veniam a Deo, probis licet hominibus, deprecantur: ſunt autem infinitae, quas afferrem, niſi in re minime dubia notiſſimaque verſarer.

Haec ſunt, quae de Creſcentio noſtro colligi potuerunt: ad reliquos pergamus.

## §. III.

### *De Leone Abbate* SS. BONIFACII & ALEXII.

PRimus, qui poſt Sergium Damaſcenum memoretur Abbas SS. BONIFACII & ALEXII, eſt Leo ille, de quo mentio fit paſſim honorifica in Actis S. Adalberti



(12) Baronius Annal. Eccleſ. ad ann. 972.

(13) Sigebertus in Chronico, Martinus Polonus in Chronico, Ptolemaeus Lucenſis Hiſt. Eccl.

(14) Pagius in Critic. Baron. ad ann. 972.

Digitized by Google

berti; & de quo praeclarum elogium exſtat in Vitâ S. Nili Junioris (1), qui una cum quibuſdam Baſilianis Monachis in hoc ſe Coenobium recepiſſe fertur: quod etiam permultos alios feciſſe accepimus, quo commodius audirent Leonem de divinis rebus mirabiliter copioſeque colloquentem. Leo igitur jam inde ab obitu Sergii in Abbatem conſtitutus videtur; quippe Monaſterio praeerat anno ſaltem 983. quo anno mortuus traditur Otto II. Imperator; nam ipſo Imperatore annuente, praedia, vineas, oliveta legitimo jure Leonem acquiſiviſſe legimus in Diplomate Ottonis III. (2): *Confirmamus &c. . . . . ſicuti poſtmodum Venerabilis Abbas Leo in praeſentia Patris mei legaliter acquiſivit*. Praeterea Monaſterium ab eodem Leone adminiſtrabatur anno 987. die 23. Octobris, quo tempore Benedictus Dei gratia Inclytus Comes, & Urbis Senator, necnon Stephania ejuſdem conjux, praedia quaedam juxta portum Aſturae (3) ſeu terras, quot colere poſſent tria boum juga, Monaſterio SS. BONIFACII & ALEXII obtulerunt, & irrevocabiliter largiti ſunt, ut liquet ex eadem charta donationis (4), ubi inter cetera legitur: *Quum certum eſt, nos Benedictus Dñi gratia Inclitus Comes, ſeu Stephania Illmã femina, Comitiſſa, Senatris, jugalibus, a preſenti damus, cedimus, tradimus, & irrevocabiliter largimur, ſimiliterque concedimus ex propria noſtra ſuſtantia, noſtraque ſpontaneeque voluntatis a vobis Domno Leo Religioſus Abbas Ven. Monaſterii SS. Bonifatii Martyris & Alexii Confexoris, quod ſitum*

(1) Vide infra §. VI.

(2) Vide in Appendice num. 1. Diploma Ottonis III. Imperatoris, quo privilegia & bona omnia Monaſterii SS. BONIFACII & ALEXII confirmantur.

(3) De Aſtura vid. inf. C. XV. in Not.

(4) Vid. in Append. ad ann. 987. n. 3.

Digitized by Google

*ſitum eſt in Aventino, dilecto & amabili ſpirituali patri noſtro, pro Omnipotentis Dei amore &c.* Altera accedit notatio temporis, ex eo quod Vir Sanctiſſimus Nilus jamdiu arctiſſima cum Leone amicitia conjunctiſſimus erat, quo tempore illum apud vallem Lucii cum aliquot ſociis Graecis degentem convenerat Adalbertus Pragenſis, cui Nilus perſuaſit, ut Romam regrederetur, atque Leonem Abbatem Sancti BONIFACII ſibi amiciſſimum adiret: *Accipe Patris conſilium, & unde digreſſus es, repete urbem Romam, quo quum perveneris, Dominum Abbatem Leonem amiciſſimum ex noſtra omniumque perſona ſalutes*, ut legitur in Vita prima S. Adalberti cap. 3. num. 15. fuſiuſque deſcribitur in altera Vita cap. 3. num. 13. apud Bollandianos in Actis SS. ad diem 23. Aprilis, ſcilicet: *Quaere nobilem Abbatem amicum noſtrum Leonem, dic me miſiſſe te rudem diſcipulum ad talem magiſtrum. Sub hoc duce itineris praelia Dei pugnaturus fortiter incipe: ſub hoc patrono contra adverſantia cuncta animae ad Deum progredienti ſalvus enatabis* &c. Quod conſilium ſequutus Adalbertus, continuo in Coenobio Alexiano monaſticam veſtem a Leone Abbate accepit: *Fecit, ut homo Dei dixit: ad S. Bonifacium monachalem veſtem accepit; ſub Abbate, quo dixit, regula duce, militavit.* Quum itaque haec An. D. 989. contigiſſe exploratum ſit, ut cum Mabillonio (5) & Henſchenio (6) oſtendemus; quumque Sergius Damaſcenus ſub finem anni 981. ſupremum diem obierit, ut ex ſepulcrali hujus Epigraphe ſuperius demonſtravimus; illi-

(5) Mabillon. Annal. Ord. S. Bened. tom. 4. lib. 50. num. 96.

(6) Henſchenius Acta SS. die 23. Aprilis in Com. praevio ad Acta S. Adalberti.

Digitized by Google

co apparet, quod antea innuebamus, Leonem jam inde ab obitu Sergii conſtitutum fuiſſe Abbatem Monaſterii SS. BONIFACII & ALEXII, cui praefuit non modo ante adventum Adalberti, ſed etiam ante donationem Comitis Benedicti, immo ante annum 983. morte Ottonis II. Imperatoris notatum.

Anno autem 995. hic ipſe Leo Abbas SS. BONIFACII & ALEXII, Apoſtolicae Sedis Legatus a Joanne Papa XV. in Gallias miſſus eſt, ad dijudicandam cauſſam Arnulphi Remenſis Archiepiſcopi, cujus Sedem Gerbertus, antea monachus & Abbas Bobienſis Regni, Procerum favore atque ope ſuffultus invaſerat, quod legimus apud Baronium (7) & Pagium (8), quorum ille ad A. D. 992. rem deſcribit; hic vero ad A. D. 995. ait: „ miſſus a Joanne XV. in Gallias Le-
„ gatus Leo Monaſterii Sanctorum BONIFACII &
„ ALEXII Abbas, IV. nonas Junii Moſomi (9) Con-
„ cilium habuit, in quo, lectis Joannis XV. Litte-
„ ris, Gerbertus auditus cauſſam ſuam magno animo
„ proſequutus eſt, ſed is a Sacris abſtinere juſſus uſque
„ ad Synodum Remenſem, ut videre eſt in Actis „ &c.

Acta hujuſmodi habentur in Labbeana collectione Conciliorum (10), ubi legitur: *Itaque IV. nonas Junii, convenientibus Moſomum venerabilibus Epiſcopis . . . LEO ABBAS MONASTERII S. BONIFACII urbis Romae, vicem agens Domini Joannis Papae, medius inter eos conſedit in Eccleſia B. Dei Genitricis Mariae, atque in eo-*

(7) Annal. Eccleſ. Baron. ann. 992. num. XXIX.

(8) Pagius Hiſt. Crit. Baron. an. 995. §. II.

(9) Moſomum Urbs eſt ad Moſam in Campania, ſita in finibus Dioeceſeos Remenſis, vulgo *Mouſon*.

(10) Tom. XI. pag. 1005. editionis Venetae.

Digitized by Google

*eorum conſpectu Gerbertus* &c. gravi & concitata oratione cauſſam ſuam peroravit: quare infecta re, Synodus abſoluta eſt, & altera in urbe Remorum ab eodem Abbate Leone indicta eſt ad Kalendas Julii ejuſdem anni, ubi plenior forte conventus futurus erat Epiſcoporum. In hac Remenſi Synodo valuit Leonis Abbatis, immo Romani Pontificis Auctoritas adverſus Gallicanos Epiſcopos, adverſus Reges ipſos Hugonem & Robertum, quorum intererat, ne quis e Carolina ſtirpe Remorum Metropolim in poteſtate haberet. Decreta igitur eſt Arnulphi reſtitutio ad poſſeſſionem priſtinae Dignitatis, etſi ea non contigerit, niſi Hugone Rege mortuo; dum Arnulphus interea Aurelianenſi cuſtodia miſerum in modum detineretur; ſed tandem aliquando Gregorio Papa V. Roberto Regi, totique Regno anathema comminante, ex Urbe regreſſus Abbo Floriacenſis A. D. 997. apud Regem effecit, ut Arnulphus ſolveretur, & in ſuam Eccleſiam remitteretur ex Synodi Remenſis & Leonis Abbatis noſtri ſententia, quam Summus Pontifex comprobaverat, ut conſtat ex Aimonio in Vita S. Abbonis Abbatis Floriacenſis.

Hic, quum Remenſi Concilio interfuiſſet, maximam ibi neceſſitudinem & amicitiam contraxerat cum Leone noſtro S. BONIFACII Abbate & Sedis Apoſtolicae Legato, ut teſtis eſt illius ad hunc Epiſtola, cujus inſcriptio (11) Leonem vocat *facundiae praerogativa cum vitae merito & ſapientiae doctrina mirabiliter intonantem, S. BONIFACII cariſſimorum cariſſimum Abbatem*. Exſtat haec Epiſtola in Miſcellaneis Baluzii pri-

(11) Vide Baluz. in Miſcell. tom. 2. pag. 409. & Mabillon. in Appendice ad Annal. tom. 4. num. XIII. pag. 691.

primum vulgata, & in Annalibus Mabillonii: ex ea autem quaedam excerpta, quae magis ad Leonis laudem pertinent, huc afferre exiſtimavimus. Scribit itaque in hac Epiſtola Abbo Floriacenſis, Leonis noſtri colloquiis ſe mirifice recreatum, quum ſecum Remis verſaretur: *Caritas, quae eſt vinculum perfectionis, dum nos ambos Remis poſitos conglutinaret, labiis privatae colloqutionis tantos Sacrae Scripturae favos fulminea lingua veſtra eructavit, ut exclamans compellar dicere: diffuſa eſt gratia in labiis tuis &c.* Addit haec inter ſe pro ſanctiſſimo jure amicitiae pacta & conventa, ipſe quidem ut Reliquias S. Benedicti expetitas Leoni dono daret; at Leo, ut pro pretioſo illo munere, Sancti BONIFACII aliorumque Divorum Reliquias rependeret; atque hoc praeterea diligentiſſime curaret, ut privilegia Floriacenſia Pontificia Auctoritate confirmarentur. Illud efficere, ait, ſibi in animo fuiſſe, Romam quum venerat, niſi Romanam Eccleſiam Paſtore viduatam, & Leonem ipſum adhuc abſentem offendiſſet: *Inter familiaria verborum noſtrorum arcana . . . pretioſarum Reliquiarum S. Patris Benedicti inſignia poſtulaſtis vobis dirigi . . . itemque nobis de Sancto BONIFACIO, aut de Sacris Artubus ceterorum Sanctorum nobis eadem recompenſari: adjecit inſuper incomparabilis bonitas . . . corroborare noſtra privilegia per Romanae Auctoritatis ſtilum Apoſtolicum . . . Haec omnia perficere voti erat, quando Magnifica Principis Apoſtolorum Membra ſupplex adii; ſed Romanam Eccleſiam digno viduatam Paſtore, heu proh dolor offendi: veſtra autem abſentia ita affectus ſum, ſicut ſolet affici ſcetus gallinae &c.* Gratulatur demum de reditu Leonis Romam;



Digitized by Google

mam, deque Romani Pontificis Gregorii V. creatione: quarum rerum jucundiſſimum nuntium quum accepiſſet, ſtatim dediſſe, inquit, litteras quibuſdam monachis Floriacenſibus, & fortaſſis exoptatas (ut ego ſuſpicor) S. Benedicti Reliquias ad Leonem deferendas; quibus litteris benevolentiae atque amoris pleniſſimis rogat praeterea, ut privilegia, quae dixi ſupra, a Gregorio confirmanda curet: *Nuper autem audivi nuntium, quod me laetificavit ſuper aurum & topazium, erectum eſſe Apoſtolicum decus per quemdam imperialis ſanguinis virum, totum virtutibus & ſapientia compoſitum: veſter vero reditus innotuit menti noſtrae, velut paradiſiacae reverſionis ineffabilis concentus. Nunc igitur, ſicut loquuti ſumus ad invicem, & haec Epiſtola veſtris aſpectibus ſe praeſentat, per hos S. P. Benedicti Monachos audire placeat, & audita perficere, velut promiſiſtis, cum ſumma fide & devotione &c.* Ex hac Epiſtola Mabillonius illud colligit, quod ad rem ſuam facere plurimum arbitratur, ex illo tempore, hoc eſt decimo ſaeculo pene confecto, Romanos hanc imbibiſſe animis opinionem S. Benedicti Corpus in Galliam translatum Floriaci aſſervatum eſſe; nos autem, quod noſtra intereſt, id colligimus, Leonem Abbatem, qui, Sede vacante per obitum Joannis XV. adhuc Roma aberat, paullo poſt illuc rediiſſe, & Monaſterii adminiſtrationem, quae interea Beato Adalberto commiſſa fuerat, ut deinceps dicemus, iterum ſuſcepiſſe, ibique ſaltem uſque ad A. D. 999. praefuiſſe. Conſtat enim ſub finem Pontificatus Gregorii V. Sacra Corpora B. BONIFACII Martyris & S. ALEXII Confeſſoris de capſa argentea Leonem Abbatem

N com-

commutaſſe, ut ex ejuſdem inſcriptione, temporibus Honorii Papae III. adinventa, inferius Capite XII. explicabimus.

Quia vero anno 1002. Joannes quidam Abbas SS. BONIFACII & ALEXII memoratur in Inſtrumento, tunc habito coram Silveſtro Papa II. quum recognita eſt Donatio Euphemiani Senatoris (12); itemque Joannis nomine vocatur Abbas S. ALEXII in Actis Sancti Adalberti, ſcriptis ſub Henrico Imperatore, qui Ottoni III. ſucceſſerat eodem anno 1002. hinc, ut fuſius dicemus §.IX. ſuſpicari licet, paullo antea ad Superos evolaſſe celeberrimum Abbatem Leonem, doctrina morumque integritate clariſſimum: cujus etſi nulla in Martyrologiis mentio fit; tamen, ſi ejus pro Romanae Eccleſiae dignitate, ac Chriſtiana Republica ſuſceptos labores, ſi vitae diſciplinam admodum ſeveram, ſi mores ſanctiſſimos ſpectemus, non indignus ipſe judicari debet, qui eorum Sanctorum numero adſcribatur, quibus caeleſtes honores adhibentur, ut recte monuit Mabillonius (13).

Quoniam vero opportune accidit, ut Adalbertum ad monaſticam vitam a Leone inſtitutum fuiſſe commemoraremus; de eodem S. Adalberto nunc jam dicendum eſt.

§. IV.

(12) Vide ſupra Cap. IV. pag. 33.
(13) Vide Mabillon. ſaec. Bened. tom. 7. pag. 876.

Digitized by Google

## §. IV.

### *De S. Adalberto Pragenſi Antiſtite, & Monacho SS. BONIFACII & ALEXII.*

ADalbertus inter Alexianae Familiae Alumnos omnium celeberrimus, clariſſimo genere natus eſt in Bohemiae finibus, ubi Chriſtiana florebat Religio; nam Bohemiae pars maxima erat Superſtitionis erroribus miſere implicata. Is quum aetate, ac magis doctrina, morumque ſanctitate mirum in modum profeciſſet; dignus fuit, qui anno aetatis ſuae vigeſimoſeptimo in locum Dithmari Pragenſis Epiſcopi, licet reluctans (1), ſufficeretur. Quare Veronae conſecratus eſt ab Archiepiſcopo Moguntino coram Ottone II. Imperatore ipſa die Apoſtolorum Petri & Pauli A. D. 983. non autem III. Idus Junii A.D. 979. ut habetur apud Coſmam Pragenſem (2).

Vix annos quinque in Epiſcopatu exegerat Sanctus Antiſtes, quum Praga diſcedens (3), propterea quod



(1) „ Interea rediens Adalbertus . . . Dux Boleslaus & ejus „ optimates. . . juvenem nimis renitentem rapiunt. . . . dicentes: „ nolis velis, noſter Epiſcopus eris „. Ita Chronographus Saxonicus apud Mabillonium ſaec. V. Bened.

(2) Vide Mabillon. Annal. Bened. tom. 4. lib. 49. §. 27.

(3) Cauſſas dimittendi Epiſcopatus tres enumerat Auctor prioris Vitae Sancti Adalberti cap. II. num. 12. „ Quod maxime de tribus cauſſis „ actum eſſe dicunt, prima & velut „ principalis cauſſa, propter plures „ uxores unius viri: ſecunda propter deteſtanda conjugia Clericorum: tertia propter captivos & „ mancipia Chriſtianorum, quos mercator Judaeus infelici auro emerat, emptoſque tot Epiſcopus redimere non potuit.

Scriptor autem alterius Vitae S. Adalberti plures alias cauſſas addit, quas cap. 2. num. xi. ſic exprimit: „ Populus autem durae cervicis, ſer-

quod efferatos Bohemorum mores ad Chriſti Doctrinam nulla ratione conformare poterat, Romam venit; atque eo conſilio venit, ut inde Hieroſolymam migraret, incredibili cupiditate incenſus ea loca viſendi venerandique, ubi plura ſunt Jeſu Chriſti monumenta atque veſtigia. Quare bona cum venia Joannis XV. Romani Pontificis, ac Theophania (4) Imperatrice, quae tum Romae verſabatur, commeatum ſuppeditante, ignotus ſub peregrini habitu ad montem Caſſinum divertit: ubi Abbas Manſo & Primores Coenobii a ſuſceptae peregrinationis propoſito illum deterrere ſtuduerunt, ac hortari, ut ſuum illic domicilium ſedemque conſtitueret; cujus adventus hunc tamen fructum capere arbitrabantur, quod & ipſorum Eccleſias dedicaſſet, & Monachos Sacris imbuiſſet. Sed ille ſecum animo reputans minime convenire, ut quod Epiſcopale munus abjecerat, iterum ſuſciperet, tacitus effugit (5), atque ad Beatum Nilum profectus eſt, qui in vicino vallis Lucii monaſterio vitam agebat. Hic optimum illi fideliſſimumque conſilium dedit, Romam ut rediret, ac ſi monaſticum vivendi ge-

„ ſervus libidinum factus, miſcebantur cum cognatis, & ſine lege cum uxoribus multis: mancipia Chriſtiana perfidis Judaeis vendebant: dies feſtos confuſa religione obſervabant: dies vero jejuniorum, voluptatibus vacantes, omnino non curabant; ipſi Clerici palam uxores ducebant: contradicentem Epiſcopum iniquo odio oderant. . . . Itaque ad ſanctam civitatem . . . . matrem Martyrum, Apoſtolorum domicilium, auream Romam venit &c. „

(4) Vidua Ottonis II. qui Romae obierat die 7. Decembris 983.

(5) „ Haec ira dictante reddidit: „ utrum me hominem an aſinum putatis, ut, quum amota filiorum cura Epiſcopus eſſe deſiſterem, nunc ſub nomine Epiſcopi veſtras Eccleſias conſecrarem? Nec mora, it deorſum per montis convexa, & quaſi duorum dierum itinere acto, ad Magnum Virum Nilum perrexit &c. „ ex Vita prima S. Adalberti cap. 3. num. 15. apud Bolland. Acta SS. 23. Aprilis.

Digitized by Google

genus amplexari fixum in animo ac ſtatutum haberet, Leonem adiret Abbatem SS. BONIFACII & ALEXII, ad quem litteras commendatitias ipſe ſcripſiſſet: *Accipe patris conſilium, & unde digreſſus es, repete urbem Romam, quo quum Angelo bono te ducente perveneris, Dominum Abbatem Leonem, nobis amiciſſimum, ex noſtra omniumque perſona ſalutes, atque Epiſtolam noſtram feres* (6).

Litteris acceptis Romam regreſſus, ubi ad limina SS. BONIFACII & ALEXII, *monſtrante populo, perductus eſſet*, prece atque obſecratione humili uti coepit, & rogare, ut inter Monachos reciperetur: ſed Leo Abbas, qui magno rerum uſu inconſtantiam mutabilitatemque mentis hominum cognoverat, primo aperte negare; deinde, quum inſtaret ille vehementius, ſimulate ſtomachari, eique ob oculos ponere, quae dura & difficilia perpetienda eſſent; poſtremo, quum nihilo ſecius a propoſito deterreri hominem non videret, Romani Pontificis veniam impetrandam eſſe dixit: qua impetrata, dici non poteſt, quanta cum animi voluptate & laetitia Adalbertus monaſticam veſtem a Leone acceperit A. D. 990. feria V. Coena Domini; & Sabbatho Sancto poſt tres ipſos dies, quibus ſuam conſtantiam Leoni aliiſque Monachis probaverat, ſe ad monaſticum illud vitae genus perpetuo addixerit: *Abbas vero Leo, ubi non ſolum avertere a ſuo propoſito, ſed etiam dura praedicendo plus accendere poterat, accepturum ſe fore pollicetur: Statuit etiam Domnum Apoſtolicum cum humiliato Antiſtite prius convenire, ut quidquid agendum foret, tanti Patris*

(6) Ex Vita S. Adalberti ibidem cap. III. num. 15.

Digitized by Google

*tris ſententia, ſuorumque Cardinalium conſilia deliberarent. Poſt haec rite peractis omnibus, qua die Dominus Diſcipulorum ſuorum lavit pedes, monachalem habitum ille Epiſcopus accepit. Sabbatho Sancto, quando baptizati Cathecumeni criminalibus vinclis ſolvuntur, ſoluta eſt, & ipſi capite pendens cuculla; hinc ſecundum Regulae morem Fratrum numero adjunctus &c.* Hactenus ex Vita prima S. Adalberti apud Bolland. in Actis SS. die 23. Aprilis, quibus ſimilia leguntur ibidem in altera Vita, quarum utraque (7) a duobus Auctoribus coaevis conſcripta eſt; prima ſcilicet ſub Imperio Ottonis III. altera ſub ejus ſucceſſore S. Henrico Imperatore, ut pluribus ibidem oſtendunt Henſchenius & Papebrochius, quibus „ Vitae primae Auctor videtur Romae fuiſſe „ Monachus in Monaſterio SS. BONIFACII & ALEXII, in quo S. Adalbertus, abdicato Epiſcopatu, vixerat quinquennio pleno &c. Alterius vero Auctor „ Romae Monachus cum Abbate SS. BONIFACII & „ ALEXII ſaepius loquutus, qui Vitam priorem ſequutus, in multis ipſa quandoque verba deſcripſit.

Bollandianis ſuffragatur Pagius in Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Card. Baronii ad A. D. 990. num. 1. ubi inquit: „ Hujus Sancti Antiſtitis (*Adalberti*), a Leone Hoſtienſi Bohemorum & Pruſſorum Apoſtoli appellati, Vitam primum ſcripſit Anonymus Coenobii Romani Sanctorum BONIFACII „ atque ALEXII Monachus, imperante Ottone III. „ Hunc Anonymum proxime ſequutus eſt alter Monachus, qui aliam ejuſdem Sancti Vitam, regnante Sancto Henrico, poſtmodum Imperatore, elucubravit „.

Sed

(7) Vide adnotata ſub initium hujus Cap. IX. pag. 77. Not. (1).

Digitized by Google

Sed ut ad ipſum Adalbertum revertamur, quanta caritatis, obedientiae, modeſtiae, virtutumque omnium, & quam praeclara exempla quotidie ederet, facile ex utroque libro perſpici poteſt, qui ejus Vitam illuſtrem ſanctiſſimamque deſcribit. Quaſi Epiſcopalis oblitus Dignitatis, Abbatis monitis praeceptiſque diligentiſſime parebat; nihilque magis optatum habere videbatur, quam ſi in iis rebus navare operam juberetur, quae res eſſent humiliores, & ab Epiſcopi Dignitate abhorrerent. *Obliviſcitur Epiſcopum factus parvulus in medio Fratrum: coquinas purgat: ſcutellas lavat: manibus Fratrum aquarum uſus miniſtrat: mane ad clauſtra, veſpere & meridie ad menſam aquam portat . . . talem obedientiam ab Abbate rogans accepit . . . . & quum Abbas eum vehementiſſime ſaepe increparet, occurrit benigna patientia, & ſemper flexa humiliatio . . . . non ſolum majoribus, ſed etiam minoribus obedire paratus*: ex Vita ſecunda cap. III. ſ. 14. Hanc tantam animi magnitudinem & conſtantiam aegre tulit humani generis perpetuus hoſtis, qui nihil intentatum reliquit, quominus ab obeundo ſuo munere avocaret. Sed hoſtiles fraudes atque inſidiae irritae fuerunt: quinimmo mirae quaedam res acciderunt, ex quibus & victoris Adalberti virtus, & victi daemonis improbitas dignoſceretur. Nam, quum teſtacea vaſa nunc vino, nunc aqua plena geſtaret, opera daemonis ita prolapſus traditur, ut vaſa ipſa confringerentur: quod quum ille ex inſtituto majorum ad pedes Abbatis proſtratus expiaret, contigit aliquando, ut vas vino plenum ingenti lapſu in pavimentum corrueret, quin tamen mirum in modum neque vas comminui, neque vinum

effun-

Digitized by Google

effundi viderent. *Nec moratur interea aemulus hoſtis; & quum teſtea vaſa, nunc aqua, aliquando vino plena portaret, callido aſtu lapſus parat; ac ut confracta in partes frangerentur efficiens, Sacri Viri faciem ingenti rubore perſudit. Haec dum multoties fierent, & ipſe tot vicibus veniam proſtrato corpore peteret, tandem ultor ejus confuſionis reſpexit ad haec negotia Deus; nam una dierum, quum Fratrum menſae apportaturus foret merum, offenſo pede corruit ipſe ſuper vas, & vas ingenti cecidit ſuper marmora lapſu: audiit a longe Pater Monaſterii, cunctique Fratres per ordinem, quomodo labitur ille Heros, neſcientes, quia hunc caſum proſperrima adverſitas comitaretur; ita enim vas ſanum & vini pretium non minutum reperitur, ac ſi nulla facta foret ruina &c.* ex Vita prima cap. 3. §. 17.

Jam annos quinque ſanctiſſimam hanc vivendi rationem noſtro in Coenobio tranſegerat Adalbertus Epiſcopus, quum Pragam civium deſiderio revocatus eſt a Willigiſio Moguntino Archiepiſcopo, qui Pragenſes ſine Paſtore eſſe graviter ferens, Legatos miſit Romam rogatum, ut Adalbertus illuc redire cogeretur. Legatis auditis, Joannes Papa XV. Synodum Epiſcoporum convocat, in qua grandis controverſia Pragenſes inter & Monachos SS. BONIFACII & ALEXII agitata eſt, his Monachum jam ſuum retinere certantibus, illis Epiſcopum repetentibus ſuum: tandem Legatis ceſſit victoria ex ſententia Pontificis eo pacto, ut ſi denuo Bohemi obtemperare Adalberto detrectarent, is ab eis quantocius abſque periculo capitis ſui recederet. Itaque Monachis S. ALEXII tanti Viri jacturam deplorantibus, Roma Legati cum Adalberto diſces-

Digitized by Google

diſceſſerunt A. D. 994. quibus Pragam accedentibus tota civitas in occurſum ruit; feſtiviſque plauſibus Epiſcopum ſuum excepit, data ab univerſis fide, ſe illi quam diligentiſſime obſequuturos, vitamque ad eam Chriſti Diſciplinam, quam docuiſſet, conformaturos.

Verum brevi fidem fefellerunt Pragenſes; nam *paullo poſt coepit eos ignava mollities; & neglectis Adalberti praedicationibus, itum in omne nefas; veterum quippe vitiorum recordationibus praeventi in carnalem labem reverſi ſunt*, ut fuſius legitur in Actis (8).

Quum igitur ſuum illius gregem ſanari nunquam poſſe, non ſine maxima doloris acerbitate intelligeret, piiſſimus Antiſtes rurſus Praga diſcedit; atque alio Doctrinam Chriſti praedicatum ire ſtatuit, ubi fructum capere aliquem poſſet; & coepit ſane maximum. Nam

O ad

(8) Acta Sancti Adalberti cap. IV. num. 18. Vitae prioris haec habent: „ Archiepiſcopus vero Moguntinus ( *Willigiſius ſcilicet, qui Moguntinae Eccleſiae praefuit ab anno* 977. „ *in annum* 1011. ) Beati Praeſulis „ ( *Adalberti* ) gregem ſine Paſtore „ ire conſpiciens, miſit Legatos „ cum litteris, per quos Domnum „ Apoſtolicum de Sancti Viri reditu „ interpellat. Facta eſt Romae Sy„ nodus pro hac cauſſa; & ori„ tur utrinque litigium grande, ex „ una parte eorum, qui Monachum „ perdere timuerunt, ex alia eorum, „ qui Paſtorem ſuum cum auctori„ tate quaeſierunt. Quumque invi„ cem pugnantibus ſententiis utra„ que pars diu decertarent, tan„ dem dubiam Nuntiorum Primas „ vix promeruit victoriam.... Tum „ Apoſtolicus .... talia reſpondit: „ reddimus quod juſte quaerunt, „ quamvis de bono Patre jam dege„ neraſſent filii; & dabimus eum hac „ lege: ſi audierint eum, teneant „ cum Dei benedictione, faciantque „ ſub ipſo fructum centuplum. Si „ autem a conſueta iniquitate ſua „ recedere nolunt, hic noſter abſque „ periculo ſui capitis malorum con„ ſortia declinet. Haec ubi dicta de„ dit, finita eſt Synodus ... abſce„ dunt Legati, Monachis triſtibus... „ quumque emenſo itinere Pragam „ venirent, eunt ei obviam omnis „ aetas & ſexus; & quaſi cum in„ genti gaudio acceperunt eum: „ dant manus, ac promittunt o„ mnia...... ſed paullo poſt coepit „ eos ignava mollities &c. „

Digitized by Google

ad Hungaros quum adiiſſet, Stephanum Regem ſacro fonte abluit. Demum ad Romanum SS. BONIFACII & ALEXII Monaſterium iterum ſeſe recepit labente A. D. 995. ut recte ſupputant Bollandiani, non autem A. D. 990. ut Baronius (9) arbitratus eſt. *Congaudent illo redeunte monaſticae plebis ſacra collegia, ac ſanctitatis ſuae amore pariter & utilitate perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, ſed prae omnibus Abbas ſuus, qui & poſt ſe totis cohortibus Fratrum praefecerat illum; ille autem omni vilitate & extremitate contentus, quanto major erat, tanto ſe cunctis inferiorem praebuit.* Hactenus Actorum verba (10); ex quibus ſatis probari arbitror, Adalbertum tunc conſtitutum fuiſſe veluti Abbatem SS. BONIFACII & ALEXII, qui *totis cohortibus Fratrum*, nimirum univerſae Monachorum Familiae praeeſſet. Quum enim eo tempore Roma adhuc abeſſet Leo Abbas S. ALEXII, qui, ut vidimus, IV. Nonas Junii ejuſdem anni 995. quo huc rediit Adalbertus, Concilium Moſomenſe convocaverat, & aliud Remis celebrandum indixerat ad Kalendas Julii, cui ipſe idem praefuit tanquam Legatus Papae Joannis XV. jam patet, quod ſi ille conſtitutus eſt ab Abbate ſuo, qui poſt ſe Monachis praeeſſet, perinde eſt, ac ſi ille electus fuerit, qui Abbatis officio in ejuſdem abſentia perfungeretur.

Paucos illos menſes, quibus Monaſterio praefuit, in-

(9) Baronius in Annalibus ad A. D. 990. §. IV. ait: „ Hoc ipſo anno „ S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus „ Romam veniens, S. BONIFACII „ Monaſterium, ubi quinquennio „ manſerat, iterum adiit; ibique totidem annos explevit &c. „ Sed Pagius in Crit. ad an. 990. num. 11. recte notat, unici quinquennii mentionem fieri in Actis &c.

(10) In Vita prima cap. 4. §. 20. apud Bolland. 23. Aprilis.

Digitized by Google

incredibile dictu eſt, quae ſtudia Adalberti fuerint, exercitationeſque virtutum. Totus ita erat in contemplatione rerum divinarum, nihil ut prope ſentiret humanorum incommodorum, nihil perturbaretur cupiditatibus, nihil doloribus afficeretur. Eminebat autem ex ore ipſo mira quies, ſolidum gaudium, germana felicitas. Quare ad eum conveniebant ſumma doctrina ac dignitate homines, quaſi ad videndum exemplum quoddam in terris divinae tranquillitatis. Et quum per ea tempora (11) Otto III. Imperator Romam veniſſet, ut Imperii Inſignia a Romano Pontifice acciperet, nihil jucundius habuit, quam ad Adalbertum ſaepe venire, ut illius conſuetudine (12) colloquutionibuſque perfrueretur.

Sed non diu licuit optimo viro capere ſuaviſſimum otii ac ſolitudinis fructum. Ecce enim Willigiſius Archiepiſcopus Moguntinus, qui in Urbem cum Imperatore ipſo venerat, *veterem querimoniam canens*, inſtat apud Pontificem Gregorium V. recens electum, ut Adalbertus ad gregem ſuum mittatur: non eſſe ferendum, ut Pragenſis Eccleſiae in tanta perturbatione, Epiſcopus illius otioſam & tranquillam vitam traducat: abſtrahendum a portu ſcientiſſimum gubernatorem, ut in maximis turbinibus ac fluctibus navem regens, oſtendat vim ſapientiae ac virtutis ſuae. Ergo iterum

 agi-

(11) In Chronico Saxonico Otto III. Romam veniſſe dicitur die feſto Aſcenſionis Domini anno 996. VIII. Kal. Junii: quae ſententia a Mabillonio probatur ex pluribus Inſtrumentis Annal. Bened. to. 4. lib. 51. §. 19. licet plerique Recentiores aliter ſentiant.

(12) „ Iter agit Romam Rex Francorum Otto III. . . . . . cui circa „ Servos Dei maximum ſtudium, „ ſemper & diligens cura fuit: crebro alloquitur S. Adalbertum, & „ habebat eum ſibi familiarem, audiens libenter quaecunque ſibi diceret„. Ex Vita prima cap. 4. §. 21.

Digitized by Google

agitatur cauſſa in Synodo Romana (13); & Willigiſii ſententia, quae Divinarum monumentis Litterarum congruere viſa eſt, ita valet, ut ab otio ſolitudinis iterum avellatur. *Aſſentitur Papa Gregorius; & ſemel ſuſceptum impune non poſſe dimitti gregem, Scripturarum voce teſtatur* (14). Quare Monaſterium non ſine lacrymis denuo relinquere cogitur Adalbertus, & Notkerio (15) magnae prudentiae Epiſcopo trans Alpes perducendus committitur. Sed quem dolorem ex diſceſſu illo acerbiſſimum hauſerat, hunc ſpe Martyrii ſuſtentavit; ad Martyrium enim ſeſe vocari, quaſi ad triumphum intelligebat. *Relinquit Monaſterium non ſine magno planctu ſuo & Fratrum, moleſte ferens ruptam quietem, ſed habens de Martyrio ſpem vivam, quo in ſuo pectore ardebat deſiderium longum.*

Neque ſua eum ſpes fefellit; nam in Bohemiam regreſſus, tanta immanitate efferatos homines illos deprehendit, ut fratrum ipſius indigniſſimam caedem quum antea perpetraſſent, hujus ulciſcendae cauſſa Adalbertum eo redire praetendentes, eidem ad ſuam Provinciam aditum intercluſerint. Hinc quum indomitae genti ſe prodeſſe non poſſe experimento didiciſſet, ad Pruſſos ſe contulit: quibus quum Chriſtum annuntiare coepiſſet, a Paganis interceptus, fuſtibus cae-

(13) Haec eſt illa Synodus, in qua novem Imperatoris Electores a Gregorio V. inſtituti a nonnullis dicuntur, ut arbitratur Mabillonius in notis ad Vitam S. Adalberti num. 33. tom. 7. ſaec. Bened.

(14) Ex Vita 2. cap. 5. num. 18.

(15) *Ergo multis lacrymis dulce Monaſterium linquens, cum ſummae diſcretionis viro Notkerio Epiſcopo ultra Alpes proficiſcitur.* Ex Vita prima S. Adalberti cap. V. num. 22. Hic forte eſt Notkerius Epiſcopus Leodienſis Eccleſiae, memoratus in Diplomate, quo Otto III. Imperator confirmavit privilegia Monaſterii Sanctorum BONIFACII & ALEXII; quod Diploma dabimus in Appendice num. 1.

Digitized by Google

caeſus, haſtiſque confoſſus, pro perſecutoribus ſuis Deum exorans, profuſo ſanguine vitam Chriſto litavit, & Martyrii optatiſſimam lauream adeptus eſt IX. Kal. Maji A. D. 997. hoc eſt Feria ſexta (16), quae dies maxime inſignis fuit ob memoriam Mortis Chriſti. Id omne facile perſpici poteſt ex Actis (17) apud Surium, Leonem Hoſtienſem, Bzovium, Bollandum, Baronium, Mabillonium, alioſque plures, ſed paſſim etiam apud Scriptores omnes rerum Bohemicarum, Polonicarum, & Pruſſicarum.

Hic autem ſilentio praeterire non poſſumus, Adalbertum, dum Monachum ageret in Coenobio noſtro SS. BONIFACII & ALEXII, Pontificalem, quam vocant, Miſſam celebraſſe coram Romano Pontifice, quo aſtante in extaſim raptus eſſe dicitur (18); atque etiam ho-

(16) Ante Dominicam 4. poſt Paſcha, quod illo anno 997. obvenerat in 28. Martii. Ita Bolland. in not. ad cap. 6. primae Vitae litter. K.

(17) Surius Vit. SS. die 23. Aprilis. Leo Hoſtienſis Chron. Caſſinen. cap. 17. apud. Murat. Rerum Ital. Script. tom. 4. Abrahamus Bzovius in Vita S. Adalberti ex codice Caſſinenſi edita Romae 1629. notiſque illuſtrata. Bolland. Acta SS. die 23. Aprilis. Baron. ad A. 983. §. xx. & 990. §. iv. Mabillon. Annal. Bened. tom. 4. lib. 50. & 51. & tom. 7. ſaec. V. Bened. ad an. 997. 23. Aprilis. Chronicon Magdeburgenſe &c. Chronicon Ademari &c. apud Mabillon. ibidem. Adalbertum etiam laudant Aeneas Sylvius in Hiſtoria Bohemiae cap. 16. & Dubravius lib. 6. aliique.

(18) „Romanus Pontifex S. Adal-„bertum, e S. ALEXII Coenobio „evocatum, coram ſe Epiſcopalem „Miſſam dicere voluit: id quod ſum-„ma pietate aggreſſus eſt Adalber-„tus. Quum vero poſt oſtenſam po-„pulo Sanctiſſimam Euchariſtiam ad „eum locum in Miſſa perveniſſet, „ubi ſilentio commemoratio fit de-„functorum (Memento vocant), „tamdiu moram trahebat Adalber-„tus, ut qui aderant mirarentur, „neque jam patienter ſuſtinere poſ-„ſent. Pontifex admoneri celebran-„tem juſſit. Veſte tractus ad ſe „tandem rediit... re divina peracta, „Pontifex S. Adalbertum ad ſe ac-„cerſitum increpat: bone, inquit, „Pater, an tu inter Sacra dormitare „fas putas? At Adalbertus, San-„ctiſſime Pater, reſpondit, de ſomno „nihil ego quidem ſcio; at aliquid me „divini paſſum diffiteri non audeo. „Quippe heri fratres germani mei pro

homiliam recitaſſe in natali die feſto S. ALEXII Confeſſoris ſuper illa Euangelii verba : *Ecce uos reliquimus omnia* &c. quam ex bibliotheca Caſſinenſi, litteris Longobardicis exaratam , ediderunt Bollandiani continuatores in Actis SS. ad diem 17. Julii .

Illud quoque animadvertendum ducimus , correctione & emendatione indigere , quae de B. Adalberto noſtro narrantur in Vita S. Romualdi (19), ſcilicet ipſum a S. Romualdo Abbate cucullum monaſticum accepiſſe , atque in monaſterio Sancti Pauli Romae vixiſſe ; utrumque enim a vero abeſſe nedum ex hactenus dictis ſatis liquet, verum etiam ex eo manifeſtum fit , quod A.D. 994. quo Beatus Adalbertus Concilii Romani ſententia ex Monaſterio S. ALEXII in Bohemiam redire coactus eſt , nondum S. Romualdus ex Gallia reverſus fuiſſe videtur , ut recte adnotant Bollandiani collectores , quorum haec ſunt verba : „ Non in S. Pauli mo-
„ naſterio vixit Romae S. Adalbertus , ſed, ut diximus,
„ in S. BONIFACII , quod nunc S. ALEXII dicitur ;
„ eratque recens a Sergio Damaſceno Epiſcopo, Bene-
„ dicto VII. annuente , inſtitutum in Aventino : nunc
„ eſt Hieronymianorum (20) .

Ce-

„ pro Chriſti Fide ab Ethnicis necati, „ adhuc inſepulti jacuerunt ; divi- „ no imperio juſſus ſum eorum in- „ tereſſe funeri,& Chriſtiano ritu Sa- „ cra illa Corpora ſepelire : in Bohe- „ mia eſſe me oportuit , ut fratri- „ bus meis uterinis ſupremum hoc „ praeſtarem officium „. *Ita ex Annalibus Bohemorum apud Bolland. inter miracula n. 3. poſt Vitam II. Divi Adalberti die 23. Aprilis.*

(19) B. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi Abbatis apud Bolland. die 7. Febr. Cap. VIII. haec habet : „ B. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, „ e Sede ſua Praga expulſus, Romam „ venit : audiens autem tunc cele- „ bre nomen S. Romualdi, quod per „ totam Italiam ferebatur , incenſus „ videndi eum ſtudio , perrexit ad „ ipſum ; & ſtatim , ut eum vidit , „ mutato priſtino habitu , inter ejus „ diſcipulos habitum Monachi ſu- „ ſcepit &c. „

(20) Bolland. Acta SS. die 7. Febr. in notis ad Vit. S. Romualdi cap.8.

Digitized by Google

Ceterum B. Martyris Adalberti Corpus Boleslaus Poloniae Dux (21) dato pretio mercatus a Barbaris, in patriam tranſtulit, & Gneſnae honorifice condidit: ad quod pie caſteque venerandum Otto III. perrexit nudis pedibus, atque in tanti Viri honorem, quem vivum plurimum dilexerat, Eccleſiam illam Archiepiſcopalem reddidit: cujus Archiepiſcopalis Inſignia Dignitatis Gaudentio Monacho, Adalberti fratri, deferenda curavit. De Gaudentio igitur agendum.

## §. V.

### *De Sancto Gaudentio Beati Adalberti fratre.*

MAgnae Gaudentii laudi tribuendum, Beatum Adalbertum fratrem habuiſſe; at multo laudabilius, fuiſſe illi non tam naturae & ſanguinis, quam morum & vitae ſimilitudine conjunctiſſimum. Nam una cum ipſo Romam veniens, monaſticae ſe diſciplinae tradidit, eamdem quam Adalbertus vitae rationem ſuſcipiens ſub Abbate Leone, de quo ſupra diximus. Fratres (1) alios Adalberto duos fuiſſe legimus, qui & ipſi Romam quum veniſſent, atque illum eo in conſilio haerere intellexiſſent, ut Monachus fieri vellet, ſibi

(21) Boleslaus Poloniae Dux, filius Boleslai cognomento Saevi, qui Sanctum Wenceslaum fratrem ſuum interemerat. Ex Chronographo Saxonico ad an. 937. apud Godefridum Guillelmum Leibnitium in Acceſſionibus Hiſtoricis pag. 155. Lipſiae A.D. 1698.

(1) Hos Adalberti fratres eosdem fuiſſe non temere ſuſpicamur, quos a Bohemis foediſſime contrucidatos ante diximus, ut Adalberti Acta teſtantur: *Gens autem haec ſceleratiſſima, ad quam redire compulſus eſt* (Adalbertus), *in odium ſui nominis grande nefas peregerunt; nam parentes ſuos miſero vulnere proſternunt fratres, fratrumque filios &c.* ex Vita prima cap. 5. §. 25. Vide ſupra §. IV. pag. 108.

Digitized by Google

ſibi revertendum exiſtimarunt. *Duo ex fratribus, qui cum eo erant, jamdudum videntes, quia* (Adalbertus) *ſe Monachum facere vellet, non bene projecto clypeo fugam dederunt. SOLUS VERO GAUDENTIUS exemplo conſtantis viri remanens cum Beato Viro, MONACHATUM atque probabilem converſationem conſequutus eſt; qui etiam ſibi carne & ſpiritu duplex germanus, & ab infantia ſemper fidiſſimus comes adhaeſit* (2). Monaſtico igitur habitu indutus Alexiano in Coenobio Gaudentius, a latere Adalberti, quem diligebat plurimum, avelli nunquam potuit; & non modo laborum, ſed itinerum perpetuus illi ſocius & comes fuit, etiam quum poſtremo in Bohemiam redux, Sacra Lipſana S. Martini Turonenſis & S. Dionyſii Pariſienſis in Galliis veneratus, inde Praga declinans, Gneſnam, Gedanum, & in Pruſſiae Provinciam deſcendit, ubi labores ſuos illuſtri Martyrio complevit.

Quinimmo Gaudentium una cum fratre Martyrem occubuiſſe Annales Warmienſes tradunt: *ferro in viſcera adacto contrucidatur eadem die, qua a ſacrificulis furenti impetu caput Adalberto amputatum eſt.* Sed multa nos inducunt, ut nullam eis fidem adhibendam arbitremur. Primum inepta multa produnt, & anilium pleniſſima fabellarum, inter quae illud praecipuum, quod ad rem noſtram pertinet, Adalbertum, poſtquam Martyr jacuerat, abſciſſum caput ſuis ipſum manibus mirabiliter geſtaſſe (3), & multa mil-

(2) Ex Vit. prima S. Adalb. c. 3, §. 16.

(3) Etiam in Vita S. Romualdi Abbatis, Auctore Hieronymo Camaldulenſi, num. 47. dicitur: *Corpus Sancti Adalberti virtute divina erectum, & accepto proprio capite in manibus, eadem via qua venerat, in Poloniam reverſum, ac in civitate, quae Gneſna dicitur, a Fidelibus honorifice tumulatum &c.* quod ex iiſdem Annalibus Warmienſibus derivatum putamus.

Digitized by Google

millia paſſuum confeciſſe; quoad in Poloniam perveniſſet, ac in civitate, quae Gneſna dicitur, iterum commode placideque occubuiſſet. Hunc de Adalberto errorem (qui error a pictorum licentia, qui Martyres caput ſuum amputatum geſtantes pingere ſolent, omnino manavit in Vulgus) quum Annalium Warmienſium Scriptores enarrare non dubitaverint, neque digni ſunt, quibus de Gaudentii Martyrio credatur, licet in Breviario Warmienſi edito Anno Domini 1516. ex praeconcepta opinione ſic iterum narretur: *Sanctus quoque Gaudentius, praedicationis ipſius ſocius, pariter eodem fato & loco Martyr Chriſti conſecratur*. Accedit, quod de Gaudentii Martyrio nihil ab Antiquis proditum eſt: legitur quidem in Actis (4), ipſum fratris morti praeſentem fuiſſe, & in vincula conjectum poſt celebrationem Miſſae, qua Sacra extrema Communione S. Adalbertus refectus eſt, antequam a ſatellitibus teterrimis confoderetur (5). Sed de Gaudentii nece ne verbum quidem. Quare qui Adalberti fidiſſimus ſocius, qui ejus virtutis animique magnitudinis imitator egregius ſemper fuit, hunc & Martyrium mortiſque ſimilitudinem optaſſe quidem, non obtinuiſſe exiſtimare debemus: quod aperte his verbis declarat Coſmas Pragenſis (6): *Gaudentius non ſolum carnali, ſed etiam ſpirituali conjunctione frater S. Adalberti, & comes individuus in omni labore & aerumna fuit; etſi cum eo NON CORPORE MARTYRIUM,*

P men-

(4) Nempe in Vita prima S. Adalberti cap. 6. num. 29. & 30.

(5) *Fratre Gaudentio Miſſam celebrante, Sanctus ille Monachus Adalbertus communicavit; & poſt Sacram Communionem . . . affluit Paganicus furor, & irruerunt ſuper eos impetu magno, & injecerunt omnes in vincula &c.* ibidem.

(6) Apud Bolland. Acta SS. die 23. Aprilis num. 7. pag. 202.

*mentis tamen compaſſione tulit; nec enim fieri potuit, ut gladius animam ejus non pertranſiret, quum germanum ſuum Romphaeis Paganorum concidere videret, & ipſe pariter occidi optaret.*

Sed quod nullum dubitationi locum relinquit, illud eſt, quod ante poſuimus, Gaudentium electum fuiſſe Epiſcopum Eccleſiae Gneſnenſis, quae in honorem S. Adalberti ibidem tumulati, in Sedem Archiepiſcopalem ab Ottone III. erecta fuit, ut legitur in Chronico Magdeburgenſi, cujus fragmenta edidit Mabillonius (7): ex quibus habemus, quod *Imperator Otto III. auditis mirabilibus, quae per dilectum Sanctum Martyrem Adalbertum Deus fecit, orationis cauſſa eo pergere feſtinavit . . . Videns autem a longe civitatem Gneſnam deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter advenit . . . . nec mora, fecit ibi Archiepiſcopatum . . . . cujus Dioeceſi omnis haec regio ſubjecta eſt, committens eumdem praedicti Martyris fratri, qui & Gaudentius &c.* vocabatur.

Hac de cauſſa Gaudentius appellatus eſt *Archiepiſcopus S. Adalberti* (ſcilicet Archiepiſcopus Gneſnenſis Eccleſiae, ubi S. Adalbertus Epiſcopus & Martyr quieſcebat); nam hoc titulo vocatum & ſubſcriptum legimus menſe Decembris die ſecunda A. D. 999. in placito Farfenſi de cella Minionis, quod primus vulgavit Mabillonius Annalium Ord. S. Bened. lib. 51. §. 95. ubi inter alia haec leguntur: *Quadam vero die dum reſideret Domnus Otto Imperator in palatio . . . . . . & reſidentibus ibi cum Domno Leone Archiepiſcopo Sanctae Ravennatis Eccleſiae, & Gaudentio Archiepiſcopo S. Adal-*

(7) Mabillon. ſaec. Bened. tom. 7. poſt Vitam S. Adalberti.

*S. Adalberti &c.* In ſubſcriptionibus vero prae aliis ita legitur : *Ego Gaudentius Archiepiſcopus S. Adalberti Martyris interfui, & ſubſcripſi*. Patet itaque, poſt Adalberti Martyrium Gaudentium conſtitutum eſſe Epiſcopum Gneſnenſis Eccleſiae, in eaque mortuum, & ſepultum eſſe, ut ſatis etiam comprobatur ex Hiſtoria translationis Sacrorum Corporum Adalberti, Gaudentii, & quinque fratrum, quam late deſcribit Coſmas Pragenſis Decanus initio libri 2. Chronici Bohemiae; quamque Mabillonius (8) in Annalibus ſic refert : „ Caſimiro mortuo (9), Bracislavus Dux Bohemiae „ collectis militibus Poloniam aggreditur, Metropo„ lim Gneſnam nullo negotio capit, Corpus S. Adal„ berti Epiſcopi & Martyris, qui in baſilica B. Mariae „ illic quieſcebat, cum Corpore S. Gaudentii ejus fra„ tris Pragam aſportat . . . . *Porro haec S. Adalberti* „ *translatio facta dicitur hoc anno* 1039. *Kalendis Se*„ *ptembris* „. De hac re Bohemi & Poloni inter ſe acerrime decertant. Hi enim Oſſa Adalberti & Gaudentii Gneſnae adhuc aſſervari contendunt, & monumentum, ubi ea condita ſunt, cuique oſtendunt, magnificentia & religione celeberrimum. At Bohemi hunc victoriae, quam Bracislavus a Polonis reportavit, fructum, hoc trophaeum clariſſimum fuiſſe ſtatuunt, Sacros Beati Adalberti Cineres, victis Gneſnenſibus, ereptos, & Pragam magno cum triumpho translatos, atque ibidem honorificentiſſime collocatos. Quae utriuſque partis

P 2 mo-

(8) Mabillon. Ann. Bened. tom. 4. lib. 58. §. IV.

(9) Caſimirus Miſeconis Polonorum Ducis filius, quem e Polonia cum matre fugatum, & Cluniaci factum monachum, Polonici Scriptores uno conſenſu tradunt, eumque demum a Polonis ipſis revocatum, & throno impoſitum fuiſſe. Vide Chronograph. Saxonicum &c.

momenta rationum ſint, inſpicere qui velit, is legat & Baronium, qui Polonis favere videtur, & Diſſertationem, quam pro Bohemis edidit Bohuslaus Balbinus lib. 3. Epitomes Rerum Bohemicarum apud Bolland. in Actis SS. die 23. Aprilis. Nos autem reliquos Coenobii noſtri Monachos pietate inſignes proſequamur.

## §. VI.

### *De Patre Nilo.*

FRatres illi Graeci, quibuſcum maximus B. Adalberto uſus fuit, quo ſuo quiſque proprio & certo nomine appellarentur, jam ante diximus (1); qui vero eſſent, ſi Nilum excipiamus, quum nil quidpiam amplius praeter eorum nomina ſcripto proditum ſit, divinare non poſſumus. Quare ſatis erit adſtipulari Baronio (2) aſſerenti Graecos fuiſſe, qui perturbatum ſtatum Orientalis Eccleſiae relinquentes, *tanquam columba Noe olivam uberem & ſpecioſam, ubi conſiſterent, huc quaeſivere*: ubi ſub Abbate Gregorio eos moderante, ad Sancti Baſilii normam diſciplinae, vitam moreſque ſuos diligenter exigerent, dum interea Latinis, qui ibidem Benedictini erant praeeſſet inſignis Abbas Leo, ut ſuperius oſtendimus §. III. pag. 91. & ſeqq.

Sed de Nilo hoc additur in Actis (3), ipſum ex numero eorum fuiſſe, qui noctis ſilentio Martyrium ejuſdem Adalberti inſtinctu afflatuque divino cognove-

(1) Sub initium Capitis IX. pag. 78.
(2) Baronius ad an. 990. §. IV.
(3) Vide Acta S. Adalberti, ſeu cap. 6. Vitae primae num. 29. apud Bolland. 23. Aprilis.

verunt; aliiſque tanquam ſi praeſentes vidiſſent, annuntiaverunt: *At Pater Nilus . . . . ita alloquitur: ſcias, dulciſſime fili; quia amicus noſter Adalbertus ambulat cum Spiritu Sancto, & beatiſſimo fine praeſentem vitam erit terminaturus*. Viſionem hanc uberius explicat Scriptor alter ejuſdem Vitae (4): *Romae interea in Monaſterio, quo Sanctus ille Philoſophia Benedicti Patris nutritus erat, revelatio divina haec dicta dedit: inter plures viſiones . . . . . hac bora Pater Nilus ad Monaſterii illius ſpirituales fratres verba miſerat dicens: notum ſit veſtrae dilectioni, quia amicus noſter bonam viam habet; vere Adalbertus cum Spiritu Sancto ambulavit*.

Num vero hic Pater Nilus idem habendus ſit cum celebri Abbate Nilo, qui Nilus Junior dicitur, haud ita facile conſtituendum arbitror. Henſchenius (5) in adnotationibus ad hunc locum, unum ab altero diverſum putat; neque tamen ullam cauſſam affert, quamobrem id ſibi perſuaſum fuerit. Mabillonius ex adverſo in re monaſtica verſatiſſimus nullus dubitat, quin idem fuerit: en hujus verba (6): „ Leonis SS. BONIFACII & ALEXII in Urbe Abbatis praeclarum „ elogium habetur in Vita S. Nili Junioris, qui illuc „ cum Monachis ſuis hoc fere tempore ſe recepit, uti „ & plures alii, maxime Adalbertus Pragenſis „. At quoniam nec Mabillonius quidpiam rationis exponit, qua comprobet ſententiam ſuam, non alienum a propoſito videtur, ſi conjecturas noſtras & rationes, quaecunque eae tandem ſint, adjiciamus.

Et

(4) Vita ſecunda ibidem cap. *6.* num.*26.*

(5) Acta SS. die 23. Aprilis in notis ad cap. IV. Vitae ſecundae Beati Adalberti lit.d.

(6) Tom.4. Annal. Ord. S.Bened. lib.51. num.2. ad an.*995.*

Digitized by Google

Et primo quidem ſi vocabulum *Patris* attendamus, quo Nilus noſter unice afficitur: *hoc erat Pater Nilus*, dum alii ejuſdem ſocii proprio tantum nomine vocantur *Joannes Bonus*, *Simplex Stratus &c.* Patris praenomine nequaquam addito; haud levis emergere ſuſpicio videtur, de Magno hic Patre Nilo ſermonem eſſe, ad quem perrexerat Adalbertus, antequam monaſticum cucullum indueret (7): *ad Magnum Virum Nilum perrexit: . . . . quem intuitus Domnus Abbas Nilus . . . inquit: accipe patris conſilium, & unde digreſſus es, repete urbem Romam . . . Domnum Abbatem Leonem, nobis amiciſſimum, ex noſtra omniumque perſona ſalutes &c.* Si hoc ipſum inſuper amicitiae vinculum animo repetamus, quo Magnus Pater Nilus erga Leonem Abbatem SS. BONIFACII & ALEXII ſe magnopere obſtrictum teſtatur; quominus hic Romam (8) veniens ad Leonem Abbatem diverterit, ejusdemque hoſpitio uſus ſaepe fuerit, vix ambigendum reor.

Quod autem poſtea S. Nilus e monaſterio vallis Lucii, quod Caſſinates Pandulpho Cajetae Principe auctore donaverant, atque ubi quindecim annos exegerat abſcedens, in Alexianum noſtrum cum quibuſdam ſociis ſuis ſeſe receperit eo ferme tempore, quo iſthuc iterum rediens B. Adalbertus, *uſus ſibi maximus erat colloquia quaerere ſpiritualium & ſeniorum, Gregorii Abba-*

(7) Ex Vita prima S. Adalberti cap. 5. num. 14. Vide ſupra §. III. pag. 93. & §. IV. pag. 100. & ſeq.

(8) S. Nilum Romam veniſſe conſtat ex Actis ejuſdem, a B. Bartholomaeo IV. Abbate Monaſterii cryptae Ferratae conſcriptis, in quibus legitur: *Quum Romam aliquando profectus eſſet* Nilus *orandi gratia, & perquirendorum quorumdam librorum, vidit in aede S. Petri Apoſtoli transeuntem mulierem Alemanam, corporis proceritate praeſtantem &c.*

Digitized by Google

*batis*, *Patris Nili*, aliorumque, quos ſupra memoravimus Capite IX. pag. 78. tametſi diſerta ejus rei narratio non habetur in Actis S. Nili; indicium tamen atque argumentum aliquod eſſe crediderim eo in loco, ubi narratur, quod B. Nilus quum videret Fratres ad quamdam animi remiſſionem delabi, illinc diſcedendum, atque alio commigrandum ſtatuerit (9): *Ceterum Beatus Nilus commoratus in monaſterio valle Lucii titulo ad quindecim annos, poſteaquam creviſſet numerus Fratrum, & neceſſaria ſuperabundarent, & monaſterium eſſet amplum, & ejus opera celebre factum, quum antea tale non eſſet, videbat Fratres remiſſius affectos erga ſpiritale miniſterium, & exactam Regulae diſciplinam, quam ab initio ſuſceperant, & lata via gaudentes, concertanteſque quis eorum eſſet major . . . . Haec poſtquam perſpexit Beatus Vir, ſciens rerum copiam pleriſque cauſſam eſſe diſſolutionis, plenaeque in tuenda Religione relaxationis, ſurgens inde abſceſſit, pervagabaturque locum quaerens anguſtum, & cum labore ſuppeditantem neceſſaria corpori, ut ſaltem penuria victus tanquam fraeno, ad monaſticae vitae ſtudium pertraherentur idiotae &c.* (10)

Per id itaque temporis, quo S. Nilus e monaſterio vallis Lucii *abſceſſit, pervagabaturque locum quaerens* &c. haud inveriſimile exiſtimamus, Nilum ad amiciſſimum ſibi Leonem Abbatem S. BONIFACII divertiſſe, ubi & illius, & B. Adalberti conſuetudine & familiaritate uteretur, quemadmodum hujus Acta teſtantur. Interea vero S. Nilus *locum quaerebat cum labore ſuppeditantem*

(9) Ex Actis S. Nili Junioris, a contubernali ejus diſcipulo Graece ſcriptis, & a Jo: Matthaeo Caryophilo Archiepiſcopo Iconienſi Latinitate donatis, pag. 124. & ſeq.

(10) Ex Vita S. Nili apud Mabillon. Acta SS. tom. 7. ubi de Aligerno Abbate Caſſinenſi.

Digitized by Google

*tem neceſſaria corpori*; quem ubi poſtmodum invenit, Aſceterium ſcilicet Serperis in Cajetae finibus, illuc abiit cum ſociis ſuis; ibique permanſit, quoad hortante caritate Urbem remeavit, ut a Gregorio Papa V. & Ottone III. Imperatore Pſeudo-Pontificis Joannis XVI. cognomento Philagati, natione Calabri, libertatem aut vitam ſaltem imploraret. Hominem hunc miſerum luiſſe poenas temeritatis ſuae, & erutis oculis, abſciſſis auribus, mutilatiſque naribus, jumento facie ad caudam inverſa, per ſummam ignominiam Urbe circumvectum, ſuique cauſſam ſupplicii alta voce teſtatum his verbis, *tale ſupplicium patitur, qui Romanum Pontificem de ſua Sede pellere nititur*, tradunt Glaber Rodulphus (11), & B. Petrus Damiani (12), aliique. Tantae rei atrocitate, miſerique hominis ſupplicio commotum, Nilum Romam veniſſe ſcribit Baronius (13), qui ex Actis B. Nili rem ita exponit: „ Haec quum audiiſſet B. Nilus corde afflictus, coactus fuit ſenio & morbo confectus . . . . Romam venire, & Imperatorem adire „ pro gratia impetranda „ &c. quumque Sanctus Vir conſiſteret coram Ottone III. & Gregorio V. a quibus perhumaniter exceptus fuerat, dixiſſe fertur in Actis: *Veni non honorem cupiens, vel munera, vel proventus magnos, ſed gratiam pro eo, qui vobis multum inſervivit, & male a vobis tractatus fuit, & a vobis oculi illius ſunt eruti . . . . Precor pietatem veſtram, ut illum mihi dono detis, ut mecum inpoſterum ſedens, ambo peccata noſtra deploremus*. Atque haec, vere ut dicam, non impediunt, quominus B. Nilus Romae tunc hoſpitio Coenobii

(11) Glaber Rodulphus lib. primo Hiſt. cap. 4.

(12) Petrus Damiani Epiſt. II. ad Cadaloum Antipapam.

(13) Baron. ad an. 996. §. XVI. ex Actis B. Nili.

Digitized by Google

nobii Alexiani uſus fuiſſe judicandus ſit. Sed praeterea, quod idem Nilus eo tempore B.Adalberti contubernalis fuerit, hoc eſt, in quo mihi aqua haeret, ut ajunt; propterea quod haec extremo anno 998. contigerunt; Adalbertus autem jam Martyr occubuerat die 23. Aprilis A. D. 997.

His accedit, quod hoc anno 997. S. Nilus in Aſceterio Serperis vitam traduceret; Nilus autem noſter in Monaſterio Alexiano Martyrium Adalberti divino inſtinctu cognoverit (14). Quare niſi ſtatuamus, S. Nilum Juniorem ſub finem Aprilis anni 997. in Alexiano Coenobio moram traxiſſe (quod ejuſdem Sancti Actis non repugnat), non video aliter tempora convenire, ut eumdem Nilum eſſe exiſtimemus. Sed de hoc ſatis: ceteros commemoremus.

## §. VII.

### *De Leone Simplici.*

PRaeter Leonem Abbatem, de quo paullo ante dictum eſt, alioſque Coenobii Alexiani ſeniores Monachos, quibuſcum vixit, quamdiu Romae fuit Beatus Adalbertus, floruit Leo ejuſdem nominis alter Monachus, cui quidem uni ab his (1), qui Adalberti res geſtas litteris prodiderunt, hae laudes omnium

Q maxi-

(14) *Ecce in Monaſterio, ubi ille* (Adalbertus) *nutritus fuerat . . . Dominus per viſum oſtendit . . . at Pater Nilus* &c. ex Vita prima Sancti Adalberti cap.6.num.29. ut ſupra. *Romae interea in Monaſterio, quo Sanctus iſte Philoſophia Benedicti Patris nutritus erat, revelatio divina* &c. *hac hora P. Nilus* &c. ut ſupra ex Vita ſecunda cap.6. num.26.

(1) In Vita II. Sancti Adalberti cap. 4. num. 17. apud Bolland. 23. Aprilis.

Digitized by Google

maximae tribuuntur, quod *Simplex* fuerit, quod *pſalmorum amicus*, quod *ſemper praedicare paratus*. Etſi enim ea maxime aetate, quae monachorum innocentiae ac ſanctitatis aetas fuit, neminem ipſorum non antiqua illa ſimplicitate praeditum, non divinis laudibus canendis magnopere addictum, non Chriſtianae Religionis, ſive exemplo ſive verbo diſſeminandae, vehementer cupidum fuiſſe exiſtimandum ſit; tamen Leo dignus habitus eſt, quem reliqui in his maxime admirarentur. Is a Baronio idem plane exiſtimatur, ac Leo Abbas Nonantulanus, cujus meminit B. Petrus Damiani (2), nec non idem ac Leo Alexiani Monaſterii Abbas. Nam in Annalibus Eccleſiaſticis ad A. D. 990. ſ. IV. ubi Gregorii, Nili, Joannis, Leonis, aliorumque iſtius Coenobii virorum vitae ſanctimonia illuſtrium, quos hujuſce Capitis initio memoravimus, nomina protulit, illud adjicit: „ Haec „ de illis, qui videbantur eſſe columnae, de quorum „ noviſſimo, nempe Leone, ſcribit Petrus Damia„ ni . . *Leo quoque Nonantulanus Abbas &c.* Porro hic „ iſte Leo, jam Abbas ejuſdem Monaſterii S. BONIFA„ CII, ſcriptus poſtea reperitur in Synodalibus Actis, „ quum Legatione functus eſt in Gallias „ &c. Hanc Baronii opinionem permulti omnino ſequuti ſunt. At Bollandiani continuatores ea parte, qua noſter Leo idem a Baronio perhibetur, ac Leo Abbas Nonantulanus, vehementer repugnant; ac non magis Nilum (3) Monachum Alexianum a Sancto Nilo Juniore, Baſilianorum Parente, quam Leonem Simplicem a Leone No-

(2) B. Petrus Damiani in Ep. ſeu Opuſc. IX. ad Nicolaum PP. II.

(3) Vide ſupra §. VI. pag. 117.

Nonantulano ſecernendos contendunt. „ Ab aliqui-
„ bus hic cenſetur Leo Nonantulanus Abbas: memi-
„ nit ejus Petrus Damianus Epiſtola ad Nicolaum Pa-
„ pam. Verum potius alium arbitramur, uti & Ni-
„ lum praenominatum a Sancto Nilo diverſum; hi
„ enim videntur eſſe quatuor Graeci, & quatuor La-
„ tini, qui Romanum incolebant Monaſterium, inter
„ quos S. Adalbertus vivebat nonus ac medius (4) „.
Hactenus illi, a quorum opinione tam longe nos qui-
dem diſtamus, ut Baronium hac parte recte quidem
ſenſiſſe, altera vero, qua Leonem *Simplicem* eumdem
facit, ac Leonem Monaſterii Alexiani Abbatem, lapſum
fuiſſe arbitremur. Etenim quae nos ratio impulit, ut
Patrem Nilum a S. Nilo Juniore forte diverſum non
eſſe crederemus, eadem ferme nos admonet, ut Leo-
nem, de quo eſt ſermo, a Leone Abbate Nonantula-
no minime ſecernamus.

Hic autem, Mabillonio (5) duce atque auctore,
tres diſtinguamus oportet Leonis nomine ejuſdem Or-
dinis Abbates, qui exeunte ſaeculo decimo clariſſima
exempla virtutum ediderunt. Primus quidem Leo eſt
Abbas Alexianus, atque Apoſtolicae Sedis in Gallias
Legatus, de quo jam egimus §. III. alii duo, unus poſt
alterum, Nonantulani coenobii rectores a Petro Damia-
ni collaudati in Epiſtola IX. ad Nicolaum II. quorum
prior, abdicata praefectura, in Monaſterium Alexianum
recepit ſeſe, ac ibi quum deceſſiſſet, magnam reliquit
famam ſanctitatis ſuae; poſterior Archiepiſcopus Ra-
vennas poſt Gerbertum creatus, eam Dignitatem non

Q 2 diu

(4) Bolland. in notis ad cap. IV. num. 17. Vitae ſecundae S. Adalberti die 23. Aprilis.

(5) Mabillon. ſaec. V. Bened. to. VII.

Digitized by Google

diu tenuit, ſed poſt biennium paralyſi percuſſus *Cathedram ſprevit*, ut inquit idem Petrus Damiani; *ſicque privatus fere quadriennio ſupervixit*. De priore igitur Abbate Nonantulano verba faciens Petrus Damiani, ſic ejus Vitam deſcribit: *Leo quoque Nonantulanus Abbas ad memoriam rediit, qui dum clericalem adhuc ſpeciem peteret, jamque devotione peracta, ab Hieroſolymis remeaſſet, ſic vitam ſuam inſtituit, ut nihil aliud praeter unum dumtaxat aſinum poſſideret . . . . poſtmodum vero ad monaſterii regimen violenter attractus . . . . vixque peracto biennio, in manu Ottonis, qui tunc Imperii ſceptra regebat, paſtoralem baculum rediit; deinde apud S. Bonifacium intra Romana moenia perſeverans, ex omni quod ſibi vitae hujus reſiduum fuit, nil aliud quam aeternae vitae ſibi ſtipendia procuravit: ad cujus poſtmodum ſepulturam caecus veniens, luci priſtinae aſſeritur reſtitutus*. Hoc Leonis Monachi Alexiani elogium, qui ex Hieroſolymitana peregrinatione Nonantulam reverſus, ibique ut monaſterium illud regendum ſuſciperet, vi adactus, biennio vix elapſo, paſtoralem baculum, Eccleſiaſticae Inſigne Dignitatis, in manu Ottonis Imperatoris tradidit; moxque in Alexianum Monaſterium receſſit, ubi quoad vixit, totus fuit in exercitationibus virtutum & contemplatione rerum divinarum; ſane non video, cur Leoni convenire minime poſſit, qui itidem Monachus Alexianus erat, *Simplex* dictus, *pſalmorum amicus*, & *ſemper praedicare paratus*. Convenit rei, convenit temporis ratio; quid eſt igitur, quamobrem Mabillonio non aſſentiamur, qui non male exiſtimat, Leonem Simplicem eumdem eſſe, ac Nonantulanum, ut vocant, ex-Abbatem, qui *Leonis*

*Boni-*

Digitized by Google

*Bonifaciani* ( Mabillonii verbis utor ) *caritate & ſapientiae laude ductus ad eum confluxit, ibique privatus ad mortem uni Deo militavit?*

Illud potius miramur, cur Baronius Leonem Abbatem eumdem fuiſſe, ac Leonem Simplicem arbitretur. Etſi enim illum & doctrina, & pietate, aliiſque virtutibus ( addo etiam ſimplicitatem illam, quae propria eſt Chriſtianorum ) praeſtitiſſe non dubito; tamen magnae illae res, in quibus ſumma cum prudentiae laude verſatus eſt, petere videbant, ut non ſimplex, ſed prudens nominaretur. Hominem enim Gallicana ad Hugonem Regem Legatione diligentiſſime perfunctum (6), Concilia Moſomi Remiſque habita Pontificio nomine moderantem, & Chriſtianae Reipublicae negotia maxima pertractantem, nemo quidem, ſi laudandum ſuſcipiat, apto laudis genere ſimplicem praedicaverit. Huc accedit, quod ſi Leo in Romanum Coenobium ſe recepit, ut abjectioris Abbatiae procuratione abdicata, Alexianam ampliorem, & tunc opulentiorem in ipſius Urbis luce & celebritate obtineret, & mox Pontificia Legatione exornaretur; quid eſt, cur B. Petrus Damiani Leonem hunc magnopere collaudet; propterea quod Nonantulanae Abbatiae ornamenta abjecit, ac privatae tranquillaeque vitae rationem inivit? Quid eſt, cur illum reliquis proponat ad imitandum, tamquam praeclariſſimum exemplum Chriſtianae magnitudinis animi, qua Eccleſiaſticae Dignitatis Inſignia defugiendo reliquit? Ut multae & magnae Leoni Alexiano Abbati laudes apte conveniunt, haec quidem maxime in eum quadrare non videtur. Hoc igitur maneat

(6) Vide ſupra §. III. pag. 94.

neat, quod tametſi Baronio minime in eo aſſentiamur, quod Leonem Nonantulanum eumdem putet, ac Leonem Alexianum Abbatem, aſſentimur tamen, quum Leonem Simplicem eumdem putat eſſe, ac Leonem Nonantulanum, qui noſtro in Coenobio tandem diem obiit ſupremum; cujuſque obitum multa prodigia conſequuta dicuntur, ac illud praeſertim, quod, „ ad ejus „ ſepulcrum caecus veniens luci priſtinae aſſeritur re„ ſtitutus „.

## ſ. VIII.

*De S. Anaſtaſio & quinque Sociis, Alexiani Coenobii Monachis, atque Glorioſis Poloniae Martyribus.*

Anaſtaſius inter illuſtres noſtri Coenobii viros eum obtinet locum, ut anteferatur huic forte nemo, pauci pares putentur. Auſtricus alio nomine dictus fuit, & Adalbertum Roma iterum in Bohemiam redeuntem, cum aliis quinque Sociis comitatus eſt. *Hic*, ut verbis utar Mabillonii, (1) *in Monaſterio S. Alexii ſeu S. Bonifacii Romae, vitam monaſticam agebat ſub Leonis Abbatis regimine eo tempore, quo S. Adalbertus Pragenſium Antiſtes in idem Monaſterium denuo ſe recepit. Quum vero idem Adalbertus iterum in Bohemiam ad ſuam Eccleſiam redire coactus fuiſſet, ſex Monachi Alexiani, inter quos noſter Auſtricus* (ideſt Anaſtaſius) *erat, ſeſe ipſi itineris comites adjunxere, eumque in Bohemiam ſequuti ſunt: quod condendo celebri Breunoviae Aſceterio occaſionem praebuit*. Huic Breunovienſi monaſterio in Abbatem

(1) Mabillon. Acta SS. Ord. Bened. tom. 8. ad an. 1007.

Digitized by Google

tem praepoſitum fuiſſe eumdem Anaſtaſium, refert idem Mabillonius in Annalibus Ordinis S. Benedicti lib. 51. num. 61. his verbis: „ Breunovienſe monaſte- „ rium vocant, cui praefectus Anaſtaſius Abbas, qui „ e Monaſterio S. ALEXII, Adalbertum Roma ultimo „ in Bohemiam redeuntem, cum aliis quinque Sociis „ comitatus, eo mortuo, in Pannoniam ad Stephanum „ Ducem ſe recepit: idem poſtea Strigonienſis Eccle- „ ſiae Sedem Archiepiſcopalem promeruit „.

Hactenus quae enarravimus, decerpta ſunt ex Hiſtoria Bohemica Dubravii, qui libro ſexto refert, Boleſlaum Pium, Boleſlai, qui Saevus dicebatur, filium & haeredem, Poloniae Ducem, Romam ad Adalbertum Legatos miſiſſe, qui ei reditum in patriam ad recuperandum Pontificatum perſuaderent. Horum poſtulatis, multoque magis Romani Pontificis Auctoritati obtemperans, Adalbertus Roma diſceſſit; atque e Monaſterio S. ALEXII ſex ſibi Socios, & horum principem Anaſtaſium adſcivit. Sed audiamus Dubravium: „ Adalbertus comitatu auctior factus; nam ſex prae- „ terea Fratres contubernales ex contubernio ad Di- „ vum ALEXIUM, Roma digreſſi, ipſum apud Hun- „ garos ſequuti ſunt, nec divelli ab eo ullo modo po- „ tuerunt. Cum his igitur Bohemiam ingreſſus . . . . „ unacum Boleſlao Principe, Coenobium, quod „ Breunoviam vocant, aedificavit, ac munificentiſ- „ ſime dotavit, deductis in contubernium Sodalibus, „ quos ex Italia (*nimirum ex Coenobio SS. BONIFA- „ CII & ALEXII*) ſecum adduxit, illique nomine „ Abbatis praepoſito ANASTASIO, qui poſthac apud „ Hungaros Strigonienſem egit Pontificem, viro tan-

tae

„ tae ſanctitatis & virtutis, ut mortuum diſcipulum „ precibus ſuis a morte excitaverit „. Haec Alexianorum quaſi colonia Monachorum ab Adalberto in Bohemiam deducta eſt, qui monaſterium Sancti Martini Breunovienſe fundarunt, cujus monaſterii Abbas fuit Anaſtaſius. Hujus magna auctoritas apud omnes, nobile nomen, laus innocentiae & diſciplinae monaſticae maxima: quinimmo perhibent, multis clarum prodigiis floruiſſe, atque eo praeſertim, quod demortuus diſcipulus, ſummis a Deo precibus, ut in vitam revocaretur, impetravit. Eadem fere pietas, eadem monaſtica diſciplina viguit in reliquis Alexianis Monachis, quos ibi adduxerat Adalbertus, quorumque conſortio ſummopere ipſe uti conſueverat, ut ibidem ſubjicit Dubravius: „ Saepius in hoc contubernio Adalbertum, quam in domo ſua Pontificali re„ periſſes: adeo moribus & natura cum ſanctis illis „ Patribus (*nempe Monachis Alexianis*) congrue„ bat „; quos etiam reſpiciens, atque admiratus Boleſlaus inviſere, eorumque menſis aſſiſtere quum non dedignaretur, majorem hinc voluptatis fructum capiebat, quam ex ipſius Regni gloria. „ Nec Boleſlaus „ a conſuetudine illorum abhorrebat, ſponte veniens, „ ut bonis mos eſt, ad bonorum convivia, quae a „ precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant, „ magna cum modeſtia & diſciplina, atque abſtinen„ tia ciborum „.

Sed non diutina hujuſmodi Monachorum tranquillitas fuit; nam impii & conſcelerati homines in Boleſlaum Principem, quem maximopere Chriſtianae Religioni deditum aſſerebant, ſimul & in Adalber-

bertum, quod frequenter eorum vitia reprehenderet, conjurationem inierunt. Quare invidiae cedendum ratus Adalbertus e Bohemia ſeceſſit; ac demum ad Pruſſos ſe contulit, ubi Martyr occubuit, ut ſupra oſtendimus. §. IV. cujus exemplum ſequutus paullo poſt Anaſtaſius, in Hungariam cum ſuis Diſcipulis perrexit, ubi a Beato Stephano tunc Duce benigne exceptus, alterum coenobium condidit, ut refert (2) Chartuitius Epiſcopus in Hiſtoria Vitae S. Stephani Hungarorum Regis. Anaſtaſii autem Comites (quorum nomina mox recitabimus ex eodem Dubravio & Coſma Pragenſi), mortuo Adalberto, ad Gaudentium ejus fratrem divertiſſe dicuntur. Hos quum retinere ſecum ipſe non poſſet, in ſolitarium locum, longeque ab hominum ſocietate ſemotum deduxit, ubi tuguriolum cum ſacello ex lignis confecerunt, atque in ſumma rerum abſtinentia vixerunt. Dicitur Poloniae Princeps, Meſicho nomine, eos ad inviſendum veniſſe, eiſdemque vel invitis pecuniae ſummam reliquiſſe, quam illi velut exitialem ad ipſum per Barnabam eorum contubernalem referri juſſerunt. Interea vero latrones in tugurium nocte ingreſſi, ubi quaeſitam non invenerunt pecuniam, iram in caedem innocentium vertiſſe traduntur, & ad unum omnes occidiſſe, ſolo incolumi relicto Barnaba, qui poſt mortem pariter cum Sociis Gneſnae ſepultus fuit. Sed Hiſtoriam hanc audire praeſtat ejuſdem Dubravii verbis: „ Praeter Anaſtaſium autem & Gaudentium, „ alios inſuper ſex contubernales Breunovia habuit. „ . . . . Illi igitur deſiderio ſolitudinis, quum mi-

R „ gran-

(2) Chartuitius decimotertio ſaeculo vixit.

„ grandi ex Bohemia in Poloniam conſilium coepiſſent,
„ occiſo Adalberto, ad Gaudentium diverterunt ...
„ Nacti illi quem optabant ſeceſſum, in eo tuguriolum,
„ & juxta ſacellum ex lignis coagmentatum ſibi con-
„ ſtituunt. Nomina contubernalium: Matthaeus,
„ Benedictus, Joannes, Iſaac, Chriſtinus, Barnabas
„ ... Frugalitatis omnium iſtorum, innocentiaeque,
„ & continentiae, atque vigiliarum indicium hoc fue-
„ rit, quod famem ſaepius pane ſolo, raro olere adjun-
„ cto, quod ſua ſibi manu ſeverant, legerantque, ex-
„ plebant; ſitim autem aqua ſemper ſedabant; quod
„ a pecunia poſſidenda ita temperaverint, ut ne ter-
„ uncium quidem in zonis ſuis, aut marſupiis ſuis
„ poſſidere vellent; quod denique ſtratis humi in mat-
„ ta ſcirpea corporibus cilicio veſtitis, ſomnum ante
„ mediam noctem interruptum habuerint ... Quo-
„ niam autem rumor jam pridem de bona iſtorum vi-
„ tae conſuetudine ad Meſichonem Principem Poloniae
„ pervenerat; invaſit eumdem Meſichonem cupido vi-
„ dendi, & alloquendi viros ex rumore ſibi laudatos.
„ Ubi igitur ad latebras eorum pervenit, ſummotaque
„ aſſectantium turba, ipſe cum pauciſſimis ſacellum,
„ in quo ſacros pſallebant hymnos, introiit ... ve-
„ lut praeſentia Numina veneratus eſt; tractavitque
„ liberaliter a pecunia, quam abiens illis etiam invi-
„ tis reliquit, praeſidium futurum inopiae, quam ſum-
„ mam adeſſe cernebat. Sed illi ... accerſito Bar-
„ naba, quem panis & olerum diſpenſationi praefe-
„ cerant, tollere eum exitialem pecuniam, & ad Me-
„ ſichonem continuo referre jubent. Abſente Barnaba,
„ ſuperveniunt latrunculi quidam, & in tugurium
no-

„ nocte, irrumpunt; quaeſitaque inibi, & non inventa „ Principis pecunia, iram & furorem in caedem inſon„ tium virorum convertunt: occiſi ad unum omnes, ac „ ſolus Barnabas per abſentiam incolumis eſt ſervatus, „ cum magno animi ſui dolore, quod praeſens eamdem „ cum interfectis Martyrii palmam aſſequutus non fue„ rit. Nihilominus ſui ſimilis permanens, vitam quam „ coepit colere, puram inculpatamque ad fatalem us„ que exitum non deſiit: poſt quem in tumba Gneſnae, „ in quam ante ſe interfecti Sodales elati ſunt, condi„ tus eſt „. Hactenus Dubravius lib. 6. Hiſt. Bohemicae; ex quo ſatis ſuperque intelligimus, quale Monachorum genus e Monaſterio SS. BONIFACII & ALEXII ſibi Socios adſciverit Adalbertus, quum Roma diſcedens unacum Gaudentio & Anaſtaſio, in Bohemiam iterum & ultimo reverſus eſt.

Celebris eſt eorum memoria apud Polonos & Hungaros; ſed obſervante Mabillonio (3), nihil rerum ab illis geſtarum ſcriptum habent praeter ea, quae ex Dubravio laudata ſunt; quaeque refert Coſmas Pragenſis in Chronico lib. primo, ubi ſic habet: „ Temporibus „ Henrici Imperatoris, qui poſt Ottonem III. rexit „ Romanum Imperium, in partibus Poloniae quinque „ Fratres Monachi & Eremitae, viri Iſraelitae: *Benedi„ ctus, Matthaeus, Joannes, Iſaac, Criſpinus* (alii legunt, „ *Chriſtinus*), & ſextus *Barnabas*, quorum non eſt in„ ventus in ore dolus, nec in manibus pravum opus „ . . . Erat tamen eorum converſatio laudabilis, Deo „ acceptabilis, hominibus admirabilis, & eam ſectari



(3) Mabillon. in Indice Sanctorum ſaeculi VI. Bened. pag. xxxi. praetermiſſorum in prima parte.

Digitized by Google

„ volentibus imitabilis. Paſſi ſunt autem hi Fratres „ quinque Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo „ quarto, ſecundo Idus Novembris „. Sed de quinque Sociis, e Monaſterio S. ALEXII in Poloniam deductis, ibique Martyrio coronatis, haec dicta ſufficiant: jam ad Anaſtaſium revertamur, qui Chriſtianae Religionis tum primum in Hungariae Regno exortae ſeminator, educator, altor, & parens fuit.

Hic ex Alexiano Coenobio una cum B. Adalberto digreſſus, Breunovienſis monaſterii, antea ut dicebamus, Abbas conſtitutus, ac demum in Hungariam profectus, a Beato Stephano Hungarorum Duce benigne exceptus fuerat; qui naſcentem Hungarorum Eccleſiam ſine Paſtoribus diu ſubſiſtere non poſſe animadvertens, Provinciam totam in decem Epiſcopatus diſtribuit; atque Colocenſi Eccleſiae, uni ex illis, *Auſtricum, quem doctrina & moribus praeſtantem eſſe noverat*, praefecit; *eumque poſt initum Pontificatum Anaſtaſium appellavit*, ut refert Antonius Bonfinius Rerum Hungaricarum lib. 1. decade ſecunda.

Verum quum haec omnia non ſatis tuto egiſſe ſibi videretur Beatus Stephanus, niſi accederet S. Sedis Apoſtolicae Auctoritas, Anaſtaſium Legatum Romam miſit, cum ut bonam Pontificis Romani veniam, & optima naſcentis Eccleſiae auſpicia, tum etiam ut Regium ſibi Diadema impetraret. Quanta cum prudentiae & felicitatis laude, Legatione illa fungeretur Anaſtaſius, quam ad A. D. 1000. refert Mabillonius (4), ipſius rei exitus declaravit, qui Stephani ſpem expectationemque ſuperavit. Non enim Regiae tantum

(4) Mabillon. Annal. Bened. lib. 51. p. 127.

tum Inſigne dignitatis Diadema, ſed Apoſtolici titulum ſane glorioſum accepit, multaque praeterea ornamenta honoris, quae eidem Apoſtolici nomini convenirent. „ Praeſul Auſtricus (*Chartuitii verba ipſa* „ *afferimus*) ad Pontificem venit; demandatum„ que officium ſibi prudenter exſequens, ſanctique „ Ducis res geſtas ordine referens, a Sede Apoſtoli„ ca Regni Coronam petiit, oſtendens, dignum eſſe „ Ducem & honore & dignitate .... quippe qui „ divina fretus ope, multos ſibi populos ſubjugaſſet; „ multoſque Infideles ſua potentia ad Chriſtum con„ vertiſſet „ &c. qua rerum a Stephano geſtarum narratione mire exhilaratus Pontifex, ipſi (modo ut diximus) Regis Apoſtolici nomen tribuit; & ut eum Crux Apoſtolatus Signum praecederet, Pontificia Auctoritate permittit. Reverſo itaque Anaſtaſio; Stephanus Rex coronatur, atque Eccleſias Dei una cum populis Apoſtolica vice ordinandas ſuſcepit. Quum autem interea Sebaſtianus, qui ex Monacho Archiepiſcopus Strigonienſis factus fuerat, oculis captus eſſet, Stephano Regi optimum factu viſum eſt, ſi Anaſtaſium a Colocenſi ad Strigonienſem Epiſcopatum evocaret: quod quidem non abnuente Romano Pontifice contigit. Sed accidit, ut poſt annos tres Sebaſtianus amiſſum lumen recuperaret: qua re intellecta, Anaſtaſius nihil dubitandum exiſtimavit, quin priſtinam Sebaſtiano Dignitatem reſtitueret, ſeſeque ad ſuam reciperet Colocenſem Eccleſiam.

Hic autem nemini mirum videri debet, ſi Anaſtaſius vel conſequenti tempore Archiepiſcopi Hungarorum titulo condecoratus legatur, & ſubſcriptus Diploma-

Digitized by Google

plomati Joannis Papae XVII. in Concilio Francofordienſi; nam Pallii, ut vocant, uſum & nomen, aliaque Archiepiſcopalis Inſignia Dignitatis, quae acceperat, retinuit: quod eſt in more poſitum, ne quae ornamenta quiſque depoſuit, iis turpiter ſpoliatus esſe videatur. Concilium illud Francofordienſe, quod ex Gretſero Labbeus edidit tom. IX. Conciliorum, ad A.D. refertur 1007. quo anno S. Anaſtaſii obitum contigiſſe putat Mabillonius; propterea quod deinceps nulla ejus mentio occurrat; & quidem die 12. Novembris, quo ſcilicet in Martyrologio Benedictino memoratur his verbis: *Strigoniae in Hungaria depoſitio S. Anaſtaſii Epiſcopi & Confeſſoris, magnae ſanctitatis viri.*

Haec ea ſunt, quae dicenda duximus de Sancto Anaſtaſio aliiſque Sociis, quos & Romae Alexiani Coenobii contubernales vixiſſe, & in Polonia Glorioſos Chriſti Martyres occubuiſſe accepimus a Mabillonio aliiſque, qui haec monumentis litterarum prodiderunt.

## ſ. IX.
### *De Joanne Canapario & Francone, Alexianis Monachis.*

TAnta eſt virtutis excellentis vis, ſplendor, dignitas, ut etſi a celebritate remota, quaſique in tenebras ſolitudinis abdita, luceat tamen, atque in animis hominum mirificos excitet amores ſui. Hoc maxime intellectum eſt in *Joanne Canapario*, de quo ſermonem inſtituimus, qui Monachorum Alexianorum ſanctiſſimam vivendi rationem admiratus, tanto eos imitandi ſtudio exarſit, ut laeto & gaudenti ani-

animo prorſus abjudicatis, rejectiſque omnibus, Monachorum jamjam humilem contemptamque veſtem induere non dubitaverit; tantumque in eo vivendi genere profecerit, ut deinceps dignus habitus ſit, qui ceterorum dux, magiſter, & Abbas eligeretur. Quae res, quod vir fuerat in Urbe primarius, & nobilitate opibuſque maxime florens, permagnam Alexiano Monaſterio famam & laudem religionis & ſanctitatis conciliavit. Accedebat, quod Joannes idem (ut homines quemadmodum in ſe, ſic in amicos animati eſſe ſolent) cognatos pridem, affines, atque amicos ſuos monere, hortari, obſecrare non deſiſtebat, ut mentem a curis viliſſimis fluxarum rerum ad divinas & aeternas contemplandas converterent, & quod ipſe amplexus fuerat, vitae inſtitutum ſequerentur: ibi quietam & tranquillam vitam agi, quam non aeterna mors, ſed caeleſtis immortalitas conſequatur. Haec ille inculcare omnibus, haec denunciare quum ſaepe coepiſſet, quidam illius affinis, Franco nomine, cognomine autem Maringus, ibidem Monachus non ſine permira quadam ratione factus eſt.

Nam dum ante SS. Coſmae & Damiani templum via, quae Sacra (1) dicebatur, pergeret, repente morbo anginae teterrimo correptus (qui morbus eo tempore late manans totam fere Urbem occupaverat), mortem ſibi inſtare, & jam appropinquare videbat. Ergo, ut propinquae aeternitatis metus plerumque homines in ſaniorem rerum cognitionem adducit, ſta-

(1) Via Sacra dicta eſt Romae; quod certis ſacris & caeremoniis foedus inter ſe in ea fecerint Tatius Rex Sabinorum & Romulus, ut teſtatur Dionyſius. Alii aliter ſentiunt. Vide Donatum de urbe Roma lib. II. cap. 12. & Nardinum Rom. ant. lib. III. cap. 12.

ſtatim data cuidam, qui ſibi aderat, dextera, ad Monaſterium Alexianum ſe duci rogat; quo quum perveniſſet, licet jacentem vox vireſque deficerent, tamen quam potuit vehementer a Joanne petit, ſe ut in Alexianorum Monachorum conſortium admittendum curet. Hanc unam ſibi viam eſſe intelligere ſero quidem, at intelligere tamen, ut & SS. ALEXII & BONIFACII interceſſione ſeſe a daemonum laqueis expediat, & divinae miſericordiae opem praeſidiumque aſſequatur. His flexus Canaparius adit Leonem Abbatem & Fratres reliquos; quibus facile annuentibus, Franco monaſticam veſtem induit; & paullo poſt ſacramento ſeſe obſtrinxit, ab illo diſciplinae monaſticae Inſtituto nunquam diſceſſurum, ſi vita ſuppetat. Sed quod divini Numinis praeſentiam declaraſſe videtur, hoc fuit, quod vix eam vocem emiſerat, extinctus eſt.

Hanc Hiſtoriam referunt Baronius, Bollandus (2), Mabillonius (3), aliique (4), ex vetuſto mſ. codice Caſſinenſi deſcriptam, quam hic iterum ſubnectere nemini ingratum fore exiſtimamus:
„ Non ſolum qui aſſiduitate Romam plus ſolius Petri
„ poteſtate, quam Regum judicio urbium dominam
„ incolunt, verum etiam qui a diverſis mundi parti-
„ bus eam expetunt, pretioſiſſimum ſciunt Templum
„ Corporibus SS. Chriſti Martyris BONIFACII &
„ Confeſſoris ALEXII decoratum: in quo dum fama
„ ſacrae religionis creſceret, quidam nobilitate
„ car-

(2) Baronius Annal. Eccl. ad An. Domini 1004. §. VIII. Bolland. Acta SS. die 14. Maji in Vita S. BONIFACII Martyris, & die 17. Julii in Vita Sancti ALEXII.

(3) Mabillon. ſaec. Bened. tom. 7. ſaec. V. ubi de Leone Nonantulano.

(4) Severanus de ſeptem Urbis Eccl.

Digitized by Google

„ carnis pollens, & divitiis affluens, monachicum
„ habitum, abrenuntians quae ſaeculi ſunt, ſuſce-
„ pit nomine Joannes Canaparius: qui dum in ſaecu-
„ lo eſſet, multos ſibi amicos, propinquos, & fide-
„ les ſincera caritate devinxerat, eumdem locum
„ ſecum petere, eumdemque habitum ſuſcipere.
„ Sed ut eſt hominum mutabilitas, omnes pene de-
„ clinaverunt retrorſum, & quem colentem mun-
„ dum diligebant, tollentem crucem ſuam, & ſe-
„ quentem Jeſum, ſequi neglexerunt: e quorum
„ numero exſtitit (de quo dicere volo) convica-
„ neus & compater ejus Franco, cognomento Ma-
„ ringus, homo non ignobilis, nec adeo pauper, &
„ ſaeculari ſcientia plus juſto refertus. Hic autem ea
„ tempeſtate, qua Joannes Papa praeſulabat, reſidens
„ ante eccleſiam Venerabilium Martyrum Coſmae &
„ Damiani via Sacra, turgente gutture, vicina morte
„ ſe premi omnino ſuſpicatus eſt; nam innumera
„ multitudo hominum illa clade Romae perierat,
„ quae ſibi vivendi ſpem penitus abſtulerat. Mox ita-
„ que data dextera cuidam aſtanti, ad Monaſterium
„ praedictorum SS. BONIFACII & ALEXII citiſſi-
„ me deduci ſe petiit, immemor parentum & horum,
„ quae paullo antea ſe praepedierant; ubi illuc adve-
„ niens, deficientibus viribus & anhelitu, compatri
„ ſuo velle loqui ſignificavit: qui, ubi ex more nuntia-
„ tum eſt, data licentia ab ABBATE LEONE, qui
„ tunc eidem Monaſterio praeerat, introductus eſt,
„ & inductus eſt ad Eccleſiam Sanctorum, ubi prae-
„ ſtolabatur eum praenominatus Joannes Canaparius,
„ volvens animo, ad hoc illum venire veſpertino



Digitized by Google

„ tempore, ut impleret, quod promiſerat; nam eidem Franconi veſpertinus erat, quem videns aegrotus, genibus ejus advolutus rauca voce talia coepit: eja compater, eja domine, recipe me fallacem, recipe me infidelem, & conſigna me tuis Dominis BONIFACIO & ALEXIO, fac me ſervum eorum; quia ſcio, & veraciter ſcio, quod niſi eorum patrocinio, non liberabor a poteſtate iniquorum ſpirituum, quibus ab ipſis ſervivi incunabulis. Quare moram patior, benigniſſime? Vitas me? deſpicis me, quod invitus tuos requiro Dominos? Ubi eſt, quod mihi ſaepe dicebas, quia & invitis ſalus praeſtatur? Sancte BONIFACI adjuva me, Sancte ALEXI ſuccurre mihi. Talibus denique perculſus praelibatus Joannes Canaparius, Abbatem convocavit & Fratres, quibus rei veritatem ordine narrans, Monachum illum fieri rogavit ſine intermiſſione clamantem: Sancte BONIFACI, Sancte ALEXI, ſervus veſter ſum, & etiam ſervus ſervorum veſtrorum: cujus deſiderium cognoſcentes, ante venerandam Crucem eum ſtatuerunt, Monachumque multis cum lacrymis effecerunt. Poſtquam igitur haec acta ſunt in Monaſterio, volens Deus oſtendere, quantum interceſſione horum Sanctorum flectatur ad miſericordiam, & quam miſericorditer liberet peccatores ad eos confugientes, permiſit cuneum equeſtrium armatorum malignorum ſpirituum per ſupradictam viam Sacram viſibiliter deſcendere, praedictum Franconem requirentem, quem judiciaria definitione ſervum ſe viciſſe glorianter jactabat. Taliter enim altercando ablatum

„ tum perquirendo, viſi ſunt veniſſe ad portam Mo-
„ naſterii, ubi non invenientes eum, reverſi ſunt tri-
„ ſtes, multa nefaria jactantes in Sanctos: qui dum
„ requiſiti fuiſſent a vicinis Monaſterii, quid hoc eſ-
„ ſet, reſponſum: Franconem ſervum eorum abla-
„ tum a BONIFACIO & ALEXIO; & muſſitando
„ adjiciebant, remanſiſſe, per quod eum vincere puta-
„ bant: quod ubi Abbati & Fratribus ab audientibus
„ nunciatum eſt, ſubtiliter perquirentes, profeſſionem
„ regularem non illum feciſſe invenerunt; qua ſtudioſe
„ facta, anima illa carne ſoluta eſt: ex quo datur in-
„ telligi, quod miſericordioſiſſimus Deus, quem
„ cuncta Monaſtici Ordinis implere permiſit, meritis
„ SS. BONIFACII & ALEXII, quorum ſuffragium
„ toto corde petierat, ab omnibus inſidiis inimicorum
„ eripuit ad laudem & gloriam nominis ſui, amen „.

Haec Anno 1004. contigiſſe putat cum Baronio (5) Mabillonius, addens haud eſſe compertum, quamdiu Leo Abbas ſuperſtes vixerit; Joannem autem Canaparium hoc eodem anno vita functum eſſe, poſtquam ad duodecim ſaltem annos ibi degiſſet:
„ Haec Anno 1004. contigerunt, cui Leo quamdiu
„ ſuperſtes vixerat, haud compertum. Eodem anno
„ Joannes Canaparius, de quo etiam Adalberti Vitae
„ Scriptor cum laude meminit, poſtquam minimum
„ duodecim annis ibi degiſſet, vita functus eſt, & do-
„ natus Epitaphio, quod egregiam viri modeſtiam &
„ annum mortis 1004. Octobris diem 12. Indictio-
„ nem 3. repraeſentat „. Hactenus Mabillonius (6).

S 2 „ Ve-

(5) Baron. Annal. Eccl. ad ann. 1004. §. VIII.

(6) Mabillon. ſaec. Bened. tom. 7. ſaec. V. num. 8. pag. 875. ubi ſupra.

Verum etſi de anno & die, quibus Joannes Canaparius mortuus eſt, minime dubitare ſinat ejuſdem Epitaphium mox recitandum; tamen in eo, quod pertinet ad deſcriptionem temporis, quo & Franconis hoc memorabile factum, & Leonis Abbatis obitus contigerunt, quin Mabillonio aſſentiamur, plura obſtare videntur.

Primum obſtant ſuperius (7) enarrata de Leone Abbate, quem veroſimiliter Anno Aerae Vulgaris milleſimo ſupremum diem obiiſſe diximus; propterea quod Romanam Cathedram obtinente Silveſtro Papa II. non amplius Leo, ſed Joannes Abbas Monaſterio praeerat. Obſtat itidem codex Caſſinenſis Franconis Hiſtoriam prodens *ea tempeſtate, qua Joannes Papa praeſulabat*, nimirum Joannes XV. quo Pontifice Leo Abbas Monaſterium S. ALEXII regebat. Quum itaque ſatis conſtet, Joannem XV. Romanum Pontificem ex hac vita deceſſiſſe die ſeptima Maji A. D. 996. nemo non videt, ad hunc annum ſaltem Franconis Hiſtoriam revocandam.

Non me latet, Anno quoque 1004. Summum Pontificem Joannis nomine XVII. Petri Sedem obtinuiſſe; ſed ad hujus tempora Monachatum Franconis minime produci poſſe contendo. Nam quo tempore Franco Maringus Monachus factus eſt, Joannes Canaparius nondum Abbas conſtitutus fuerat; quippe facultatem petiit ab Abbate Leone: *data licentia ab Abbate Leone, qui tunc eidem Monaſterio praeerat....* Mox *Joannes Canaparius Abbatem convocavit & Fratres.* Sed Abbatis munere perfunctum fuiſſe Canaparium biennio ſaltem, antequam ad Superos migraret Anno Domi-

(7) Videſis §. III. de Leone Abbate pag. 98.

Digitized by Google

Domini 1004. fidem faciunt & Commentariolus ille coram Silveſtro Papa II. exaratus, de quo ſuperius egimus Cap. IV. & antiquus atque coaevus Scriptor Vitae ſecundae S. Adalberti, qui Joannem apprime noverat, & ſaepenumero conveniebat; ait enim: *Quum cauſſa aedificationis acceſſiſſem ad Joannem Abbatem* (8); & deinceps commemorans admirandam viſionem illam, quam Joannes Romae videre ſibi viſus eſt, quo plane momento temporis a Pruſſis Adalbertus contrucidabatur, inquit: *Romae interea in Monaſterio . . . inter plures viſiones, quas rapta mente ſaepe levatus vidit crucifixus mundo JOANNES, MONACHUS ET ABBAS, venerunt a caelo uſque ad terram deſcenſu delectabili aſpectu pulchro duo linteamina, ut nix candida, abſque ruga & macula* &c. (9): quae verba nec Mabillonius ipſe negat pertinere ad Joannem Canaparium, & quidem Abbatem; nam Joannes, qui Abbas hic dicitur, *Canaparius* vocatur cap. 6. num. 29. prioris Vitae: ex quo Mabillonius ſic concludit (10): *Itaque Joanni Abbati, Canapario cognomen erat, non Campanario, ut apud Henſchenium* (11).

Fuſius hoc exponit Mabillonius in Annalibus (12), ubi caeleſtes viſiones memorans, quas de Martyre Adalberto habuiſſe feruntur Gaudentius & Joannes; haec habet: „ Multa de ejus paſſione caeleſtia viſa re„ feruntur: unum contigit fratri ejus Gaudentio in
„ ſomnis;

(8) Ex cap. 4. num. 17. Vitae II. S. Adalb. apud Bolland. die 23. Apr.

(9) Ex cap. 6. num. 26. Vitae II. S. Adalberti, ibidem.

(10) Mabillonius in notis ad Vitam S. Adalberti num. 41. nota (6), ſaec. Bened. tom. 7. pag. 838.

(11) Henſchenius in Actis SS. die 23. Aprilis in Vita priori S. Adalberti cap. 6. num. 29. Campanarium legit, quum legendum ſit Canaparium. Vide ibidem.

(12) Mabillon. Annal. Bened. to. 4. lib. 51. num. 59.

Digitized by Google

„ ſomnis; alterum Romae *Joanni Canapario, Monacho* „ *& Abbati Monaſterii SS.* BONIFACII *&* ALEXII, „ ut in ſecunda ejus Vita legitur „. Si itaque, Mabillonio teſte, Joannes Canaparius ante mortem, quam ſubiit A. D. 1004. Abbatis officio perfunctus eſt; ſi A. D. 1002. Abbas Joannis nomine Monaſterio noſtro praeerat, ut ante diximus; ſi Franco monaſticam veſtem accepit *ea tempeſtate, qua Joannes Papa praeſulabat*, quaque Monaſterium noſtrum Leo, nondum vero Joannes regebat; utique conſequens ſit, Franconis Hiſtoriam ad Joannem Papam Silveſtri II. Deceſſorem, non Succeſſorem, ideoque ad Annum ſaltem 996. non 1004. ut Baronio placuit, eſſe revocandam.

Non me fugit, ab Auctore illo, qui primum Adalberti Vitam conſcripſit (13), Joannem Canaparium, titulo Abbatis haudquaquam inſigniri, ne tum quidem, quum caeleſtis viſio ab eodem habita memoratur, quae cap. 6. num. 29. ſic deſcribitur: *Haec dum in illa parte geruntur, ecce in Monaſterio, ubi ille talis* (Adalbertus) *nutritus fuerat, cuidam converſo* (e pompis ſaeculi ad vitam monaſticam), *Joanni Canapario talia Dominus per viſum oſtendit: e ſummo caelo velut volantia deorſum veniunt uſque ad terram duo linteamina alba ſicut nix, & munda abſque omni ſorde &c.* Sed hoc ipſum evincit, Joannem non niſi circa A. D. 1002. Abbatem renuntiatum fuiſſe; ſiquidem, ut ſuperius obſervavimus (14), Auctor prioris Vitae Sancti Adalberti vivebat imperante Ottone III. ſub quo non Joannes, ſed Leo Coenobium regebat; Auctor autem Vitae poſte-

(13) Vide ſupra notas ad Cap. IX. not. (1).

(14) In notis ad Cap. IX. not. (1), & in §. IV. de S. Adalberto.

ſterioris ſcribebat temporibus S. Henrici, qui eidem Ottoni ſucceſſerat A. D. 1002. quo Joannem jam Abbatem fuiſſe contendimus. Nil mirum igitur, ſi primus Auctor de Joanne loquens, hunc nuſquam vocaverit Abbatem, ſecus vero poſterior, a quo nuncupatur (15) *crucifixus mundo Joannes, Monachus & Abbas*; & cap. 4. num. 17. *Oh quantoties obortis lacrymis memini dicentem* (Adalbertum), *quum cauſſa aedificationis aggreſſus eſſem Joannem Abbatem: ubi ſunt margaritae meae? ubi ſunt cibi animi mei?* non quod Joannes jam eſſet Abbas, quum ibi degeret Adalbertus; ſed quod ejuſmodi munere perfungeretur, quando hujus Martyris res geſtas Anonymus in commentarios referebat, quum antea, temporibus Adalberti, onus ei incubuiſſet dirigendi quaecunque ad exaedificationem Monaſterii ſpectabant, quod forte ejuſdem ſumptibus exſtruebatur; quippe fuit *nobilitate carnis pollens, & divitiis affluens*.

Quaeſtiones hujuſmodi, quae in accurata temporis deſcriptione verſantur, moleſtiae licet ac tricarum pleniſſimas, longius forte quam par eſt explicandas ſuſcepimus, non quo Viris Doctiſſimis Baronio & Mabillonio adverſaremur, ſed quo ſeriem Abbatum Monaſterii noſtri accurato ordine deſcriberemus: quod omnino a nobis fieri non poterat, quin ſimul Leonem Abbatem ad Annum uſque 1004. vitam ſuam minime protendiſſe oſtenderemus; alioquin Joannes Canaparius e numero Abbatum abigendus omnino eſſet: quod a veritate procul abeſt, ut hactenus diſputavimus.

Jam vero ejuſdem Canaparii Epitaphium afferendum

(15) Cap. 6. num. 26.

Digitized by Google

dum ex tabula marmorea, quam ad noſtros uſque dies prope Aram maximam S. ALEXII ſervatam, & imperitorum hominum negligentia, quum Templum mox inſtauraretur, diſtractam, & in partes comminutam, iterum compoſuimus; atque ad ejuſdem Templi parietes figendam curabimus, ne inſignis hujus Abbatis memoria temporis oblivione deleatur. Hujuſmodi autem eſt:

✠ XPE DS RERV PVLCHERRIME FACTOR ET AVCTOR
SVSCIPE ME INDIGNV SALVS ET OME BONVM
OBSECRO FLAGITO SERVVS POSTVLO QVESO IOHS
CONFITEOR CVLPAM DA CLEMENS VENIA
OME MALV MERVI CVMVLV*que re*ATIB. AVXI
TARDVS AD OME *bonum promptus ad omne malum*
A CAPITE VSQ PEDES *maculant* MEMBRA OMIA SORDES
SED TV SCE DS REX MISERERE PIVS.
*Da in regione domum* SVNT VBI CASTRA VIVORVM
*Auricomus ubi* REGNAT AVREA SECVLA XPS
PRECOR VOS ONS QVI HIC POST ME
VENTVRI ESTIS PRO ME PRECES FVNDATIS ET
PROPTER KARITATE QVA VIOLARE NON LICET NE
MO SVV NEC ALIENV CADAVER SVPER ME MITTAT
QVOD SI ALIQVIS HOC PRESVMP
SERIT SIT MALEDICTVS ATQ IN PER
PETVV ANATHEMATE CONSTRIC
TVS. CREDO QVOD REDEPTOR MS VIVIT ET
IN CARNE MEA VIDEBO DM SALVATORE MEVM
AB INCARNATIONE DNI NRI IHV XPI
ANNI SVNT MILLE. IIII. *Obiit menſe Octobris*
*Die* **XII.** *Indictione* **III.**

Lit-

Litteras injuria temporis attritas, diverſoque hic charactere ſignatas ſupplevimus ex Baronio, qui primus Epitaphium hocce in Annalibus (16) inſeruit: ex quo deinceps Severanus (17), Mabillonius, aliique illud idem recenſuerunt.

Ubi animadvertendum, quod poſt undecim metricos verſus, ſoluta oratione Canaparius inducitur loquens: *precor vos omnes* &c. & iis maledicens, qui ſuos violare cineres auſi fuerint, quae execratio erat in more poſita veterum Romanorum, nec infrequens ſaeculis praeſertim decimo & undecimo, ut vel ex altero patet lapide Maximi de Perleonibus, hoc in eodem Templo jacentis ab Anno 1012. quo iſthaec ſculpta leguntur:

*Extraneo nulli liceat ſuperaddier iſtis,*
*Aut ſi qui violan. ſint anathema Deo.*

Neque illud praeterire poſſumus, Indictionem III. recte congruere cum Anno 1004. quippe tunc etiam Romae Indictio incipiebat à Kalendis Septembribus. Norunt enim omnes, quotquot vel primoribus labiis, ut ajunt, Chronologiam deguſtarunt, Indictionum Cyclum eſſe periodum quindecim annorum ſemper revolvibilem, cujus triplex fuit uſus; nam alia a Kalendis Septembribus inchoabat, eaque Conſtantinopolitana dicitur; alia ab VIII. Kalendas Octobris, quae Caeſarea vocatur, quarum utra vetuſtior ſit, nondum conſtat; tertia Pontificia, quae in Pontificiis Diplomatibus adhibetur, & a Kalendis Januarii

T habet

(16) Baron. Annal. Eccl. ad annum 1004. §.VIII.

(17) Severanus de ſeptem Urbis Eccleſiis. Mabillonius ut ſupra.

habet exordium (18). In hac autem Canaparii inſcriptione Indictionem III. inchoari a Kalendis Septembribus, conveniunt, modo quos nominavimus, Baronius, Mabillonius, & Pagius; quorum iſte in Critica Baronii ad A. D. 1004. haec habet: „ Mortuus eſt hoc anno Joannes Canaparius, inſignis Monachus Monaſterii SS. ALEXII & BONIFACII Romae poſiti, cujus cum laude mentio in priori Vita S. Adalberti Epiſcopi Pragenſis & Martyris. Baronius Epitaphium recitat, in quo dicitur: *Obiit menſe Oct. die XII. Indictione III.* quae a Kalendis Septembribus hoc anno Romae obtinebat; Romae autem ac in Italia Indictiones a Septembri inchoatas fuiſſe, innumeris exemplis liquet „.

Poſtremo animadvertendum, hoc Epitaphio & veterum modeſtiam Chriſtianorum referri, qui ſuorum ſepulcrorum inſcriptionibus, poſterorum ſeſe fidei & miſericordiae commendabant, ut a ſe poenam ſcelerum deprecarentur; & redargui inſanias Epitaphiorum, quae hac aetate pleniſſima ſuperbiae ac falſitatis, Chriſtiani ſuis ſepulcris incidenda curant. Hoc monet Baronius idem, qui ait: „ In illis magna animi ſubmiſſione Fideles peccata ſua maluerunt inſcribi; in iſtis vero magno faſtu virtutes, vane atque mendaciter ut plurimum ambiunt vani homines praedicari „ (19).

CA-

(18) Vide Petavium in Rationario Temporum par. pr. lib. 6.

(19) Baron. ad an. 1004. §. VIII.

Digitized by Google

# CAPUT X.

## *Coenobii Abbates, & Viri Illuſtres ſaeculo XI.*

QUum res noſtras ita explicandas ſuſceperimus, ut eas ad accuratam temporis rationem, quantum fieri poteſt, accommodaremus, ordo ipſe temporis poſtulat, ut poſteaquam de Viris diximus, quos ad Coenobii Templique noſtri gloriam decimum ſaeculum tulit, eos perſequamur, qui undecimo floruerunt: quos inter ſigillatim agere praeſtat de Adalberto Abbate, de S. Bonifacio Monacho & Ruſſorum Martyre, de Beato Meinwerco, de Adillelmo & Petro Abbatibus, atque demum de Gebizone pariter Abbate, ac poſtea Epiſcopo Caeſenate, & S. R. E. Cardinali. Sit itaque

### §. I.

### *De Adalberto Abbate.*

JOanni Canapario in adminiſtratione Monaſterii ſuffectum arbitror quemdam Adalbertum nomine, non Pragenſem Sanctiſſimum Antiſtitem, quem haud inveriſimiliter eodem Abbatis officio ſumma cum laude perfunctum fuiſſe paullo ante dictum eſt (1), ſed hominem impudentem, multoque diſſimilem non modo Adalberti ipſius, ſed ceterorum Illuſtrium Virorum, quos commemorandos ſuſcepimus. Hujus autem

T 2

(1) Vide ſupra Cap. IX §. IV. de B. Adalberto pag. 106.

tem mentionem ſilentio non praetereundam exiſtimavimus, tum ne accurata noſtrorum deſcriptio Abbatum abrumperetur, tum vero eo etiam magis, quod quicquid de hoc Adalberto ferunt minus pium & irreligioſum, maximo cum honore & gloria SS. BONIFACII & ALEXII conjunctum eſſe videatur. Ferunt autem, hunc Adalbertum eo impudentiae deveniſſe, ut regiam illam chlamydem, quam quum induiſſet Otto III. eo tempore, quo Diadema Imperii Inſigne a Gregorio Papa V. acceperat, deinceps poſuerat in Ara SS. BONIFACII & ALEXII, ſuae erga illos pietatis atque obſervantiae teſtem ſempiternum, chlamydem, inquam, auro gemmiſque eo artificio mire contextam, ut univerſam Apocalypſeos Hiſtoriam referret, per ſummam impudentiam aut avaritiam oppignorare non dubitaverit: quod quidem non pro Monaſterii neceſſitatibus feciſſe traditur, ſed quo ſuis cupiditatibus indulgeret. Audiendus eſt Scriptor ejuſdem aetatis, cujus tamen nomen ignoramus, ex duplici membraneo codice, quorum alter apud nos adhuc exſtat, alter apud Caſſinenſes, ex quo Baronius Hiſtoriam hanc deſcripſit ad Annum 1001. ſ.19. „Divae memoriae Ter„tius Otto Romanorum Imperator Auguſtus locum (2) „hunc toto mentis diligebat affectu, cui dona multa „largitus eſt, non dubitans, ſe recepturum recompen„ſationem a Juſtiſſimo Judice Deo, ſuffragantibus me„ritis SS. Chriſti Martyris BONIFACII & Confeſſo„ris ALEXII: inter quae mantum, quo tegebatur „coronatus, in quo omnis Apocalypſis opere Phrygio „erat auro inſignita, eis ſupplex obtulit, & Altari

„San-

(2) Nempe Eccleſiam & Monaſterium SS. Bonifacii & Alexii.

„ Sancti ALEXII decentiſſime coaptavit, perpetuo „ ibi manſurum optans: cujus votum flocci pendens „ Adalbertus Abbas (de quo multa dicere dignum „ modo non arbitror), ut erat impudens, veſtem ipſam „ non cauſſa utilitatis Monaſterii, ſed nequitia ſua „ cogente, aliquibus dedit in pignore: apud quos „ manſit, quouſque, ſcelere ſuo petente, vita privari meruit. „

Hactenus Scriptor ille, modo quem diximus, in utroque codice. Sed quid de homine factum fuerit ſive nequam, ſive impudenti, non tam nobis animadvertendum, quam illud, quod caput eſt, miram in Ottone fuiſſe pietatem, & ſingularem reverentiam erga Templum & Coenobium SS. BONIFACII & ALEXII, quibus *dona multa largitus eſt, & mantum, quo tegebatur coronatus*. Piiſſimus ſiquidem Imperator, *Monaſtico Ordini valde benevolus, & nimia circa Dei famulos affectione devotus* (3), ſanctos Coenobitas divino illic cultui addictos quam ſaepiſſime conveniebat, praeſertim vero Leonem Abbatem & Adalbertum Pragenſem Antiſtitem; quorum hunc *crebro alloquebatur, & habebat eum ſibi familiarem, audiens libenter quaecunque ei diceret* (4); Leonem vero regia benevolentia adeo complectebatur, ut quo eidem morem gereret, praedia quaecunque, libertates, & privilegia Monachorum Imperiali Diplomatis Auctoritate communiret (5): quae quidem omnia & Honorius Papa III. & deinceps con-

(3) B. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi num. 37. apud Bolland. die 19. Junii.

(4) Ex Vita prima S. Adalberti cap. 4. §. 21.

(5) Vide in Appendice num. 1. Diploma Ottonis III.

Digitized by Google

conſequentes alii Pontifices amplificarunt, ut infra dicemus (6).

Jam vero, quid de regia illa chlamyde factum ſit, ſiquis quaerat, is ex ejuſdem Scriptoris narratione, quam afferimus, facile intelliget: „ Quae denique „ veſtis deinde venit ad manus cujuſdam Primice„ rii Judicum nobiliſſimi & prudentiſſimi, qui ſae„ culari prudentia potius fervens, eam agnitam non „ reddidit Sanctis, ſed quaſi proprium theſaurum ſer„ vandum in capſam retruſit;

„ Cujus Clariſſimi Confeſſoris nuditatis & exſpo„ liationis Deus miſeratus, ſicut poſtea rei probavit „ eventus, nequiſſimo miniſtro flagellandi eum pote„ ſtatem tribuit: qui ſciens poenitentiam Regis pro „ uxore Abrahae per flagella rerum deſignatam, non „ a poſſeſſis rebus, ſed ab ipſo poſſeſſore coepit flagel„ lum, malens illum ex improviſo extinguere, quam „ poſt flagellatum ad poenitentiam reverti. Namque „ obviavit ſibi juxta propriam domum, & inter catervas „ comitantium equitum, de equo aſpero depoſuit, ac „ eliſum paralytica infirmitate attrivit. Fit exſanguis, „ fit pene exanimis: currit anxia uxor, currunt fratres, „ & tota flebilis domus mirantur, & deflent miſerum „ cadaver: fit ſtrepitus concurrentium, fit luctus ma„ ximus. Tandem manibus eorum introducitur do„ mum, non ut ei mederentur, ſed ut defuncto debitis „ potiretur. Mox pietas Dei affuit immenſa, volens „ ſibi, cur evenerit illud, clarius oſtendere, & vitam „ ipſi ſervavit, ac oſcitare coepit. Fiunt alta ſilentia, „ imponitur modus gemitibus: quaeruntur medici, „ nec

(6) Vide infra Bullam Honorii Papae III. Cap. XV.

Digitized by Google

„ nec inveniuntur, qui proficere valeant. Exſpectabatur itaque ſola medela Dei per aliquot dies.

„ Quum ecce intempeſtae noctis ſilentio, ut infirmus liberaretur, non uxori ſeu filiis, non propinquis, ſed ipſi paralytico, ipſi muto, ipſi omnem cibum faſtidienti viſi ſunt Sancti Bonifacius & Alexius (ſicut idem retulit), torve in ſe aſpicientes, at agitantes capita, ac dicentes: putaſne te ſanum noſtra veſte uti, nobis exſpoliatis? quos quum requireret tremula voce, qui eſſent, vel unde, ajunt: ego Bonifacius ſum; iſte vero eſt Homo Dei Alexius, quem tu exſpoliatum habes; & converſus, ſuſtentans pallium auro gemmiſque inſigne, quo tegebatur, oſtendit humerum S. ALEXII, confitentis verecundiam rubore, nudum: quem quum vidiſſet vitro puriorem, lacte candidiorem, coepit plus ex ipſa viſione, quam languore deficere. Iterum audivit: e lecto iſto valens non ſurges, priuſquam veſte mea, pro qua percuſſus es, induar.

„ Qui miti voce laetus evigilans, balbutiendo conjugem, qui hactenus nec os aperire poterat, appellat ſuam: cara conjux, compatrem meum Leonem, & ſpiritalem patrem meum Benedictum Epiſcopum Portuenſem ad me venire citiſſime facito; erat enim Benedictus in divinis & humanis rebus diſertiſſimus: quibus accerſitis, quae audierat ſeriatim expoſuit. Tunc Epiſcopus pia laetitia perfuſus, talia cum lacrymis coepit: gloria tibi, Chriſte, gloria tibi, Domine, qui iraſceris, ut placeris, flagellas, ut indulgeas, percutis, ut ſanes.

„ nes. Gloria tibi, Bone Jeſu, qui loquentem me
„ audire facis, quem mortuum pene dimiſi. Procura-
„ tor animarum & corporum, tua medicamina non
„ curant criticos dies, non petunt Indica pigmen-
„ ta; & converſus ad aegrotum, lacrymis madefa-
„ ctum, dixit: fili, redde veſtem, ut reddaris ſa-
„ nitati, credens, quod infectum non remanebit,
„ quod Amici Dei tibi interminati ſunt.

„ Cui aegrotus: pater, jam vellem, ut ſupra Cor-
„ pus Domini mei ALEXII veſtis jaceret. Nam &
„ ipſum tempus, quo fiat, longius mihi videtur;
„ ſtatimque allata eſt veſtis, quam tollentes vene-
„ runt ad Monaſterium gallicinio ejuſdem noctis; &
„ ſupra Venerabile Corpus S. ALEXII eam poſue-
„ runt; ſicque revertentes, quem jacentem relique-
„ rant, ſedentem & glorificantem Deum viva voce
„ invenerunt „. Hanc eamdem Hiſtoriam Baronius ad A. D. 1001. refert; ſed ut rerum geſtarum deſcriptionem cum temporis ordine conjungamus, ad illius ſententiam noſtram omnino accommodare non poſſumus; ſatis enim conſtat (7), Ottonem III. Romae uſque Anno 996. ipſa die Pentecoſtes Imperiali fuiſſe Corona donatum; ac deinde ex Germania, quo profectus erat, ineunte Anno 998. in Urbem reverſum, ut Gregorio V. adverſus Creſcentium & Pſeudo-Pontificem Joannem XVI. praeſidium ferret. Sed & illud quoque eſt plane exploratum atque perſpectum, abiiſſe iterum in Poloniam initio Anni milleſimi, quo tempore, quum late diſſeminata eſſet Adalberti fama ſanctitatis ac prodigiorum, ſepulcrum illius Gneſnae poſi-

(7) Mabillon. Annal. Bened. tom. 4. lib. 51. num. 120.

poſitum nudis adire pedibus non dubitavit . Etſi vero Romam reverteretur , in eaque urbe Kalendis Novembris Anno milleſimo, atque etiam milleſimo primo verſaretur ; tamen inveriſimile videtur , ad illa uſque tempora chlamydis donationem magnificentiſſimam diſtuliſſe , hoc eſt quinquennium , poſteaquam illius capiti Auguſtum Diadema ſolemni more impoſitum fuerat . Illud potius cum Mabillonio (8) dixerim , reliquias , quas vocant B. Adalberti Martyris , hoc Anno 1001. a piiſſimo Imperatore dono datas , chlamydem vero jam Anno 996. Quod vero ſpectat ad chlamydis reſtitutionem , quum haec facta perhibeatur poſt obitum Ottonis : *Divae memoriae Tertius Otto* &c. immo poſt obitum quoque Abbatis Adalberti , qui illam oppignoraverat : *dedit in pignore . . . apud quos manſit , quouſque vita privari meruit* ; vix Anno 1005. fieri potuiſſe contendo ; ſiquidem Otto III. Anno 1002. Paterni caſtro Campaniae obiit ; Adalbertus autem Joanne Canapario vita functo Anno 1004. Abbas ſuffectus eſt . Sed haec de Adalberto dicta ſufficiant.

V §. II.

(8) *Brachium S. Adalberti Otto III. Romam S. Alexii Monaſterio conceſſiſſe fertur*. Mabillon. tom.7. ſaecul. Bened. pag.823.

## §. II.

### *De S. Boniſacio Monacho & Ruſſorum Martyre.*

BOnifacius Monachus & Martyr, cum a ceteris Scriptoribus, tum eximie a Petro Damiani (1) collaudatus eſt, qui vitam ejus ſanctiſſimam, & vita dignum obitum ſive triumphum potius copioſe deſcripſit. Sed quod ad rem noſtram maxime pertinet, hoc eſt, illum noſtro in Templo poſuiſſe initia, & quaſi fundamenta ſanctitatis ſuae. Nam quum Romam veniſſet unacum Ottone III. cui erat affinitate, & multo etiam magis amicitia atque conſuetudine proximus, dicitur Templum BONIFACIO antiquiſſimo Martyri, quod ſumma colebatur religione intraſſe, & quaſi nominis ſimilitudine admonitus, ad eum imitandum exarſiſſe majorem in modum. *Videns Eccleſiam antiqui Martyris BONIFACII, quae eſt Romae in Aventino, mox ejus exemplo animatus, quod itidem BONIFACIUS vocaretur, Martyrii deſiderio ſuccenſus eſt* (2). Quare abjectis omnibus, quae a ſanctiſſimo propoſito deterrere poſſent, Monachus factus eſt. Dici vix poteſt, quam parce & cibo & ſomno uteretur, quum ſecum animo cogitaret, hunc eſſe veluti gradum ad illud Martyrii & gloriae faſtigium, quo

(1) B. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi Abbatis num. 39. & 40. apud Mabillon. Acta SS. Ord. Bened. tom. VIII. ad diem 19. Junii anno 1027. Vide etiam Chron. Caſſinenſe lib.II. cap.XVIII. & Severanum de ſeptem Urbis Eccleſiis.

(2) Ex Baronio Annal. Eccleſ. ad ann.996. §.32.

Digitized by Google

quo aſpirabat. Sed audiendus omnino Petrus Damiani, qui haec narrat diligentiſſime (3): *Monachorum omnium vitam Beati BONIFACII converſatio longius tranſcendebat . . . . . Is videns Eccleſiam antiqui Martyris BONIFACII, mox exemplo ſui aequivoci ad Martyrii deſiderium provocatus, ait: et ego BONIFACIUS vocor; cur ergo etiam ipſe Martyr eſſe non debeo? Poſt haec igitur Monachus factus, tanta ſe abſtinentiae frugalitate conſtrinxit, ut ſaepe Dominicis diebus tantum, & quinta feria per hebdomadam manducaret; nonnunquam vero ſi urticarum vel etiam veprium cerneret denſitatem, illuc ſe projiciens volutabat*. Poſtea vero quum nobilis Athleta in eo vitae curriculo diu ſeſe multumque exercuiſſet, Archiepiſcopus initiatus eſt A. D. milleſimo, ut oſtendit Mabillonius Annalium lib. 51. num. 123. non autem, ut putavit Baronius, Pontifice Gregorio V. qui jam obierat die 12. Februarii A. D. 999. Mox S. Adalberti Pragenſis Antiſtitis & Monachi noſtri exemplo permotus, ad Pruſſos iter inſtituit, quo in itinere multa difficilia atque aſpera incredibili conſtantia toleravit. Ubi autem ad Provinciam ſuam pervenit, quis dicendo explicet animi vim atque ardorem, quo Chriſtianam Religionem praedicare, lateque diſſeminare ſtuduit? Apparebat hominem nihil antiquius habere, nihil optatius, quam B. Adalbertum imitari, & Divo BONIFACIO illi, cujus religione Templum noſtrum conſecratum fuit, evadere ſimillimum, vitamque pro Chriſto ſumma cum laude fortitudinis profundere. *Quum vero poſt diuturnam Eremiticae converſationis vitam ad praedican-*

 *dum*

(3) In Vita Sancti Romualdi, ut ſupra.

*dum jam ire diſponeret . . . . ab Apoſtolica Sede conſecrationem Archiepiſcopatus accepit . . . Quum vero jam Ultramontanos peteret fines . . . . nudis cruribus ſemper & plantis, intollerabilem frigidiſſimae regionis ſufferebat algorem . . . Ad Gentiles autem poſtremo perveniens, cum tanta coepit fervidi pectoris conſtantia praedicare, ut jam nullus ambigeret, quin Vir Sanctus Martyrium flagitaret*. Ita Petrus Damiani (4). Sed Sanctiſſimi Viri deſiderio obſtitit callidus barbarorum timor, qui veriti, ne ſi vim illi attuliſſent, eadem gloria Martyrium ejus conſequeretur, quae in Beati Adalberti caede affulſerat, manus ab illo abſtinuerunt. Multae enim res mirae poſt Adalberti mortem accidiſſe dicebantur, in quibus declaratam Numinis praeſentiam quum plerique Sclavonicae nationis ſuſpexiſſent, ejurata ſuperſtitione, Sacris ſe noſtris devoverant: quae res Chriſtianae Religionis hoſtes perturbaverat; & in eam ſententiam adduxerat, ut parcendum Bonifacii ſanguini exiſtimarent. En iterum Petri Damiani verba: *Illi vero timentes, ne ſicut poſt Martyrium B. Adalberti* (5), *coruſcantibus miraculorum ſignis, Sclavonicae gentis plerique converſi ſunt, ipſis quoque ſimiliter eveniret, longo tempore a B. Viro manus artificioſa malitia reprimunt; & cupidiſſimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter parcunt &c.* Sed Anno fere 1002. quum ad Regem Ruſſorum (non eos dico, qui in Wolodomiri ditione erant, ut recte animad-

(4) In Vita S. Romualdi, ut ſupra, num.42. & 43.

(5) Vide ſupra Cap. IX. §. IV. de Sancto Adalberto Pragenſi Antiſtite & Monacho Sanctorum BONIFACII & ALEXII.

animadvertunt Pagius (6) & Bollandus (7), ſed alios ſive Ruſſos ſive Scythas, quibus cum imperio praeerat Buſianus ) veniſſet Bonifacius „ Rex eum ſqualli- „ dis veſtibus indutum, ac nudis pedibus inceden- „ tem videns, id non religionis, ſed pecuniae con- „ quirendae cauſſa ab eo fieri opinatus eſt, pollicitus, „ ſi ab illa, uti putabat, vanitate recederet, ſe ejus „ inopiae largiſſime ſubventurum. Quare Bonifacius „ domum reverſus, ut ſe ab omni cupiditate alienum „ probaret, Pontificalibus ornamentis quam pretio- „ ſiſſimis induitur; ſicque ad palatium profectus; „ Regi ſe ſiſtit. Verum quum nec ſic ejus praedica- „ tioni fidem haberet Princeps, duas lignorum ca- „ taſtas parvo intervallo ſejunctas erigi jubet, igne- „ que accenſo, Bonifacium per medium tranſire: ſi „ laeſus vel tantillum eſſet, in ignem projiciendus; „ ſi illaeſus, omnes ei abſque dubio credituros. Con- „ ditione accepta, Bonifacius, ut erat ſacris veſti- „ bus

(6) Pagius Hiſt. Crit. in Baron. ad ann. 997. num. 2. haec habet: „ Refert Baronius ex Petro Damia- „ ni in Vita S. Romualdi Abbatis „ cap.8. Sanctum Bonifacium Ruſ- „ ſorum Apoſtolum . . . poſt Bea- „ ti Adalberti Martyrium Ruſſis „ Euangelium praedicaſſe; quibus „ ex verbis deducit Baronius, Pro- „ vinciam illam Bonifacii praedica- „ tione rurſus vivere, atque flore- „ ſcere coepiſſe . . . . Exiſtimavit „ enim Ruſſiam, Baſilio Macedone „ imperante, factam fuiſſe Chriſtia- „ nam, & jamdiu ibidem Fidem „ extinctam. Verum jam oſtendi- „ mus, Ruſſorum gentem in mul- „ tos populos diviſam fuiſſe, & Ruſ- „ ſiam albam ſeu Moſcoviam, ut „ nunc vocamus, Anno tantum 988. „ regnante Wolodomiro, Fidem „ Chriſtianam ſuſcepiſſe. Bonifacius „ itaque non ad Ruſſos, qui Wolo- „ domiro parebant, ſed ad aliam „ gentem Scytharum ſive Ruſſorum „ praedicationis cauſſa profectus eſt, „ ut jam ſuſpicatus eſt Bollandus &c.

(7) Bollandus in notis ad cap. 8. Vitae S. Romualdi Abbatis, quam ad diem VII. Februarii recitat, inquit: „ Veriſimile eſt, S. Bonifacium „ aliam quampiam gentem Scytha- „ rum ſive Ruſſorum adiiſſe. Mau- „ rel. & Razzius Regem hunc *Buſia-* „ *num* appellant.

Digitized by Google

„ bus indutus, poſtquam aqua ſanctificata & thu-
„ re ignem undique perluſtraſſet, ſtridentes flamma-
„ rum globos ingreſſus, ita illaeſus exivit, ut nec mi-
„ nimus capitis ejus pilus aduſtus videretur. Tunc
„ Rex & omnes, qui ad hoc ſpectaculum convenerant,
„ ad ejus pedes provoluti, baptiſmum certatim de-
„ poſcunt, quos ille in ſpatioſo quodam lacu omnes
„ baptizavit. Quin etiam Rex a Bonifacio nun-
„ quam divelli cupiens, regnum abdicare, illudque
„ filio reſignare decrevit: quod ubi Regis frater in-
„ tellexit, in Bonifacium ira ſuccenſus, eum com-
„ prehendit; & ne ſuis e manibus eriperetur, ca-
„ pite plecti juſſit. At ille ſtatim oculis captus eſt;
„ tantuſque circumſtantes ſtupor oppreſſit, ut lo-
„ quendi & audiendi impotes, veluti rigidi lapides
„ immobiles remanſerunt. His compertis Rex con-
„ ſternatus, ad unum omnes morti deſtinat. At con-
„ ſpecta caeleſti de illis vindicta, in hanc demum ſen-
„ tentiam deſcendit, ut pro eis preces in commune
„ fierent, ſi divina eis miſericordia forte ſubveniret;
„ & ſiquidem ſanati Chriſto crederent, indulto cri-
„ mine, vivere ſinerentur; ſin vero credere nollent,
„ omnes ultrici gladio interirent. Factum eſt, ora-
„ tum eſt. Sanati ad unum omnes: tum converſi,
„ mox ſacro fonte luſtrati; ſicque veniam obtinue-
„ runt, & ſuper Corpus Beatiſſimi Martyris eccle-
„ ſiam conſtruxerunt „. Hactenus Mabillonius (8),
qui S. Bonifacii Monachi Martyrium copioſe enarravit. At Petrus Damiani adeo ſeſe in Martyris laudes effudit, ut deſcriptionem vitae illius hoc elogio

(8) Mabillon. in Annalibus Ord. Bened. ad ann. 1012. lib. 53. num. 79.

Digitized by Google

gio concluſerit (9): *Veruntamen ego ſi bujus mirabilis Viri cuncta, quae dici veraciter poſſunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forſitan lingua, non deficiente materia.*

An autem Bonifacius, de quo hactenus egimus, idem habendus ſit, ac Bruno (10), qui ex Monacho Magdeburgenſi Archiepiſcopus conſecratus, & Ruſſorum Apoſtolus ſecuri percuſſus eſt cum Sociis octodecim, diſputatur in utramque partem: qua de re Mabillonius prae ceteris conſulendus Annal. Bened. lib. 53. num. 4.

## §. III.

### *De Beato Meinwerco.*

NEmo, ut arbitror, reprehendet conſilium meum, ſi ad Viros, quos undecimo ſaeculo ſanctitate rebuſque praeclare geſtis eximios noſtrum Coenobium tulit, MeinWercum (1) Paderbonenſem Antiſtitem, haud ſane Alexianum Monachum, & ne Monachum quidem, annumerandum exiſtimaverim. Etenim quum ea omnia, quae ad antiquitatem & religionem hujus Tem-

(9) Apud Bolland. Acta SS. die 7. Februarii, & Mabillon. ſaec. Bened. ſaec. VI. anno 1027. 19. Junii.

(10) Ademarus apud Pagium Crit. Baron. ad ann. 1008. num. 11. „ Erant (inquit) Ottoni III. duo Re- „ verendiſſimi Epiſcopi, Sanctus vi- „ delicet Adalbertus, & S. Brunus „ Epiſcopus, conſanguineus ejuſdem „ Imperatoris. Adalbertus parvus „ ſtatura, Brunus procero corpore „ erant „. Vide etiam fragmentum ex Chronico Ademari Monachi Ecoliſmenſis apud Mabillon. ſaec. V. Bened. ad ann. 997. die 23. Aprilis.

(1) De B. MeinWerco Paderbonenſi, ejuſque reditu ex urbe Roma cum Henrico Imperatore, & rebus ab illo praeclare geſtis prae aliis egit Mabillon. Annal. Bened. lib. 54. ad an. 1015.

Digitized by Google

Templi & Coenobii noſtri pertinent, ex Annalium monumentis eruere inſtituerim, non fuit tantus Vir ſilentio praetermittendus, qui de Monaſtico Ordine bene meruiſſe, & S. ALEXIUM magnopere coluiſſe dicitur. Nam quum Henricum Caeſarem in Italiam fuiſſet comitatus, Romaeque verſaretur, quo tempore graviſſima lues Imperatoris exercitum miſerandum in modum depopulabatur, a Romanis admonitus, ut ſi ſuos ſalvos atque incolumes vellet eſſe, in Beati ALEXII fidem ac clientelam traderet, illiusque cultum late ſe propagaturum, quum in patriam reverriſſet, ſancte juraret. Romanis morem gerit Meinwercus; ac ad honorem S. ALEXII templum exaedificaturum conceptis verbis vovet. Hoc ex Hiſtoria illius Vitae facile intelligi poteſt, quae eſt in Actis Sanctorum Bollandianis (2), atque in ſaeculis Ordinis S. Benedicti a Mabillonio (3) ſummatim deſcripta: ex qua, ne extra limites longius abire videamur, ea ſolummodo fragmenta excerpemus, quae ad rem hanc illuſtrandam conferre plurimum poſſe exiſtimamus. Numero itaque 29. Vitae Beati Meinwerci haec habentur: *Quum autem Epiſcopus* (Meinwercus) *inibi* (Romae) *cum Rege* (Henrico) *aliquamdiu moratus, lue graviſſimae mortalitatis, quae immaniſſime exercitum depopulabatur, moeſtus eſſet, acceſſit ad eum quidam Romanorum conſilians ei, ut pro ſuorum incolumitate aliquam ſe venerationem in terra ſua facturum Sancto ALEXIO voveret: qui illico ſublatis in caelum manibus & oculis, ſe monaſterium honori & amori ejus congruum facturum,*

*ſi*

(2) Bolland. tom. primo Junii. ann. 1036. die 5. Junii,
(3) Mabillon. ſaec. VI. Bened. ad

Digitized by Google

*ſi ſuis precibus ſuorum incolumitatem a Deo obtineret; ſinceriter vovit; & ſe ejus meritis a Deo exauditum, ſuorum omnium jumentorum & hominum incolumitatis receptione & conſervatione veraciter probavit*. Hinc autem illud ſane colligitur, quod in iis, quae ad Religionem pertinent, valere plurimum debet, antiquiſſimo tempore Romae viguiſſe cultum ac venerationem hominum erga B. ALEXIUM, ut maxime reprehendi poſſe videantur, qui ut novae cujuſdam impudentioris eruditionis gloriolam quaerant, Hiſtoriam Sancti ALEXII in dubium revocant, & totam antiquitatis auctoritatem nihili faciendam arbitrantur, ut jam innuimus Capite III. pag. 22. & ſeqq.

Sed ut ad B. Meinwercum redeamus, is Paderbonam reverſus, haud immemor quidem voti, quod Romae voverat, quum templi & monaſterii aedificationem, quam animo deſtinaverat, magnam & ſumptuoſam perficere forte non poſſet, timeret autem rerum humanarum viciſſitudinem, in ipſo urbis introitu *cappellam* quamdam exaedificavit; ac dote perpetua multiſque ornamentis locupletavit: quod uberius liber de ejus Vita conſcriptus teſtatur. *Recordatus autem voti ſui, quod Romae Sancto voverat ALEXI, monaſterium cum congregatione in bonore ejus in loco, qui Sulithe dicitur, aedificare diſpoſuit; ſed timens humanae mutabilitatis incertitudinem, interim ei perſpicui operis cappellam in introitu urbis juxta novum monaſterium conſtrui fecit; eamque decimotertio Kalendas Februarii conſecrans, proviſioni ejuſdem monaſterii deputavit; & in commemoratione Beati ALEXIS tali jure miſericordiae dotavit, & inſignivit, ut quicunque fo-*

*renſi lege convictus, & ſententiae damnationis addictus rappellam contigiſſet, addictae poenae obnoxius non eſſet.* An vero monaſterium illud, quod apud Sulithe in honorem Sancti ALEXII aedificare voluerat B. Meinwercus, reapſe conſtruxerit, non ſatis liquet: quinimmo Mabillonius (4) Meinwercum re infecta obiiſſe colligit ex ejuſdem Sancti Vita num. 122. ubi de monaſteriis ab eo juxta Paderbonam exaedificatis haec traduntur: *Talia Viri Dei pro ſpe aeternitatis opera . . . qui ſi vixiſſet . . . . ſicut in Occidentali & Orientali parte civitatis congregationes ſervorum Dei conſtruxerat, ita in Auſtrali parte in campo, in Aquilonari Sulithe in modum crucis conſtruere diſpoſuerat*; quibus ex verbis conjicitur, B. Meinwercum morte praereptum monaſterium S. ALEXII, quod in parte Aquilonari Paderbonae, nempe *Sulithe*, exaedificare meditatus fuerat, minime conſtruxiſſe, ſed ibidem ſacellum dumtaxat ſeu cappellam Beato ALEXIO ſacram a fundamentis feciſſe. In hoc ſacello B. Petrus Damiani (5) ſcribit, aliquamdiu verſatum fuiſſe S. Paternum magna innocentiae fama virum, ibidemque, quum incendio tota urbs miſere deflagraſſet, flammis conſumptum periiſſe. En ejus verba: *Ignis ergo globis in aſtra furentibus cuncta occupat, cuncta pervadit; & non modo cetera quaeque ſuccendit, ſed & monaſterium, heu taedet dicere! ipſumque Servum Dei* (Paternum) *cum tota ſua cellula conflagravit.*

Ergo quum nullum ejuſdem ſacelli veſtigium exta-

(4) Mabillon. Acta SS. Ord. Bened. tom. VIII. de B. Mein Werco ad an. 1036. pag. 393.

(5) B. Petrus Damiani tom. 3. Operum Opuſc. XX. Vide Bolland. Acta SS. ad diem x. Aprilis, & Mabillon. loco, quo ſupra.

Digitized by Google

exſtaret, hoc denuo poſuit, perfecitque Anno 1670. Henricus Abdinghoffenſis Abbas; ſed triennio poſt ſolemni more conſecravit in honorem Sancti ALEXII ipſius Ferdinandus Furſtenbergius Paderbonenſis Antiſtes, cujus conſecrationis caeremonias libello, qui eſt inſcriptus: *Monumentum Sancto ALEXIO Confeſſori Sacrum*, poſteritati mandavit praelaudatus Abbas, ut ex notis Overhami ad Vitam B. Meinwerci. Anno autem 1036. obiiſſe ferunt Virum, *perfectis per omnia imitabilem, in quo habet Monachus, quod admiretur, Clericus & Laicus, quod imitetur, omnis denique Fidelis anima, quod veneretur. Omni ergo praedicandus gloria digna poſterum veneretur memoria; ſitque memor memorum apud Jeſum Chriſtum Dominum, cui eſt honor & gloria per omnia ſaeculorum ſaecula.* Hic finis eſt libri, qui Vitam reſque praeclare geſtas deſcripſit B. Meinwerci, viri, qui dignus ſane eſt, quem cum propter merita erga Monaſticum Ordinem eximia, tum ob ſingularem religionem, qua S. ALEXIUM noſtrum eſt proſequutus, perhonorifice collaudemus. Si quis tamen plura, quae ad nos minime pertinent, de ipſo ſcire cupiat; is adeat Mabillonium & Bollandianos in Actis SS. in Vita B. Meinwerci tomo primo Junii, & in Commentario praevio ad Acta S. ALEXII ad diem 17. Julii.



Digitized by Google

## §. IV.

### *De Adillelmo Abbate* SS. BONIFACII *&* ALEXII.

QUO tempore Meinwercus, modo quem diximus, Romae verſatus fuit, Alexiano Coenobio praeerat Abbas Adillelmus nomine. Is cum aliis quibuſdam Abbatibus interfuiſſe legitur cauſſae illi, quae de poſſeſſione caſtri Buciniani coram Henrico Imperatore & Benedicto VIII. Romano Pontifice magna contentione animorum agitata fuit Anno Domini 1014. Hugonem Abbatem Farfenſem inter, atque inter Creſcentium & Joannem germanos fratres, viros potentes inprimis ac nobiles, qui tamen cauſſa ceciderunt. Inſigne placitum (1) hac de re habitum primus omnium e Farfenſi tabulario protulit Mabillonius, mox autem Ludovicus Muratorius, admodum ſtudioſi hujuſmodi rerum antiquarum. Sed licet & Adillelmus & nonnulli alii liti adfuiſſe leguntur, non tamen ſententiam omnes ſubſcripſerunt. En qui ex Abbatibus adfuerunt: *Venerabiles vero Abbates Joannes monaſterii ad clivum Scauri, & alius Joannes*

(1) Exſtat hujuſmodi placitum in Appendice ad tom. 4. Annal. Bened. num. 32. cujus hoc eſt initium:
„ In nomine Domini Dei Salvatoris
„ noſtri Jeſu Chriſti, anno Deo pro-
„ pitio Pontificatus Domini noſtri
„ Benedicti Summi Pontificis & Uni-
„ verſalis VIII. Papae in Sacratiſſima
„ Sede B. Petri Apoſtoli III. impe-
„ rante Domino noſtro Piiſſimo P.P.
„ Auguſto Henrico, a Deo coronato,
„ Magno & Pacifico Imperatore, an-
„ no I. Indictione XII. menſe Augu-
„ ſto die ſecunda ..... Quum qui-
„ dam Creſcentius Benedicti Comi-
„ tis filius, diabolica fraude corre-
„ ptus &c. .... occupavit quod-
„ dam caſtellum, quod dicitur Bu-
„ cinianum &c. Videſis etiam apud
„ Lud. Muratorium Rer. Ital. tom. 2.
„ par. 2. pag. 520.

Digitized by Google

*nes monaſterii Sancti Dionyſii & Silveſtri*, *Adillelmo Monaſterii S. Bonifacii*, *& Petrus Abbas monaſterii S. Mariae ad titulum Eudoxiae &c.* ideſt Sancti Petri ad Vincula. Subſcripſit autem praeter Joannem S. Silveſtri & Joannem S. Gregorii alius nemo ex Abbatibus. Id autem ſive caſu quodam contigerit, ſive quod Adillelmus noſter & reliqui Abbates Creſcentio faverent, haud ſcio.

Jam vero Adillelmum ſcimus frugi hominem fuiſſe, diligentem, probum, ac multae etiam hilaritatis. Dicitur autem adeo pie impenſeque SS. ALEXII & BONIFACII memoriam coluiſſe, ut nihil eorum fiducia & patrocinio non fieri poſſe ſperaret: cujus religioſae ſpei mira documenta exſtant in codice mſ. noſtri Tabularii, quae afferenda exiſtimavimus, tum ne quicquam, quod ſciamus ad rem noſtram pertinens, praetermiſiſſe videamur, tum etiam, quod eſt mea quidem opinione cujuſdam delectationis ea legere, quocunque tandem modo ſcripta ſint, antiquitatis monumenta. Duae igitur mirae res accidiſſe leguntur, quae quantam Adillelmus Abbas in SS. BONIFACII & ALEXII patrocinio ſpem collocaret, quam certam, quam ſplendidam declararunt. Prima quidem eſt, quod quum vehementer aegrotaſſet, eorum ope & precibus jam prope depoſitae ac deſperatae ſaluti redditus fuit. Quum autem convaleſcere jam coepiſſet, ſed omnia ciborum genera faſtidiret, quaeſivit ex eo ipſo, qui ſcripſit Hiſtoriam, quique famulatui Pontificio addictus Adillelmum, propterea quod magno ipſi erat uſu amicitiae conjunctus, convenerat, ſibi ut admodum raram neque hujus loci

ci

ci avem comedendam compararet: quod quum ille negaſſet poſſe fieri, Abbas autem, ſi opem Dominorum ſuorum (ita enim BONIFACIUM & ALEXIUM nominabat) imploraſſet, facile inventurum affirmaret, accidit, ut quum ad venandum iviſſet, morem Abbati gerens, caperet avem ipſam, occulta quadam vi in ea loca compulſam. En Hiſtoriae verba ipſa: „ Quantum vero eis, qui ſeſe tota fiducia petunt, celeriter ſubveniant ( *Sancti Dei BONIFACIUS & ALEXIUS*), vel quam miſericorditer de ſe praeſumentes exaudiant, miraculo non ab aliquo relato, ſed a me ipſo referam viſo. Eidem Monaſterio quidam quartus praefuit Abbas Adhelelmus nomine, bonae qualitatis, atque piae hilaritatis, ut cognoſcebam, homo, qui poſt Deum omnem fiduciam ponens in his duobus luminariis hujus almae civitatis BONIFATIO & ALEXIO, ita ut, ſi quis ab eo aliquid caritatis, benedictionis, alicujuſve juvaminis peteret, non niſi cum eorum auxilio facere promittebat. Siquis ei forte praetendebat inſidias, horum meritis nihili pendere ſe confidenter dicebat. Hos petebat in proſperis, hos & in adverſis: his ſupplicabat in laetis; hos & in triſtibus rogabat eventibus. Hic enim vi febrium correptus, nec non Caniculae aeſtu defectus, cum pene totis viribus, totiſque officiis corporis, etiam linguae perdidit miniſterium; lethargum quoque patiens, ſuae mentis per decem dies amiſit & proprium. Palletur vultus, rigeſcunt brachia, & certatim omnes artus mortis dant indicia. Judicares corpus exanime, niſi quid palpitaret in pecto-

„ re,

„ re. Fatres faciebant exequias, & alii praeparabant
„ mauſoleum.
„ Inerat eis tam de amittendo paſtore triſtitia,
„ quam de prolixa exſpectatione illius obitus miſera-
„ bile taedium. Poſt quos itaque dies, ſicut ſaepius
„ referebat, ab eiſdem Sanctis clementer excitatus,
„ & menti redditus eſt. Qua recepta, languida vo-
„ ce, & vix valente optata prodere, me accerſiri ro-
„ gat. Cujus nuntium quum a longe perſpexiſſem
„ anxium, moerore afficior, eum putans mortuum,
„ quem viventem, & me ad ſe ire rogantem nuntia-
„ bat. Cucurri denique gaudens, ad lectum ejus uſ-
„ que expeditus veniens, lacrymas fudi prae gaudio;
„ erat enim ille mihi benevolus, & pro amore Domi-
„ norum ſuorum ego ſibimet valde obediens. Cui
„ volenti mihi ſuam paſſionem retexere, coepi ſug-
„ gerere, ut aliquid cibi ad ſuam recreationem ſu-
„ meret; quoniam defectio intercidebat ſibi anheli-
„ tum. Qui reddidit talia ſupplex: ſcias me, ca-
„ riſſime, omnia faſtidire cibaria, nec deſiderare ad
„ mei refectionem aliquid praeter unum, faſianum
„ ſcilicet, quem ſi habere potuiſſes, eſſet mihi ſalu-
„ tiferum antidotum, & recuperandae ſalutis ſpes
„ firmiſſima.
„ Cujus verba inania credens, quod abſque mul-
„ to labore nec reperiri poſſit, ajo: putaſne tua men-
„ te loqueris? Et cujus? inquit: mea denique. Cui
„ dum reſiſtere vellem, quia impeditus ſervitio Sum-
„ mi Pontificis, quo inveniri poterant, longius ire
„ nequiveram, quo ire poteram, non inveniebatur,
„ coepit me urgere talibus: cur non praeſumens Do-
„ mino-

„ minorum meorum potentia per te ipſum concitus
„ pergis, & quem cupio confidenter, quaeris? Num-
„ quid non potens eſt Deus meritis ipſorum etiam in
„ domo tua dare, quod opto? Cur non cum Jacob ſub
„ feſtinatione certas pro recompenſatione benedictio-
„ nis petitum patri offerre? ſed cum Eſau tarde ve-
„ nationem agente ſpatiaris? ſicque me increpatum
„ mulcere ſtuduit, inquiens jocando: vade, fili, va-
„ de cito; quoniam in hoc labore venationis Domini
„ mei aderunt tibi comites.

„ Hac juſſione ſuſcepta, non ut pro faſiano irem,
„ ſed ſolummodo ut non eum ad iracundiam provo-
„ carem, ceſſi; quumque hora nona tranſacta domum
„ rediiſſem, coepi circumſtantibus referre, quod ille
„ dixerat, & petierat. Tunc unus illorum dixit:
„ ſcimus, domine, quia faſianum nulla ratione tam
„ cito habere poteris. Accipe conſilium meum, &
„ eamus perdicem venantes: hanc ſi nobis Deus de-
„ derit, aqua coctam ſibi offeramus, faſianum men-
„ tientes, quam debilis ipſe minime diſcernit. Cu-
„ jus conſilio accepto, per viam Appiam deſcendi;
„ & veniens, ubi Dominus apparuit, quo nullus no-
„ ſtrae aetatis faſianum viderat, coeperunt mei cum
„ canibus quaerere, & quaerentes perdicum turmas
„ levaverunt. Poſtquam accipitrem dimiſerunt, qui,
„ ut erat adhuc indoctus & indomitus, non poſt eas
„ abiit, ſed reverſus in altiſſimo pariete ſedit; quum-
„ que appellaretur more venantium, redire diſtulit.
„ Iterum atque iterum appellatus, nec oculos decli-
„ navit. Deſcendimus, ſedimus, per duas ferme
„ horas exſpectavimus.

„ Ite-

Digitized by Google

„ Iterum appellatus eſt, nec reverſus eſt: qui,
„ ut poſtea probavimus, erat ſedens, & exſpectans.
„ Et ecce faſianus unus e longinquo tanto veniebat
„ volatu arreptus, ut ipſo deficeret, etiamſi accipiter
„ abeſſet, & quaſi diceret: deſcende poſt me. Sub
„ ipſius pectore tranſcurrit ad quamdam veprium den-
„ ſitatem tendens: cujus volatu, immo Sanctorum
„ impulſu accipiter impiger factus, deſcendit; &
„ cujus ſimilem nunquam viderat, in ipſa veprium
„ denſitate coepit: quod nos videntes cucurrimus,
„ utrumque coepimus; & oſculantes terram, per unam
„ horam Deo gratias egimus; & eſſe, ut dixi, per
„ omnia probavimus: ſi habueritis fidem, ut granum
„ ſinapis, dicetis monti: transfer te, & transfertur.

„ Faſianum igitur illum petenti Patri laetantes
„ portavimus; & per ordinem cuncta narravimus:
„ qui accipiens eum, ovans magis de indulto ſibi be-
„ neficio Dei & Dominorum ſuorum, quam de il-
„ lius avis comeſtione recreatus eſt; & fuit illi ad
„ miraculum, quoad vixit; nobis autem poſteris-
„ que noſtris ad laudem Omnipotentis Dei, & glo-
„ riam horum Sanctorum per infinita ſaecula ſaeculo-
„ rum, amen.

Alterum miraculum ejus, modo quod narravimus, ſimile ab eodem Auctore ſcriptum eſt in eodem codice Tabularii noſtri: ex quo intelligimus, quod Adillelmus, quum ad inſulam (2), quae Aſtura dicitur, & locus eſt, qui a fluvio nomen accipit, ubi pridem oppi-

 dulum

(2) De Aſturae inſula prae aliis legendi ſunt Athanaſius Kirkerius in veteri Latio cap. VII. num. IV. & Roccus Vulpius in Latio profano tom. 3. cap. XI. Vide etiam inferius a nobis adnotata Cap. XV. in notis ad Bullam Honorii Papae III.

Digitized by Google

dulum & villa Ciceronis, deinceps Alexianorum Monachorum coenobiolum, nunc parva arx, ſeptem millia paſſuum Neptunio diſtans in Latio ſeu Campania Romana; quum, inquam, Adillelmus eo veniſſet, ut monaſterium viſitaret; & Monachi, qui eum exceperant humaniter, ſubtriſtes viderentur eam ob cauſſam, quod nullos piſces haberent, quo liberalius hoſpitem tractarent: quid eſt, inquit, quod moeretis? Putatiſne, ſi BONIFACIO & ALEXIO placuerit, non poſſe tantum piſcium numerum exſiſtere, ut haec inopia ad ſummam copiam redeat? Et quum paullulum divinas preces effudiſſet, repente tot piſces, & multi quidem ponderis apparuerunt, ut nemini non mirum videretur. „ Huic itaque ſimile, quod eidem
„ Patri accidit, & tam a ſe, quam & ab aliis mihi rela-
„ tum eſt, alterum praedicabo miraculum. Quo tem-
„ pore curioſus ipſe cellam ſui monaſterii, ſitam in
„ inſula, quae Aſtura dicitur, ſollicite viſitabat Re-
„ ctor, juxta quam veniens, parvo lintre vectus,
„ tranſnatat timidus medium amnis; nam in duo di-
„ viſus inſulam totam amplectitur, & quaſi quadam
„ Pariſiaca amoenitate refertam, delectabilem red-
„ dit: ubi quum deſcendiſſet, oratorium Sanctae
„ Dei Genitricis ingreſſus, flexis poplitibus ſolitam
„ fudit orationem. Qua expleta, totus placidus eri-
„ gitur Pater, & filios ibidem degentes paterna bene-
„ dictione feſtive accumulat. Unde egreſſus, ante
„ fores eccleſiae prope ripam fluminis una cum eis
„ conſedit; quibus multa ſalubria miniſtravit moni-
„ ta, multaque priorum exemplis pigmentata prae-
„ buit dogmata.

„ Inter

Digitized by Google

„ Inter quae unus illorum, qui ceteris praeerat, „ talem prorupit in vocem: in adventu veſtro, ultra „ quam dici poſſit, congaudemus, optime Pater; ſed „ hoc moerore nos conficit, quod ad refectionem ve- „ ſtri piſcium habemus nullum, advenire vos neſcien- „ tes; propter hoc minime laboravimus, neque etiam „ tempus hoc dabat. Cui ſubridens Pater, talia di- „ xit: filioli, adhuc & vos modicae fidei eſtis? Num- „ quid non abſque veſtro labore Chriſtus meritis Do- „ minorum meorum BONIFATII & ALEXII piſci- „ bus nos reficere poterit? Magna pro eo ſuſtinue- „ runt; ſed majora promerentur. Committebat enim „ ſe ſemper & ubique, ut dixiſſe me memini, ſuis „ ſpecialibus Dominis; & potentia eorum confiſus, „ adjiciens, inquit: non prius petam ſacram menſam, „ quam de innumerabili piſcium Domini multitudi- „ ne ipſi amici ejus nobis conferant.

„ Quibus non recte intellectis, putantes ſecum „ piſces detuliſſe, ad alia cellae utilia vertuntur Fra- „ tres, & conſilium hujus prudentis regulariter quae- „ ritant Paſtoris. Quo accepto, ad ſextam horam ca- „ nendam ire deliberant; menſamque communi con- „ ſultu praeparare accelerant. Quum extemplo in „ medio fluminis piſcis viſus eſt exiliens, & tranſi- „ liens, & quaſi hamo piſcaretur, ad pedes Abbatis „ immiſſus. Et quia erit fortaſſe, qui odiendo callide, „ vel ſtudioſe cupiendo doceri quaerat, dicens: opera „ ejus meruerunt tam clara & inuſitata prodigia; ob- „ viabo, & odientem Dominica voce elidam, cu- „ pientemque doceri eadem inſtruam.

„ Qualiacunque illius opera eſſent, homo pec-



Digitized by Google

„ cator & ceteris Chriſtianis iniquior non dijudico ;
„ ſed fide promeruiſſe teſtor . Mulier quaedam con-
„ fidens ſalvari, ſi tetigiſſet fimbriam veſtimenti Jeſu,
„ tetigit, ſanata eſt. Centurio vitam filii cum laude
„ ſola fide promeruit, inquiens : Domine, non ſum
„ dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantum
„ dic verbo, & ſanabitur puer meus. Cananaea dicens :
„ Domine, nam & catelli edunt de micis, quae cadunt
„ de menſa dominorum ſuorum, audiri meruit : va-
„ de; fides tua te ſalvam fecit. Multos enim plura
„ demeruiſſe fide ſcimus, quae operibus non value-
„ runt; unde invidus contabeſcat, & doceri cupiens,
„ ad vitam ſuccreſcat.

„ Et quia his ſatisfeciſſe luculenta ratione me ar-
„ bitror ; quid egerit Abbas, currente ſtylo proſequar.
„ Piſcem manibus accipiens, in eccleſiam ivit : ante
„ altare ſe proſtravit, ac diutius orans multas merito
„ lacrymas fudit; exſurgenſque, pro gratiarum actione
„ Deo Sacrificium obtulit : quo peracto, ad menſam
„ nimis rogatus venit, in qua quum delatus piſcis eſſet,
„ qui naturaliter duobus, vel multum tribus erat ſuffi-
„ ciens, contra naturam ad clarificandum merita
„ Sanctorum & ſincerae fidei, duodecim dedit pleniſ-
„ ſimam refectionem „. Haec ſunt, quae de Adillel-
mo Abbate in codice ſcripta reperiuntur, quaeque
etiam in codice quodam Caſſinenſi exarata accepimus,
nec non ex utroque partim decerpta Bollandiani edide-
runt in Commentario praevio ad Acta S. ALEXII.
Sed reliquos Abbates proſequamur.

§. V.

Digitized by Google

## §. V.

## *De Petro Abbate* SS. BONIFACII *&* ALEXII.

EX Litteris Synodicis Leonis Papae IX. quas Mabillonius (1) ex mſ. codice S. Manſueti publicam in lucem emiſit, intelligimus, Alexiano Monaſterio Anno 1050. praefuiſſe Abbatem Petrum nomine. Is Synodo illi interfuit, quam Leo Pontifex, e Galliis Romam reverſus, Anno milleſimo quinquageſimo habuit in baſilica Salvatoris apud Lateranum, qua ad Berengarii falſas quaſdam de divinis rebus & peſtiferas opiniones anathemate configendas convenerunt unacum Pontifice ipſo Dominicus Gradenſis Patriarcha, Archiepiſcopi, Epiſcopi, nec non Abbates triginta & quinque numero. Sed in eadem Synodo actum eſt de Gerardo Epiſcopo Tullenſi in Sanctorum coetum referendo, qui & ſanctitate & rebus mire geſtis illuſtris fuit. Quum autem Synodo placuiſſet, ut ad Divorum numerum Gerardus adjungeretur, Leo hac de re Litteras *ad cunctos Catholicae Eccleſiae filios in Chriſto dedit*: quas Litteras ſubſcripſere duo & nonaginta Patres. In his Dominicus Patriarcha Gradenſis, Archiepiſcopi ſeptem, quorum prior Alinardus Lugdunenſis, Epiſcopi quadragintaſeptem, quorum primus Joannes Portuenſis, poſtmodum Hugo Archidiaconus Eccleſiae Romanae, Petrus ejuſdem Eccleſiae Diaconus Cancellarius & Bibliothecarius, Sico Pri-

mice-

(1) Mabillonius in Appendice ad Annal. Bened. tom.4. num.64. ipſam Bullam affert Leonis Papae IX. unacum ſubſcriptionibus, quam etiam edidit in Actis Ord. S. Bened. tom.7. ubi agit de S. Gerardo Tullenſi.

Digitized by Google

micerius ipſius Eccleſiae; ſed & Abbates numero trigintaquinque, hoc ordine, Richardus Abbas S. Benedicti, Hugo Abbas Cluniacenſis, Hairardus Abbas S. Pauli, Joannes Abbas S. Sabbae, Reinerius Abbas S. Coſmae, *Petrus Abbas S. Bonifacii*; & deinceps nomina leguntur Abbatum reliquorum. Sextum igitur ea in Synodo Alexianus Abbas obtinuit locum. Cur autem ſextum, quum in more eſſet, ut quartum teneret, ſi ex me quaeratur, neſcire fateor. Certe antiqui Scriptores Joannes Diaconus, Petrus Mallius, aliique inter viginti celebres Urbis Abbatias quarto locò Bonifacianam numerant, ut ante dixi Capite VIII. pag. 74. Qui primus Abbatum ſubſcripſit Richardus, Mabillonio (2) videtur fuiſſe Richerius Abbas Caſſinenſis, quem proxime ſubſequitur Hugo Cluniacenſis, tum Airardus Abbas S. Pauli, paullo poſt promotus ad Sedem Namnetenſem in locum Budici, qui in Synodo Remenſi Dignitate dejectus fuerat. Sed haec nihil ad rem, de qua ſcribimus.

Quoniam vero de rebus geſtis a Petro Abbate SS. BONIFACII & ALEXII nil quidquam vulgatum accepimus, praeter ejuſdem nomen Synodicis, ut dixi, Leonis Papae Litteris ſubſcriptum; illud unum hic commemorabo, quod in Archivi chartis reperire forte contigit, quo perſpicuum fiat, Petrum jam uſque a Benedicti Papae IX. temporibus, Anno ſaltem 1043. Monaſterii noſtri praefecturam geſſiſſe.

Monumentum igitur exſtat, quo pacta quaedam conventa fuiſſe liquet Petrum inter Alexianum Abbatem, atque inter Benedictum Abbatem *Monaſterii SS. An-*

(2) Idem Mabillon. Annal. Bened. tom. 4. lib. 59. num. 75.

Digitized by Google

*SS. Andreae Apoſtoli & Gregorii Confeſſoris, qui nuncupatur clivus Scauri*, coram permultis clariſſimi nominis teſtibus, & praeſertim *Gregorio Conſule* Benedicti IX. Romani Pontificis germano fratre, de cujusdam pagi, qui vocabatur *Tercius*, poſſeſſione. Hanc Petrus (3) alter, olim Sylvae Candidae (4) Epiſcopus ab ſe acquiſitam, Monachis Sanctorum BONIFACII & ALEXII obtulerat, ac dono dederat; at S. Gregorii Abbas Joannes, Benedicti deceſſor, machinatione quadam corruptis ſeu confractis emptionis tabulis, in controverſiam vocare praeſumpſerat, ut legitur in Actis, quae ex integro afferuntur in Appendice ad Annum 1043. ex quibus haec ad rem noſtram decerpere ſatis

(3) De Petro Epiſcopo Sylvae Candidae meminit Regeſtum Farfenſe his verbis: *Noſtris diebus vidimus, & audivimus . . . . quemdam Romanum Epiſcopum, nomine Petrum, jam nimis vetulum, qui Romae morabatur apud Sanctum Vincentium, Sylvae Candidae fulgens Epiſcopatu, & habitans juxta eccleſiam B. Petri Apoſtoli &c.* Vide Ferdinand. Ughellium tom. 1. Ital. Sac. de Epiſcopis Portuenſibus & Sylvae Candidae num. 19. & 20. ubi referuntur Acta Concilii habiti in eccleſia Sancti Silveſtri pro juribus ſervandis eidem Petro Epiſcopo ejuſque Succeſſoribus; nec non Diplomata duo afferuntur, alterum Joannis Papae XIX. dat. 16. Kal. Januarii Pont. an. tertio, atque inſcriptum: *Dilecto Filio Petro Domini gratia Epiſcopo Sylvae Candidae Eccleſiae, & per te eidem Venerabili Epiſcopio, Succeſſoribusque tuis in perpetuum &c.* Alterum vero Benedicti Papae IX. dat. An. Domini 1033. *Petro Venerabili Epiſcopo Sanctae Sylvae Candidae Eccleſiae, tuiſque Succeſſoribus in perpetuum &c.* quo bona omnia ejuſdem Eccleſiae rata habentur, & ampliſſimis privilegiis confirmantur.

(4) Sylva Candida, olim ad Sylvam Nigram, decem millia paſſuum ab Urbe diſtans in via Aurelia, nunc S. Rufinae, ſpectans ad Xenodochium S. Spiritus in Saxia, quae ideo Sanctarum Rufinae & Secundae appellata eſt; quod eae duae ſorores accuſatae a ſponſis, quod pietatem Chriſtianam colerent, ibidem ſuſceptae Fidei, ſub Romano Praefecto Junio Donato capite plexae ſunt Anno 260. Ita ex Ughellio pag. 89. ibidem. Vide in Tab. Latii Jacob Ameti locum, qui dicitur *le Macchie*, olim *Selva Candida*, non longe a latifundio ejuſdem Xenodochii S. Spiritus, quod vocant *Porcareccia*.

Digitized by Google

ſatis erit : *Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini noſtri Benedicti Summi Pontificis, & Univerſalis Noni PP. in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli XI. Indictione ſimiliter XI. menſe Auguſto, die viſceſima ſecunda. Si inter homines id conſuetudinis obſervatur &c. . . . . ita determinatum eſt, ut ex conveniencia Monaſterium Sancti BONIFACII daret monaſterium clivus Scauri undecim libras denariorum . . . . . prephatus Petrus Abbas Monaſterii Sancti BONIFACII, ejuſque ſucceſſores eundem ipſum caſalem, Tercius nomine, cum omni ſua pertinencia in omnibus tenere, & poſſidere debeant in perpetuum &c.* Ex his itaque palam fit, jam ab anno undecimo Pontificatus Benedicti Papae IX. (5), qui Romanam Cathedram obtinuit A. D. 1033. Alexiano Coenobio praefuiſſe Petrum eumdem, qui A.D.1050. Romanae Synodo interfuit, atque ſubſcripſit.

Ceterum Petrus alter Sylvae Candidae Epiſcopus non modo memoratum Tercii pagum, ſed pleraque alia praedia & latifundia ibi adjacentia in agro, qui vocabatur *Ciminuli*, Divis BONIFACIO & ALEXIO obtulit, & Monachis, qui divinis ibi officiis vacarent, poſſidenda tradidit, ut ex iiſdem Actis intelligitur; atque illud demum adjecit poſtremum ſuae voluntatis argumentum, ut noſtro in Templo tumulari volue-

(5) Benedictus Papa IX. Alberici Tuſculani Comitis filius, decem annorum adoleſcens, Joanni XIX. ſuffectus eſt A. D. 1033. teſte Glabro Rodulfo lib. IV. Hiſtoriae cap. V. Is Caſimirum Poloniae Principem, qui vitam monaſticam apud Cluniacenſes profeſſus fuerat, jamque Diaconus erat ordinatus, a votis abſolvit; eique ducendae uxoris poteſtatem fecit. Sed poſt decem & amplius annos a Romanis e Sede dejectus, tandem Pontificatu ſe abdicavit. Vide Ottonem Friſingenſem lib.6. cap. 31. & 32. atque B. Petrum Damiani Auctorem coaevum Opuſc. XIX. cap.III. alioſque &c.

Digitized by Google

voluerit prope Marozziam matrem, quod refert Ughellius (6). „ Defunctus eſt Petrus Anno 1035. „ ſepultus in Eccleſia Sancti ALEXII in monte Aven- „ tino prope Marozziam, ubi adhuc (7) in marmorea „ tabula hoc legitur Epitaphium:

*Lector ad hunc tumulum lacrymantia lumina ſolve;*
*Natus cum cara matre ſepultus ubi.*
*Infelix planctu non poſſum dicere totum,*
*Illa Marozza ſolo, nomine Petrus ego.*
*Petrus ego Sanctae non dignus Sede Ruſinae;*
*Quem ſine matre mea vivere taedet eheu!*
*Iſthic cura domus rerum cumulatior auctus,*
*In hac gaudebam, mox ubi triſtis ero.*
*Semper triſtis ero jam nunc, dum carne manebo;*
*Quando mihi matris mors redit in animum.*
*Quinquagies caſtos evolvit ſexies annos,*
*Turtur poſt unum facta pudica virum.*
*Pauper habet, quod corde gemat, quod voce requirat;*
*Victum, veſtitum, non modo pauca dabat.*
*Quum ſis mortalis, tibi natum conſociabis,*
*Ut ſibi ſic unum vindicet una locum.*
*Audeat haud quiſquam miſcere licentius unquam;*
*Sit anathema Deo, ſi temerator erit. F. F. F.*
*Reſpicite o Sancti, quos eligimus duo ſervi.*
*Horum tu precibus nos miſerere Deus.*

*Hic requieſcit (8) Marozza exſpectans filium ſuum Petrum Epiſcopum S. Ruſinae, quae obiit temporibus Do-*

 *mini*

(6) Vide Ughellium num. 19. ubi ſupra.

(7) Nunc hujus marmoreae tabulae & Epitaphii nulla nequidem veſtigia ſuperſunt.

*mini Benedicti Papae Kal. Julii feria tertia, Indictione III. A. D. 1035. Obiit Dominus Petrus Episcopus menſe Octobris die 6. Anno Domini 1035.* (9).

## §. VI.

### *De Gebizone Abbate SS.* BONIFACII & ALEXII, *ac poſtea Epiſcopo Caeſenate & S. R. E. Cardinali.*

GEbizonem eorum, qui ſaeculo undecimo in Alexiano Coenobio floruerunt, vix equidem dubito, an primum omnium ponam. Illi ſine dubio nullus praeferendus morum innocentia, pietate, diligentia, fide; at prudentia & rerum agendarum peritia permultos

(8) Marozzia haec Petri mater Epiſcopi Sylvae Candidae nequaquam confundenda cum Marozzia Theodorae filia, de qua ſupra diximus Cap. IX. §. II. pag. 85. Tempora enim non conveniunt, neque utriusque mores; altera nimirum corruptae vitae femina traducitur a Luitprando; altera vero *quinquagies caſtos evolvit ſexies annos*. Frequentius autem per ea tempora fuiſſe Marozziae nomen pluribus oſtendi poteſt. Nam in Necrologio monaſterii Sancti Cyriaci de via Lata, quod ex bibliotheca Vallicellana vulgavit Floravantes Martinelli, ſexnotantur ancillae Dei, quae Marozziae nomine defunctae ſunt, nempe: XII. Kalendas Martii, *Marozza ancilla Dei, quae vocatur de Abbate*: pridie Kal. Martii *D. Guido filius de Marozza de Antoni ancilla Dei*: V. Nonas Martii *Marozza ancilla Dei, quae Atria vocabatur*: VIII. Id. Aprilis *Marozza Sperogalla*: III. Id. Maji *Marozza ancilla Dei, quae Sutrina vocatur &c.* IV. Kal. Junii *Marozza Senatrix &c.* Vide Martinell. in libro, cujus titulus: *Primo Trofeo della S. Croce eretto in Roma* pag. 145.

(9) Forte legendum Anno 1038. ut recte adnotatur apud Ughellium.

Digitized by Google

multos ſuperavit. Quare non eſt mirum, ſi a Romano Pontifice ad permulta Chriſtianae Reipublicae negotia feliciter obeunda adhibitum fuiſſe conſtet. Regebat ille Monaſterium ab Anno 1073. Alexandro II. Pontifice: quod ſatis liquet ex publico Inſtrumento (1) Tabularii noſtri, in quo haec legi: *Anno duodecimo Pontificatus Dñi Alexandri II. Papae, Indictione undecima, menſis Octubris die decima .... Ego Berno filius Creſcii de Johanni Manianopro ſalute & redemptione animae meae &c. concedo, trado, & dono vobis SS. Chriſti Martyris BONIFATII adque Confeſſoris ALEXII, veſtroque Monaſterio .... in quo eſt Dompnus Gebizo Religioſo Abbate &c. ... terram, in quo eſt paſtinus de Nucius Maria &c.*

Sed Anno 1075. allectum fuiſſe unacum Mauro Abbate, qui Legatus Pontificius varias in urbes & loca mitteretur, multaque & magna negotia obiret pro Apoſtolicae Sedis Dignitate, conſtat ex Litteris a Gregorio datis cum ad univerſos Fideles, ut eum congruo honore exciperent, ac debitam praeſtarent obedientiam, tum ad Feretranos & Eugubinos, ut idoneum eis Paſtorem eligerent. Meminit hujus Legationis Annalium Parens (2), cujus haec ſunt verba: „ Anni „ hujus initio (*nempe* 1075. ) IV. Nonas Januarii „ Gregorius Papa miſit Viſitatores Eccleſiarum Abbatem S. BONIFACII Gebizonem, & Maurum „ S. Sabbae Abbatem cum Apoſtolicis Litteris ad quoscunque Chriſtifideles .... Voluit autem ab iiſdem „ peculiariter curari Eccleſias in Umbria Eugubinam „ & Fe-



(1) Inſtrumentum ipſum vide in Appendice ad A. D. 1073.

(2) Baron. Annal. Eccleſ. ad Annum Domini 1075. §. 3.

Digitized by Google

„ & Feretranam . . . . Piſaurenſis quoque Eccleſiae
„ bona per Epiſcopum diſſipata recuperare „ . Exſtant etiamnum Apoſtolicae hae Litterae inter Epiſtolas Gregorii VII. quas legere eſt tomo X. Conciliorum Labbeanae collectionis; quaſque iccirco hic ſubjiciendas duximus, ne luculentiſſimum tanti Pontificis de Gebizone teſtimonium hic deſideraretur. Libro itaque ſecundo Epiſtola num. quadrageſima ipſa eſt, quam Gregorius Papa VII. ad univerſos Fideles direxit, ut Gebizonem & Maurum Legatos ſuos congruo honore reciperent; atque hujuſmodi eſt:

*Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei omnibus S. Petri Fidelibus, ad quos portitores praeſentium venerint, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

„ Notum vobis eſt, quod ſuccreſcente nequitia,
„ & diabolica fraude uſquequaque invaleſcente, mul-
„ torum jam caritas friguit, & totius Religionis ſtu-
„ dium in Sancta Eccleſia pene defecerit. Sed quia
„ impoſſibile eſt, noſtram in tot & tam diverſas ſol-
„ licitudines praeſentiam exhiberi, miſimus ad vos
„ dilectos Sanctae Romanae Eccleſiae filios, videlicet
„ *Gepizonem Abbatem S. BONIFACII*, & Maurum
„ Abbatem S. Sabbae, per quos & noſtra vobis reprae-
„ ſentetur Auctoritas, & noſtra vice ea, quae ad uti-
„ litatem Sanctae Eccleſiae pertinent, cum Dei adju-
„ torio ſtudioſa procuratione peragantur. Vos igitur
„ memores divini per Euangelium dicti: *Qui vos au-*
„ *dit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*, eos,
„ ſicut de noſtra amicitia, immo de gratia Sancti Pe-
„ tri, cujus nuntii ſunt, curam habetis, debita cum
„ veneratione & caritate recipiatis; & in omnibus,

„ quae

„ quae vel cauſſa Legationis eorum, vel fatigationis ne-
„ ceſſitas poſtulaverit, fidelem illis obedientiam &
„ conſenſum praebeatis. Praeterea ſi contigerit, eos
„ ex conſiderata & competenti neceſſitate negotiorum
„ dividi, & ſeparatim in diverſas partes proficiſci,
„ ad quoſcunque alter eorum venerit, eum ſicut nos
„ audiatis; & quod noſtrae deberetis praeſentiae, in eo
„ oſtendere, & exſequi non dubitetis. Dat. Romae
„ IV. Nonas Januarii, Indictione XIII.

Altera vero Pontificis Epiſtola, quae data eſt eadem die IV. Nonas Januarii, Indictione XIII. nimirum Anno 1075. numero eſt quadrageſimaprima, atque ad Feretranos & Eugubinos conſcripta, quibus Sanctiſſimus Pontifex ſignificat, ſe Gebizonem & Maurum Legatos ea de cauſſa miſiſſe, ut dent operam ad idoneum Paſtorem in eorum Eccleſia eligendum; ſic autem ſe habet:

*Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Clero & Populo Feretrano, atque Clero & Populo Eugubino ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

„ Ex quo Eccleſiam veſtram Paſtore viduatam
„ eſſe cognovimus, multa pro vobis ſollicitudine anxii
„ fuimus; & quanquam multa & gravia nos negotia
„ occupent, ea tamen cura, qualiter divina miſericor-
„ dia dignum vobis Patrem provideat, noſtro cordi in-
„ deſinenter adhaeret; atque eo magis hac de cauſſa
„ ſollicitamur, & attentius Deo preces effundimus;
„ quoniam in retroactis temporibus non ſat vigilan-
„ tem vobis Paſtorem praefuiſſe cognovimus. Qua-
„ propter miſimus ad vos hos Religioſos Sanctae Ro-
„ manae Eccleſiae filios, videlicet Abbatem S. Sab-

„ bae

„ bae & *Abbatem S. BONIFACII*, ut ſi forte in Eccle-
„ ſia veſtra talis perſona, quae huic regimini congrua
„ ſit, reperiatur, diligenter inquirant; & eam, ſicut
„ dignum eſt, veſtra electione collaudatam, & cano-
„ nico decreto probatam, nobis ad ordinandum quan-
„ tocius praeſentare ſtudeant. Sin vero inter vos talis
„ reperiri non poſſit, ipſi cum omni diligentia & ſol-
„ licitudine aliunde aliquem, qui vobis ſecundum
„ Deum praeeſſe poſſit, invenire procurent, & ad ſu-
„ ſcipiendam Epiſcopalis officii ordinationem ad nos
„ ſine mora tranſmittant. Vos igitur in omnibus eis
„ credite, & obedite, ſcientes eos in hac re, cuſto-
„ diente Deo, nihil niſi veſtram ſalutem & Eccleſiae
„ veſtrae honorem attendere. Praeterea quidquid
„ theſauri vel ornamenti in Eccleſia veſtra habetur, il-
„ lorum oculis praeſentate, quatenus ex eorum pro-
„ videntia & commendatione in tali cuſtodia relinqua-
„ tur, ut nec Eccleſia detrimentum ſentiat, nec in
„ aliquem veſtrum aliqua ſuſpicionis infamia cadat.
„ Datum Romae IV. Nonas Januarii, Indictione XIII.

Quod ſpectat ad bona Eccleſiae Piſaurenſis, quae bona Antiſtes per ſummam ſive negligentiam ſive nequitiam divendiderat, quaeque Gebizo Abbas reſtituenda curavit, ipſum Pontificem audire praeſtat ad eoſdem Legatos in haec verba ſcribentem lib.2. Epiſtolarum Epiſt.46.

*Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Gepitio Abbati S. BONIFACII, & Mauro Abbati S. Sabbae, in Legatione Marchiae conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

„ Mandamus vobis, ut diligenter conveniatis
„ ho-

„ homines illos, quibus Michael Piſaurenſis Epiſco-
„ pus Eccleſiae ſuae bona incaute tribuit; eiſque Au-
„ ctoritate Apoſtolica omnia Eccleſiae & Epiſcopo re-
„ ſtituere praecipiatis, atque prout oportuerit, coga-
„ tis; & inſuper Epiſcopum, ſi inobedientes fuerint,
„ ex parte S. Petri & noſtra corporaliter ſub banno in-
„ veſtire palam ſtudeatis; eoſque gratiam Sancti Pe-
„ tri & noſtram amiſſuros, ſi rebelles exſtiterint,
„ aperte inſinuetis. Epiſcopos quoque, & Comites,
„ cunctoſque Sancti Petri Fideles firmiter praeci-
„ pientes rogate, quatenus Epiſcopo Piſaurenſi ad
„ eos expugnandos ſpirituali & ſaeculari auxilio, pro-
„ ut neceſſe fuerit, fideliter ſubveniant; maxime eos,
„ qui pretio recepto terram adhuc violenter & ſu-
„ perbe retinere non verentur, prae ceteris acerrime
„ corrigatis, & bona Eccleſiae Epiſcopo intromitten-
„ tes reſtituatis. Omnes etiam lites inter Epiſcopum
„ & adverſarios ejus ad utilitatem Sanctae Mariae Pi-
„ ſaurenſis Eccleſiae definire procuretis, nullius ne-
„ gligentiae interveniente incuria. Datum Romae
„ Idibus Januarii, Indictione XIII.

Alteram demum hic addam Gregorii VII. Epiſtolam ad eoſdem Gebizonem ſeu Gepitium & Maurum, datam decimoſeptimo Kalendas Februarii ejuſdem anni, quae eſt num. quadrageſimaoctava; & in qua eis praecipit, ut moneant Rainerium Ugizonis filium fraterna caede contaminatum, ut ne audeat, antequam admiſſi ſceleris poenitentia duci conſtet, uxorem alteram ducere, ut rumor perferebat, ſed ipſum Summum Pontificem adeat, auditurus, quae ſuae ſalutis eſſent.

*Gre-*

*Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Gepitio Abbati S. BONIFACII, & Mauro Abbati S. Sabbae ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

„ Notum vobis eſt, quod Rainerius, Ugizonis „ quondam filius, diabolico inſtinctu fratrem ſuum „ interfecit: unde dignae poenitentiae nondum ſe „ ſubdidit, nec perfecte poenituit; ſed immemor tan„ti facinoris & promiſſionis defenſionum eccleſiaſti„carum, quam in ſuſcipiendo fictam poenitentiam „ fecit, nec non & pauperum Chriſti, animae ſuae ſa„lutem oblivioni tradens, aliam ſtudet uxorem du„cere; ideoque veſtram fraternitatem ſollicitam eſ„ſe volumus, quatenus eum conveniatis, & modis, „ quibus poteſtis, illum moneatis dulciter & aſpere, „ quantum opus fuerit, & vobis neceſſarium videbi„tur, ut nullo modo id facere praeſumat, ſed nos „ adeat ad audiendum ea, quae ſibi de ſalute ſua di„cere debemus. Si forte (quod non optamus) vos „ audire, & nobis obedire renuerit, omni modo certum „ illum reddite, quod nos, Deo adjuvante, quidquid „ juſtum & canonicum viſum fuerit, facere non negli„gemus. Dat. Romae XVII. Kalendas Februarii, „ Indictione XIII. „. Hactenus adductas Gregorii Papae VII. Epiſtolas hic publici juris iterum facere, haud diſſonum argumento putavi; quibus oſtenderem, quanti habenda ſit memoria Gebizonis Abbatis, quem tanti fecit Supremus hic magni judicii magnique nominis Pontifex.

Sed quae Gebizonis prudentiam animique magnitudinem illuſtravit maxime, Legatio fuit Dalmatica & Illyrica ad Demetrium earum Provinciarum Ducem,

Digitized by Google

cem, quam memorant (3) Baronius, (4) Ughellius, (5) Oldoinus, (6) aliique ex monumentis Vaticanae bibliothecae in codice, qui Cencius Camerarius inſcribitur, de Cenſibus Apoſtolicae Sedis. Hinc igitur facile intelligitur, Demetrium, eo tempore Croatiae & Dalmatiae Ducem, ritu ſolemni, corona regia donatum fuiſſe ab eodem Gebizone Abbate; cui, tanquam Apoſtolicae Sedis Legato, clientelam ſeu hominium praeſtitit Demetrius; atque etiam biſcentum auri Byzantios penſionem annuam ſoluturum, ſpopondit.

Hic autem animadvertendum monet Baronius; eo praeſertim tempore, quo Henricus adverſus Romanae Sedis rationes debacchabatur, barbarum Regem ad eam venerandam augendamque divinitus oblatum fuiſſe, ut intelligatur aliquando eſſe, ejuſdem Sedis auctorem, patronum, vindicem Deum. *Quo anno Henricus Rex ſe ſchiſmate ab Eccleſia ſeparavit, Rex barbarus eidem ſe conjunxit, ſubditumque conſtituit, fidelitatem juravit, tributumque ſponte ſpopondit, magnam ex eo acceſſionem ad ſuam gloriam comparari exiſtimans, ſi ex libero principe efficiatur ſubditus S. Petro, ejuſque diceretur eſſe fidelis*. Ita Baronius. Ea de re Synodus habita eſt Salonae in Dalmatia A. D. 1076. in baſilica S. Petri Apoſtoli, cui praefuit idem Gebizo Legatus Apoſtolicus; ex cujus Actis, olim

A a ad-

(3) Baronius Annal. Eccleſ. ad A. D. 1076. §. 65.

(4) Ughellius Italiae Sacrae tom. 2. in Epiſcopis Caeſenatibus num. 34.

(5) Oldoinus in notis ad Ciacconium in Vita S. Gregorii PP. VII. num. VIII.

(6) Lucius de Regno Dalmatiae. Bollandus tom. 2. Febr. pag. 113. Hiſt. Byzantin. tom. 22. de Regibus Dalmatiae & Croatiae §. IV. num. XV. Mabillonius Annal. Bened. lib. 58. num. 41.

Digitized by Google

adſervatis in archivo Lateranenſi, excerpta quaedam leguntur apud Baronium; ex quo formulam ipſam obſequii, ſeu, ut ajunt, juramenti fidelitatis, a Demetrio praeſtiti Gebizoni Apoſtolicae Sedis Legato, qui eidem Synodo praeerat, hic ſubjicere operae pretium exiſtimamus.

„ In nomine Sanctae & Individuae Trinitatis.
„ Anno Dominicae Incarnationis milleſimo ſeptua-
„ geſimoſexto, Indictione decimaquarta, menſe Octo-
„ bris. Ego Demetrius, qui & Suinmur nuncupor,
„ Dei gratia Croatiae Dalmatiaeque Dux, a te, Do-
„ mine Gebizo, ex Apoſtolicae Sedis Legatione Do-
„ mini noſtri Papae Gregorii poteſtatem obtinente,
„ in Salonitana baſilica Sancti Petri, ſynodali & con-
„ cordi totius Cleri & Populi electione de Croata-
„ rum Dalmatinorumque Regni regimine per vexil-
„ lum, enſem, ſceptrum, & coronam inveſtitus at-
„ que conſtitutus Rex, tibi devoveo, ſpondeo, & pol-
„ liceor, me incommutabiliter completurum omnia,
„ quae mihi tua Reverenda injungit Sanctitas, vide-
„ licet, ut in omnibus & per omnia Apoſtolicae Se-
„ di fidem obſervem, & quidquid hic in Regno tam
„ Apoſtolica Sedes, quam ſui Legati ſanxerunt, aut
„ ſanxerint, irrevocabiliter cuſtodiam, juſtitiam exco-
„ lam, Eccleſias defendam, primitiae, decimae,
„ omniumque ad Eccleſiam pertinentium procurator
„ exſiſtam, vitae Epiſcoporum, Presbyterorum,
„ Diaconorum, Subdiaconorumque, ut caſte & re-
„ gulariter vivant, provideam, pauperes, viduas,
„ atque pupillos protegam, parentelae illicitam co-
„ pulam deſtruens, legitimam dotem anulo Sacer-

„ do-

„ dotiſque benedictione conſtituam, & conſtitutam
„ corrumpi non permittam; hominum venditionem
„ contradicam, atque in omnibus, quae ad recti-
„ tudinis ſtatum congruunt, Deo auctore, me
„ aequum exhibeam. . . . . . . . . . . .

„ Ducentorum quoque Byzantiorum tributum,
„ meorum omnium conſultu Primatum, Sancto Pe-
„ tro, per ſingulos annos in Reſurrectione Domini,
„ de mihi conceſſo Regno perſolvendos ſtatuo; &
„ ut poſt me regnaturi hoc idem perpetuo ſervent,
„ cenſeo, corroboro, atque ſancio . . . . Regnum
„ autem, quod mihi per manum tuam, Domine
„ Gebizo, traditur, fideliter retinebo; & illud ſuum-
„ que jus Apoſtolicae Sedi aliquo ingenio aliquando
„ non ſubtraham. Dominum meum Papam Grego-
„ rium, & ſuos ſucceſſores, atque Legatos, ſi in
„ meam poteſtatem venerint, honorifice ſuſcipiam, &
„ honeſte tractabo, & remittam, & undecunque
„ me invitaverint, prout potero, eis ſimpliciter
„ ſerviam „. Hucuſque Rex Demetrius.

Ceterum his maximis in Romanam Eccleſiam meritis, praeſtantiſſimiſque rebus geſtis, Caeſenatem Epiſcopatum Gebizo eſt conſequutus: quam Dignitatem, a Pontifice Gregorio VII. acceptam A. D. 1083. multis auxit virtutibus. Sed & ab eodem Pontifice in ſummum Cardinalium Senatum admiſſum fuiſſe, Ughellius (7) & Oldoinus (8) memoriae prodiderunt. Horum autem poſtremus Baronium poſtulat quaſi injuſti ſilentii, quod nuſquam Gebizonem Cardina-

A a 2 lem

(7) Ferdinandus Ughellius Ital. Sac. tom. 2. in Epiſcop. Caeſenat. n. 34.

(8) Oldoinus in notis ad Ciaccon. in Vita Gregorii PP. VII. num. VIII.

lem appellaverit; & teſtibus utitur Panvinio, Ciacconio, Ughellio. At Oldoinum, qui, dum alienam reprehendit negligentiam, ſuam non videt, equidem ſatis mirari non poſſum; quum neque Panvinius mentionem hujus rei ullam faciat; quinimmo decem & quatuor Cardinales a Gregorio renuntiatos quum diſerte nominet in Epitome Romanorum Pontificum, Gebizonem non nominat. Quia vero multas a Gregorio Cardinalium Ordinationes factas ſcribit Panvinius, quorum nomina ad nos minime pervenerunt: „ Gregorius VII. tam Romae quam „ alibi plures fecit Cardinalium Ordinationes, inter „ quos ... multos intercidiſſe facile crediderim (9) „; iccirco haud falſo dixerim, hos inter omnino fuiſſe Gebizonem noſtrum, qui tantum honoris gradum, ſiquis alius meruiſſe exiſtimandus eſt.

(9) Panvinius in Epitome Romanorum Pontificum a S. Petro ad Paulum IV. edit. Venet. 1557.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT XI.

## *Abbates ſaeculi XII. & XIII. uſque ad A.D.* 1231.

ETſi forte non omnes Illuſtres Viros, qui ſaeculo duodecimo Monaſterium Abbatis nomine adminiſtrarunt, in lucem revocare contigit (quod in tanta remoti temporis caligine nimis laborioſum eſſet); illud tamen veriſſime affirmare poſſe videor, pleroſque eorum ex pervetuſtis Archivi chartis diligentia noſtra erutos fuiſſe: in quibus enumerandis ſeriem Abbatum ſi non omnino continuatam, vix ſaltem interruptam afferemus.

Primus itaque, quem ſciam Coenobio praefuiſſe poſt inſignem illum Gebizonem, eſt quidam *Placidus*, de quo nihil memorabile aliud accepimus, niſi quod A. D. 1116. praediola quaedam in agro Albano ſecus pagum Apruniani (1), ad Monaſterium noſtrum pertinentia, *Dompno* cuidam filio *Leonis de Bonizo* locavit, ut ex Tabulis eam ob rem confectis facile intelligitur. *Anno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſextodecimo, ſeptimodecimo anno Pontificatus Dompni Paſchalis Secundi Pape, Indictione IX. menſe Januario die XVIII.* EGO QUIDEM DOMPNUS PLACIDUS ABBAS VENERABILIS MONASTERII SANCTORUM BONIFACII ET ALEXII, *conſenſu & voluntate aliorum Fratrum ibidem Deo ſervientium . . . . concedimus, tradimus, atque locamus tibi*

Dom-

(1) *Aprunianum* pagus territorii Albani, de quo frequens mentio in antiquis chartis. Vid. Append. num. IV. & Diploma Joannis XIX. apud Ughellium tom. 1. Ital. Sacr. pag. 94. & 101.

Digitized by Google

*Dompno Dompni Leonis de Bonizo . . . duo petii terre, cum omni utilitate & pertinentia ſua, poſiti territorio Albani in fundo, qui vocatur Apruniano* (2) *&c.* Hoc inquam unum Placidi factum, fuiſſe Placidum declarat. Ceterum quandiu Coenobii praefecturam obtinuerit, quid aliud geſſerit, vel quo plane tempore ſupremum diem obierit, nuſquam invenimus.

Sed de *Riccardo*, qui Anno Domini 1141. jam Coenobium noſtrum rexiſſe deprehenditur, aliquanto plura ſunt, quae illius nobis nomen & memoriam ſignificent. Primum enim omnium, frugi hominem fuiſſe, atque in perſequendis Monaſterii juribus diligentem, ex eo conjicimus, quod eodem Anno 1141. coram Innocentio II. Pontifice Maximo litem intenderit *Ptolemaeo Tuſculano* Comiti; propterea quod uſurpaſſet inſulam (3) *Aſturae*, quae Alexiani Coenobii erat, nempe inſulam quamdam Latii in Volſcis, hodie in Campania Romana prope Pontinas paludes, locum ſatis notatum Tullii Ciceronis nece. Exſtat publicum hujus rei monumentum a *Nicolao* quodam *Sanctae Romanae Eccleſiae Scriniario* confectum, cujus haec ſunt verba: *Anno undecimo Pontificatus Domni Innocentii Secundi Pape, Indictione quarta, menſis Martii die XIIII. Ego Nicolaus Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, juſſu ſupradicti Pontificis . . . . ſicut interſui, haudivi, & vidi, ita ſcripſi: qualiter* DOMINUS RICCARDUS ABBAS MONASTERII SANCTORUM BONIFACII ET ALEXII *querelam Dño Pontifici fecit adverſus Dñum Tholomeum de Tuſculana*

(2) Hoc Inſtrumentum ex integro legeſis in Append. num.VII. not.(2), atque inferius not.(8) hujus Cap.XI. & Cap.XV. not. (27).

(3) De inſula Aſturae vid.pag.169.

Digitized by Google

*lana* (4), *quod per vim & ſine ratione detineret inſulam de Aſturia . . . & noſtro Monaſterio abſtulit* (5) *&c.* Poſtmodum vero hic idem Ptolemaeus & Pontificis cohortatione, & rei veritate permotus, quum ad Monaſterium veniſſet, Tabulaſque ea de re conſcriptas inſpexiſſet, pollicitus eſt fore, ut res nullo negotio componeretur: *ivit ad S. ALEXIUM cum Dño Leone ſocero ſuo, & haudierunt, & viderunt Inſtrumenta Monaſterii, & promiſit bene concordare cum Dño Abbate &c.* Promiſſis autem, quae fecerat, ſtetiſſe hominem, ac fidem ſuam liberaſſe, ex eo conjicio, quod Anno demum 1163. inſulam eamdem Aſturae Jonathae Tuſculano Comiti ejuſdem Ptolemaei II. filio locatam lego a Petro Abbate, de quo nunc poſtea dicemus.

Alia deinceps, quae Riccardi diligentiam ſingularem oſtendunt, ex aliis antiquis hujus generis Inſtrumentis, quae Annis 1145. 1148. & 1153. confecta ſunt, atque vulgata in Appendice num. IX. X. XI. & XII. facile peti poſſunt; neque eſt, cur ea fuſius explicando, legentium animos defatigemus. Illud unum concludo, per annos tredecim amplius ab eodem Riccardo Monaſterium fuiſſe adminiſtratum.

In hujus locum ſuffectum fuiſſe arbitror *Petrum Ab-*

(4) *Tholomeus de Tuſculana*, nempe Ptolemaeus II. Comes Tuſculi, Sublaci Dominus, qui, teſte Petro Diacono, uxorem duxit Bertam filiam Henrici IV. Imperatoris. *Anno* 1117. .... *Imperator urbem Romam ingrediens, Ptolemaeo Illuſtriſſimo, Octavia ſtirpe progenito, Ptolemaei Magnificentiſſimi Conſulis Romanorum filio, Bertam filiam ſuam in conjugio tradidit*. Ex Chron. Caſſinen. lib. 4. cap. 61. apud Murat. Rer. Ital. Script. tom. 4. pag. 519. Vide Baron. ad A. D. 1044. num. 2. Athanaſium Kircher. in Hiſtoria Euſtachio-Mariana part. 2. pag. 76. in Tabula Genealogica Comitum Tuſculi, & Franciſcum Zazzeram de Nobilit. Ital. part. 2.

(5) Inſtrumentum vide in Append. num. VIII.

Digitized by Google

*Abbatem*, etſi ejus nulla mentio occurrat in Tabulis, niſi A.D. 1163. quo anno, ut modo diximus, controverſam Aſturae inſulam ipſe locavit (6). *Anno quarto Pontificatus Domni Alexandri Tertii . . . . . Indictione XI. menſis Februarii die V.* EGO QUIDEM PETRUS ABBAS VENERABILIS MONASTERII SS. BONIFACII ET ALEXII, QUOD SITUM EST IN AVENTINO . . . . . *hac die, propria noſtra voluntate, locamus atque concedimus tibi Jonathe* (7) *Tuſculano Comite . . . . inſulam de Aſturia* (8) *cum ſuis piſcariis . . . . ad tenendum, meliorandum &c.* Hactenus ex Inſtrumento ab Oddone Scriniario confecto A. D. 1163. Sed annum hunc poſtremum Petri Abbatis vel vitae, vel certe adminiſtrationis fuiſſe video; propterea quod Petrum *Johannes Abbas* excepit, qui Monaſterio

(6) Vid. Append. num. XIII.

(7) Jonathas Ptolemaei II. filius natu ſextus, miles generoſus, de quo Cencius Camerarius, & Baronius, qui ad A. D. 1168. num. 74. refert, Alexandrum III. Romanum Pontificem, pactis cum eo conventis, *civitatem Tuſculanam in ſuam protectionem recepiſſe*. Vide Kircherium & Zazzeram ubi ſupra, not. (4).

(8) Inſulam Aſturae ad Alexianos Monachos ſpectaſſe, jam diximus pag. 170. oppidum vero ſeu caſtrum Aſturae eodem ferme tempore ad Nobiliſſimam Gentem Frangipaniam pertinuiſſe, colligitur ex *chartula pignoris Aſturae*, quam affert Doctiſſimus Panvinius lib. III. de Gente Fregepania cap. IX. pag. 128. in qua legitur: *Anno Dominicae Incarnationis MCXCIIII. & anno III. Pontificatus Domini Caeleſtini III. Pontificis, Indictione XI. menſe Aprilis die XIIII. Nos quidem Leo Frajapani, ante praeſentiam Domini Petri Portuenſis & S. Rufinae Eccleſiae Epiſcopi, & ſubſcriptorum teſtium, propria noſtra voluntate, pignore ponimus & obligamus . . . . . . . . . totam & integram medietatem meam, pro indiviſo mixtam cum alia medietate Manuelis fratris noſtri, videlicet totius ROCHAE & CASTRI ASTURAE, cum terris ſementariciis &c. . . . . . quae medietas arcis & caſtri, ut dictum eſt, cum ſuis pertinentiis nobis pertinet &c.* Ex cod. Ms. Onuphrii Panvinii de Gente Fregepania, cujus exemplaria exſtant in bibliotheca Vaticana & Barberina; autographum autem mecum humaniſſime communicavit Cl. Marchio Pompejus Frangipani, quem honoris & amicitiae cauſſa nomino.

Digitized by Google

rio decennium aut amplius praefuiſſe dignoſcitur. Nam die 2. Jan. A. D. 1164. occurrit locatio ab eodem facta Joanni Petri Leonis (9) de Rainerio, praedioli cujuſdam poſiti *in Favarolo* (10). *Anno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſexſageſimotertio, Indictione XII. menſis Januarii die II. DONNUS JOHANNES ABBAS, cum Monachis Bonelli & Guilielmi, loco tibi Johanni Petri Leonis de Rainerio &c. . . . . . unam pedicam terre poſitam in Favarolo* (11) *&c.* Alia occurrit A. D. 1165. qua idem Joannes Abbas Auguſtino, Presbytero & Oeconomo Tituli S. Crucis in Hieruſalem, fundum locat extra portam S. Joannis: ad quam locationem iccirco animum induxiſſe profitetur, quod ſuus deceſſor Riccardus ab Ubaldo Tituli S. Crucis in Hieruſalem S.R.E. Presbytero Cardinali *duodecim* jam *libras* accepiſſet *denariorum Papienſium* (12); pro quibus hypothecae

B b ſeu

(9) Quis fuerit Joannes Petri Leonis de Rainerio, haud quaquam ſcio; Familiam vero de Raineriis eo tempore nobilem conjicio, ex quo Senatores Romae dedit. Nam A.D. 1238. Gregorius de Raineriis Urbis Senator memoratur in Hiſtoria Terracinenſi lib. 2. cap. 3. ubi leguntur binae ejusdem Senatoris Litterae, quarum hoc eſt initium: *Gregorius Johannis Leonis Rainerii, Dei gratia Almae Urbis Illuſtris Senator, Conſulibus & toti Populo Terracinenſi ſalutem, & ſincerae dilectionis affectum &c.* Vide ibidem pag. 184. edit. Rom. 1706.

(10) Inſtrumentum vide in Append. num. XIV.

(11) *Terram in Favarolo cum pertinentiis ſuis &c.* memorat Honorius III. in Litteris, quas inferius afferemus Cap. XV. not. (30).

(12) Denarii Papienſes dicebantur a Papia, ubi nummi iſti cuſi ſunt. Nam ex quo Papiam Gothorum Reges amplificare coeperunt, ibi quoque ſignandae pecuniae locum ſtatuerunt. Argentei erant pondo ſex & ſeptem *caratorum*, ut vocant, de quibus nuperrime diſſeruit Joan. Joſeph Liruti in Diſſertatione Venetiis edita Anno 1749. cujus titulus: *Della moneta propria e foraſtiera, ch'ebbe corſo nel Ducato del Friuli &c.* cap. XXVII. pag. 214. Plurium autem Papienſium denariorum ectypon accurate delineatum exhibent Anton. Gattus in Hiſto-

Digitized by Google

ſeu pignoris nomine fundum ipſum dederat . *EGO QUIDEM DOMINUS JOHANNES, DEI GRATIA RELIGIOSUS ABBAS VENERABILIS MONASTERII SANCTORUM BONIFATII & ALEXII . . . cedo tibi Auguſtino Presbytero & Yconomo Venerabilis Tituli Sancte Crucis, que abpellatur Jeruſalem . . . & per te tue Eccleſie in perpetuum . . . . duas pedicas terre ſementaricie cum parte de prato . . . poſitas extra portam S. Johannis juxta formam . . . pro eo quia Dñs Hubaldus* (13) *Presbyter Cardinalis Tituli Sancte Crucis numeravit Riccardo anteceſſori noſtro Abbati duo-*

Hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis pag. 85. & 88. ac Lud. Murat. tom. 2. Antiq. medii aevi Diſſert. 27. pag. 588. Denariorum Papienſium mentio frequens occurrit in antiquis chartis ſaec. XII. apud Murator. ibidem Diſſert. 28. pag. 810. At quanti valuerit libra monetae Papienſis, ignorare ſe fatetur Doctiſſimus Cennius in notis ad Bullam XII. Innocentii Papae III. Bullar. Vatican. pag. 98. edit. Rom. 1747. Jacobus Grimaldus, qui obiit A. D. 1623. in Ms. codice *de Sudario Veronicae* complura recenſens veterum nummorum genera, duodecim denarios Papienſes exaequaſſe putat viginti ſolidos provenienſes ſeu proviſinos, de quibus infra not. (28). Ait enim apud Murator. ibidem pag. 810. *eo quod denarius Papienſis, ſecundum ſtatutam formam a Judicibus & mercatoribus, duodecim denarii pro viginti provenienſibus veteribus nunc computantur.* Haec Grimaldi opinio Liruto non arridet; quem conſulat, qui plura deſiderat. Illud tandem adjiciam, duodecim libras denariorum Papienſium, quas receperat Riccardus Abbas, vix triginta ſcutis argenteis monetae Romanae reſpondere juxta Grimaldum; ſi tamen libra Papienſis ex 20. denariis, non ſecus ac libra provenienſis ex 20. proviſinis conſtituebatur. Vide infra not. (28).

(13) Ubaldus Cacciainimicus Bononienſis, Lucii II. Romani Pontificis affinis, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis Titulo S. Crucis in Hieruſalem creatus ab eodem Lucio Papa non menſe Decembris, ut ſcripſit Sigonius, ſed menſe Maji A. D. 1144. ut aſſerit Panvinius in Epitome Romanorum Pontificum. Is pluribus Romanorum Pontificum Diplomatibus ſubſcripſit, nempe Lucii II. Eugenii III. Hadriani IV. & Alexandri III. quo in Petri Cathedra ſedente, ſupremum diem obiit. Vide Sigonium tom. III. de Epiſc. Bonon. lib. II. pag. 415. edit. Mediol. 1737. Baron. Annal. Eccl. tom. 12. Ciacconium & Oldoinum in Vita Lucii II. ad A. D. 1144. §. I. Ughellium Ital. Sacr. in Epiſc. Bonon.

Digitized by Google

. . . . . *duodecim libras denariorum Papienſium, quos expendit in utilitate noſtri Monaſterii &c.* (14).

Duo praeterea ſunt vetera Inſtrumenta, quae Joannis nomen praeferunt; alterum quidem A. D. 1169. Alexandro III. Pontifice confectum, quo & praedium extra portam Appiam locatur, & a *Gregorio Cencii de Bonfilio* (15) vinea quaedam in agro Albano recipitur: *Anno decimo Pontificatus Dñi Alexandri Tertii Pape, Indictione ſecunda, menſis Auguſti die vigeſimaquinta. EGO QUIDEM DOMNUS JOHANNES, DEI GRATIA ABBAS VENERABILIS MONASTERII SS. BONIFATII & ALEXII . . . loco & concedo . . . . unum petium terre ſementaricie ad octo modios ſementis . . . foris portam Appiam &c.* (16); alterum A. D. 1173. quo Bartholomaeus Cauſidicus & ſuam & filii operam, ſiquae lites emergerent, Monaſterio pollicetur penſionis loco, quam pro quodam praediolo a ſe conducto debuiſſet (17). *Ego quidem Bartholomeus Advocatus . . . . . . promitto & repromitto tibi vero DOMPNO JOHANNI ABBATI VENERABILIS MONASTERII SANCTORUM BONIFATIY ET ALEXIY . . . & per te ipſi Monaſterio ejuſque ſucceſſoribus, abſque ullo beneficio ſervire de officio meo. Et ex quo prenominatus filius*

 *meus*

(14) Inſtrumentum hoc ex integro legitur in Appendice num. XV.

(15) De Familia Bonfilioli ſeu de Bonfiliis mentio fit A.D. 1148. in quodam Privilegio eccleſiae S. Mariae in Via Lata, ubi nomina recenſentur quamplurium Senatorum Urbis, prae quibus *Johannes Bonfilioli*, in Ms. codice de Urbis Senatoribus bibliothecae Frangipanae. Item in Inſtrumento an. 1194. Caeleſtino III. Romano Pontifice, quamplures occurrunt nomine Bonfilii apud Panvinium de Gente Matthaeorum pagin. 383. cod. Ms. ejuſdem biblioth. Frangip.

(16) Inſtrumentum vide in Append. num. XVI.

(17) Vide Append. num. XVII.

*meus Advocatus, ſive Judex, aut Notarius fuerit, ſimiliter ſine ullo beneficio vobis ſervire debet, ſacramento ab eo vobis preſtito &c.* Patet igitur, Joannem Abbatem ſaltem ab Anno Domini 1164. uſque ad 1173. Monaſterii adminiſtrationem obtinuiſſe.

At Anno 1193. Monaſterium idem ab Abbate *Benedicto* gubernatum lego; quo conſentiente, venditur Joanni Ardicio (18) domus quaedam in Marmorata (19) ſub Aventino, ad ripam Tyberis: cujus totius ferme loci Alexianos Monachos olim fuiſſe Dominos ex Actis intelligo, quae in Appendice afferuntur. Quoad vixerit, & Coenobii noſtri moderator fuerit Benedictus Abbas, prorſus ignoro. Hoc affirmare non dubito, jam A. D. 1205. e vita deceſſiſſe; quippe ex Actis ejuſdem anni, factam invenio ceſſionem litis, quae conteſtata fuerat (20) *pro illis centum trigintanovem libris* .... quas *BENEDICTO OLIM ABBATI dicti Monaſterii* mutuavit; *pro quibus* praefatus Abbas obliga-

(18) *Ardicio* an nomen vel cognomen ſit, prorſus ignoro. Celebris fuit eodem ſaeculo Ardicio S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Comenſis, qui Comenſe excidium, a Mediolanenſibus immaniter illatum, ſuis oculis hauſit die 18. Julii A. D. 1127. Ex Ughell. in Epiſc. Comenſ. num. 49. Subſcripſit concordiae inter Eugenium III. & Fredericum Roman. Imperatorem. Ex Baronio & Ciacconio ad A. D. 1145. in Vita Eugenii III. num. XXII. Obiit menſe Martio A. D. 1158. quum pro ſedandis Mediolanenſes inter & Laudenſes diſcordiis Legatus ab Hadriano IV. Pontifice miſſus, cum Ottone Brixienſi Mediolanum proficiſceretur, ut refert Tattus in Annal. decad. 2. Illud addo, quod a nemine notatum video, obiiſſe Platinae, ibique ſepultum eſſe, ut ex ſepulcrali Epigraphe, quae ibidem adhuc exſtat noſtro in templo veteri S. Mariae Aſſumptae de Platina. Platina pagus eſt Cremonenſis, patria Bartholomaei Sacchi, qui iccirco Platina vocatus eſt, notiſſimus Auctor Vit. Rom. Pont.

(19) De Marmorata vide Cap. XV. in notis ad Bull. Honorii III. not. (6), Inſtrumentum vero ad A. D. 1193. in Append. num. XVIII.

(20) Vide in Append. ad A. D. 1205. Inſtrum. num. XX.

Digitized by Google

gaverat ei *turrem dicti Monaſterii, que vocatur Sancta Eufumia &c.* (21).

Quis autem Abbas Monaſterii fuerit, neque hoc anno video, neque aliis, qui ſequuntur, uſque ad 1217. quo Litterae (22) Honorii III. Pontificis Maximi *Angelum Abbatem* indicant; illum inquam Angelum, cujus ea fuit felicitas, ut ſuae gubernationis tempore & Sanctorum BONIFACII & ALEXII Corpora mirum in modum inventa ſunt, & ſolemnis Templi Conſecratio peracta eſt: quibus de rebus agemus Cap. XII. & XIII. De hoc eodem Angelo jam defuncto mentionem fieri video in Actis Anni 1246. quibus Laurentius Abbas S. ALEXII praedium locans ſeu terram in agro Albano ad *rivum ſiccum*, inquit: *quam terram Angelus Abbas dicti Monaſterii, predeceſſor noſter, unacum Monachis dicti Monaſterii, locaverunt Silveſtro Palatii &c.* (23).

Poſtremus Abbatum Benedictinae Familiae, antequam hujus Coenobii procuratio ad Praemonſtratenſes Canonicos deferretur, fuit quidam *Nicolaus* nomine, qui (24) *Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimoquarto, anno vero nono Pontificatus Dñi Honorii III. Pape, Indictione XIII. menſis Septembris die vigeſimatertia*, Petro Frajapano (25), Nobi-

(21) De turri S. Euphemiae in agro Albano paſſim fit mentio in antiquis chartis. Honorius Papa III. inter alia bona Alexiani Coenobii recenſet *Eccleſiam S. Euphemiae cum turre, domibus, hortis, vineis &c.* Vide inferius adnotata ad hunc locum Bullae Honorii III. Cap. XV. not. (18).

(22) Litteras Honorii Papae III. vide infra Cap. XV.

(23) Inſtrum. vide in Append. ad A. D. 1246. num. XXIX.

(24) Inſtrum. vide in Append. ad A. D. 1224. num. XXIII.

(25) Petrus, de quo hic agitur, natus ex Emanuele Frajapano, & NN. de Comitibus filia Pauli nepotis Innocentii Papae III. ut refert Felix Contelorius in Genealogia Comitum Ro-

Digitized by Google

biliſſimo Viro, tradidit pro octingentis & quinquaginta libris *bonorum provißinorum* caſtrum Verpoſae, ampliſſimum ſcilicet latifundium in agro Ardeate veteris Latii, quod *Bonriposo* vocant; quodque ad Excellentiſſimam nunc Gentem Sfortiam de Caeſarinis ſpectat: de quo quidem caſtro frequens mentio fit & in Actis temporum conſequentium; ex quibus apparet, caſtrum illud multarum fuiſſe diſſentionum & litium ſemen. *NOS QUIDEM DOMPNUS NICOLAUS, DEI GRATIA RELIGIOSUS ABBAS VENERABILIS MONASTERII SANCTORUM CHRISTI BONIFATII MARTIRIS ET ALEXII CONFESSORIS . . . tradimus & concedimus tenutam, & poſſeſſionem deliberamus tibi vero Petro Frajapano, quondam Dñi Manuelis Frajapani filio, Nobiliſſimo* (26) *Viro, tuiſque heredibus &*

Romanorum num. 5. edit. Rom. 1650. nepos erat Oddonis Frajapani, qui uxorem duxerat Annam Comnenam, filiam Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, ut narratur in Chronico Ceccanenſi Foſſae Novae, quod legeſis cum apud Ughell. tom.1. Ital. Sacr. part.2. col.449. edit. Rom. 1644. & tom. x. edit. Venet. 1722. in Anecdotis Ughellianis, tum apud Ludovicum Murat. Rer. Ital. Script. tom. 7. pag. 874. Idem Petrus Dominus erat & Comes civitatis Terracinae, ut pluribus monumentis oſtenditur in Hiſtoria Terracinenſi, Auctore Dominico Antonio Contatore lib.1.cap.6. & l.2. cap.3. ubi referuntur Litterae Honorii Papae III. datae Reate VI Kal. Octobris, Pontificatus anno III. quae incipiunt: *Quum inter dilectos filios, Nobiles Viros, Oddonem Frajapanum ex parte una, & Petrum Frajapanum & fratres ſuos ex altera &c.* Fuit Romanorum Conſul, & maxima pollens in Urbe potentia, ut ex Chronico Richardi de S. Germano apud Ughellium Ital. Sacr. tom.10. & Murat. Rer. Italic. tom. 7. pag.1037. ubi ad A. D. 1236. legitur: *Hoc anno Petrus Frajapane in urbe Roma pro parte Imperatoris guerram movet contra Papam & Senatorem; & ſeditio facta eſt multa in populo &c.* Alia plura de Petro vide in Chronico Abbatis Uſpergenſis ad A. D. 1237. pag. 325. edit. Baſileae 1569. Vide Scriptorem Anonymum Vitae Gregorii Papae IX. apud Murat. Rer. Ital. tom.3. pag.586. & Raynaldum in Annal. Eccl. ad A.D. 1239. num. 29. &c.

(26) Quae A.D. 1224. Nobiliſſima vocabatur Frangipana Familia, a Gen-

Digitized by Google

*& ſucceſſoribus, in perpetuum, ideſt totum & integrum unum caſtrum, quod dicitur Veperoſa* (27), *intus cum caſis & caſali, vel placzis, bandis, & cum hominibus ejuſdem caſtri habitatoribus . . . . . . cum terris ſementariciis cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis . . . . arboribus . . . . paludibus & pantanis; aquis aquarum ac decurſibus, rivis, ſontibus . . . . cum arenariis & edificiis ſuis . . . . cum occupationibus & venationibus ſuis . . . . . . . . . pro eo quod . . . recipimus a te octocentum libras, & quinquaginta libras bonorum proviſinorum* (28) *Senatus &c.* Haec

Gente Anicia originem ducit, ut compluribus monumentis oſtendit Celeberrimus Panvinius in laudato Ms. codice de Gente Fregepania, lib. 3. cap. 1. utque monuit Fontejus: *Quis enim neget, Frangipanes ab Aniciis populi rumore perpetuo deductos?* Vide Joan. Bapt. Fonteji Primionis Praefat. de priſca Caeſiorum Gente. Cujus nobilitatem remotiora ſaecula ſuſpexerunt, adhuc aetas noſtra incolumem ſervat in Ampliſſimo Viro Marchione Pompejo Frangipano, Marii cl. mem. Romanorum Senatoris germano fratre, illiuſque filiis, Petro ſpectatiſſimo Urbis Praeſule, & Antigono: in quibus omnibus probitas, humanitas, amor litterarum, aliaeque virtutes de primatu certant, ac honorem vetuſti & celeberrimi nominis ſplendidiſſime ſervant. Vide Murat. Antiqu. medii aevi tom. 3. col. 793. Marangoni Diſſertaz. dell' Anfiteatro Flavio pag. 49. Rom. 1746.

(27) De Verpoſa vid. inf. Cap. XV. in not. ad Bull. Honorii III. not. (22).

(28) De proviſinis Senatus Muratorius prae aliis haec habet: *Equidem ſaepe vidi in contractibus Romae ſcriptis ſaeculo XII. & ſaepius ſaeculo XIII. in publico uſu ibidem fuiſſe libras proviſinorum Senatus, hoc eſt, libras ex denariis ſeu ſolidis Romae percuſſis, quarum, ut puto, aeſtimationem Senatus Romanus decreto ſuo firmarat.* Tom. 2. Antiquit. Ital. medii aevi Diſſert. 28. pag. 808. Janningus in notis ad Petri Manlii Hiſtoriam Baſilicae Vaticanae tom. 7. Act. SS. Junii Bolland. pag. 38. not. (K), proviſinos a proviſionibus ſeu redditibus eccleſiarum aut altarium, quibus Eccleſiaſtici inſerviebant, & pro ſuo quiſque opere ſtipendium accipiebat, nomen derivaſſe opinatur. Cangius in Gloſſario hoc monetae genus ad denarios Provinſienſes revocat, qui in oppido Pruvinenſi, *Pruvins*, non longe a Pariſiis a Comitibus Campaniae Gallicae cudebantur. Hanc ſententiam (quam nuperrime tuetur Joan. Joſeph Liruti in Diſſertatione, cujus titulus: *Della moneta propria e foraſtiera &c.*) minime

Haec ea ſunt, quae de prioribus Alexiani Coenobii Abbatibus ex pervetuſtis Archivi chartis, non ſine multo moleſtoque labore, elicere potui ad Annum usque 1231. quo per Gregorium IX. Romanum Pontificem Templi Coenobiique adminiſtrationem a Benedictinis ad Praemonſtratenſes Canonicos tranſlatam eſſe cognovi: de quibus Canonicis non ante agam, quam de memoranda Corporum Beatorum BONIFACII & ALEXII inventione A. D. 1217. deque Templi Conſecratione tunc peracta ſermonem inſtituero. Quanquam enim eodem in Templo eadem Corpora antiquitus conſepulta fuiſſe ſuperius explicavimus (29); tamen quo Templi loco eſſent, quum poſtea ignoraretur; qua ratione inventa ſint temporibus jam memorati Angeli Abbatis, atque oculis & venerationi hominum propoſita, nunc brevi exponendum eſt.

nime probant Janningus & Muratorius, quibus mirum videtur, Romanos ab humili oppido Pruvinenſi appellationem monetae fuiſſe mutuatos. Utcunque ſit, libram *provenienſium ſeu pruvinenſium* a libra *proviſinorum Senatus* ſecernit Grimaldus antedictus not. (12): prioris valorem taxat ad ſcuta duo & obolos (*bajocchi*) quinquaginta; poſterioris obolis quindecim reſpondere autumat. Vide Murat. ibidem pag. 780. & Cennium in notis ad Bullar. Vatican. pag. 144. not. (e), & pag. 157. not. (a). Igitur juxta Grimaldi exiſtimationem, ſubducto calculo, 850. librae proviſinorum Senatus, quas Alexianis Monachis rependit Petrus Frajapanus pro latifundiis Verpoſae, ſunt ſcuta argentea Romana 127. 50.

(29) Cap II. & III.

CA-

# CAPUT XII.

## *Corpora SS. BONIFACII & ALEXII, Honorio III. Pontifice mire adinventa A. D.* 1217.

QUum ea vetus opinio eſſet, atque a remotis uſque ducta temporibus, pretioſum theſaurum Sacrorum Corporum Beati BONIFACII Martyris & Divi ALEXII Confeſſoris noſtro in Templo eſſe reconditum; forte contigit, ut A. D. 1217. *in baſilica Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ante januam aeneam, qua itur in Sanctam Petronillam*, imago quaedam appareret exſculpta lapide, quae quibusdam veriſſima B. ALEXII effigies videbatur. Hinc, ut homines plerunque ita ſunt comparati, ut, quo plus res admirationis habent, aliquid addant de ſuo, ita Vaticanae baſilicae Canonici, hoc quoque palam dicere ac diſſeminare coeperunt, Sacras Divi ALEXII Exuvias non in Templo noſtro, ſed in ſuo abſconditas quieſcere: hoc ab antiquioribus Canonicis accepiſſe; neque inveriſimile videri, Sanctiſſimum Romani hominis Pignus non alio in loco, quam in principe Romanorum templo humatum fuiſſe; demum id ſatis ex ea effigie, quae quaſi divinitus apparuiſſet, cognoſci poſſe. Haec falſa (1) opinio quum propter improbos Canonicorum rumores manaret latius, dici non poteſt, quantum doloris attulerit Abbati & Monachis Coe-

C c nobii

(1) Opinio D. ALEXII tumulo traditi in templo S. Petri Apoſtoli videbatur etiam innixa auctoritati Synaxarii Baſiliani, de quo ſupra diximus Cap. III. pag. 28.

nobii noſtri; quorum unus praeſertim, qui *Actionarius* dicebatur, eratque erga Beati ALEXII memoriam maxime pius, tanto in luctu ac triſtitia jacebat, ut, ne illud malum audiret, alio commigrare cogitaret. Quid enim hic morer? (tacitus ipſe ſecum). Quid rationes, quid dignitatem hujus Templi tanto labore meo augere ſtudeam, ſi mei ALEXII Corpus non in hoc Templo jacet? Mi ALEXI, mi ALEXI, cur tandiu deliteſcis? Cur nos in luctu contabeſcere, alios in mendacio triumphare ſinis? Haec illum animo volventem, maximaque perturbatione abjectum ſomnus occupat; atque ut dormientibus nobis ſpecies earum rerum objiciuntur, de quibus vigilantes diu multumque cogitavimus, ita Monachus quidem aut vidit (cur enim id Omnipotentis Dei numine fieri non potuit?), aut ALEXIUM ſibi videre viſus eſt, quaſi clariſſima in luce refulgentem, qui bono animo eſſe jubet, eidemque commonſtrat locum, ubi ſuum Corpus deliteſceret. Vix ſomno excitatus, ad Abbatem laetus advolat: rem narrat: monet, ut in crypta ſubtus aram Templi maximam, ſuffoſſa humo, Cadaver Sanctiſſimi Viri conquiratur; nam quod illic lateret, ſeſe admonitum divinitus teſtabatur. At ille negare primo fidem ſomniis habendam; neque eſſe, cur effodienda humo ſuo maximo cum damno, fortaſſe aliorum ludibrio exponerentur. At Monachus inſtare, & rem vehementius urgere: ſi Divi ALEXII Corpus vere in Templo conſepultum ſit, veroſimillimum eſſe, quod prope aram maximam deliteſceret. Victus igitur tot precibus Abbas, morem homini gerere conſtituit; ac noctu quidem, ne, ſi res male cecidiſſet, irride-

ſiderentur, accedunt ad locum, quem a Divo ALEXIO ſibi commonſtratum Monachus affirmabat: humum ſuffodiunt; & poſt non multum ſane temporis quaſi antrum quoddam offendunt, ibique Corpora Beatorum BONIFACII & ALEXII inveniunt; ſub capite autem Divi ALEXII tabula erat argentea, Latinis litteris ſic conſcripta: *Ego Leo Abbas, tempore Gregorii Papae V. & Ottonis Imperatoris, mutavi in loco iſto Corpus Beati ALEXII Confeſſoris de capſa argentea & aurea, ubi collocatum fuerat; & quia tunc locus iſte pauper erat, dedimus illud in agros, villas, & alias poſſeſſiones, Anno Incarnationis DCCCCXCIX. Indittione XII.* Quis Monachorum, & illius praeſertim, qui totius rei auctor habebatur, gaudium, laetitiam, triumphum verbis aſſequi poſſit? Vix dies lucebat, quum aera pulſare, cives advocare, praeſertim vero immortales Deo gratias agere, ejuſdemque miſericordiam magnopere collaudare, quod ſeſe afflictos evexerit, perditos recreaverit, ac tam excellenti bono locupletaverit. Mox Pontificem Maximum Honorium III. conveniunt: rem, uti geſta eſt, diligenter enarrant; ac ab eo enixe rogant, ut ipſe ad Templum accedere, ac theſaurum recognoſcere, & quo plus res habeat auctoritatis, Templum dedicare & conſecrare velit. His auditis, Sanctiſſimus Pontifex Monachorum preces recepit; & ſeſe, quae vellent, omnia libenter facturum ſpopondit. Tum vero ad noſtrum Templum maximi concurſus fieri: nec Romani modo, ſed advenae rei nuntio commoti locum viſere: Sanctorum Corpora pie caſteque venerari. Diſrumpebantur interea Canonici, qui, ut obſtinatiores ſolent, haec eſſe

 deli-

Digitized by Google

delirantium ſomnia clamitabant. Ergo Pontificem adeunt; & ſeſe tantam Monachorum injuriam ferre non poſſe contendunt: ſatis ſuperque conſtare, B. ALEXII Corpus in ſuo, non in eorum Templo eſſe reconditum: ſe diligenter inquiſituros, atque effecturos, ut homines poeniteat impudentiae ſuae. Rem cognoſcit aequiſſimus Pontifex; ac Canonicos, qua lubet, tellurem effodere jubet. Sed ne ludificatione aliqua aut calumnia veritas impediatur, dat negotium *Tulio* cuidam Subdiacono, & *Capellano* ſuo, Tullii Judicis ſpectatiſſimi filio, nec non *Thomaſo* (hoc enim Monacho illi, modo quem diximus, nomen erat), ut, quo tempore ſuffoſſio fit, adſint ipſi, videant, ac rem totam diligenter animadvertant. Dies noctesque hac illac in baſilica humus ſuffoditur, quum adeſſent & Pontificis *Capellanus*, & Monachus praeſertim; cui ſaepe Clerici minitabundi maledicebant: *ecce ſomniator: venite, occidamus eum*. Sed tanto labore ac tempore nihil tamen Canonici proficiunt; nihil inveniunt. Quare ſapientiſſimus Pontifex ratus haud diutius ſuperſedendum, quin ſuum locum veritas obtineret, cauſſam Monachis adjudicat: Canonicos, ut ſileant, monet; ac diem conſtituit, qua ipſe ad Templum noſtrum rite conſecrandum adveniet: de qua Conſecratione non dicam, antequam fontem ipſum commonſtravero, unde hauſi ea omnia, quae hactenus accurate enarravi. Fons autem eſt una ex pervetuſtis membranis, quae in Tabulario noſtro asſervantur; & eam ſane habere debet auctoritatem & fidem, quae ſi archivis denegetur, de pleriſque omnibus venerandae antiquitatis monumentis actum foret.

Digitized by Google

foret. En igitur chartam, quam nunc primum in lucem prodeuntem cujuſque judicio ſubmittimus.

*Permiſſione Divina*

*Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFACII Martyris & ALEXII Confeſſoris, quod eſt in Aventino, Presbyter & Abbas, univerſis Chriſtifidelibus in praeſenti feliciter vivere, & in futuro cum Angelorum Rege manere.*

*GLoria, & laus, & virtus ſit Omnipotenti per immenſa ſecula, cui cuncta patent arcana, & cujus majeſtati nihil eſt occultum, & gubernans omnia in omnibus; quia praetioſum theſaurum hujus noſtri Monaſterii & Eccleſiae conſolator Deus, videlicet Sanctiſſimum Corpus Beati ALEXII Confeſſoris, diſpenſatione mirabili, diebus noſtris revelare dignatus eſt: cujus revelationis fuit cauſa haec:*

*Cum in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ante januam aeneam, quando itur per praefatam Baſilicam in Sanctam Petronillam, eſſet quaedam effigies admodum ſcarpſilidis, ſculpta ſcilicet petra; quidam judicantes aſſerebant, illam eſſe ſcarpſilidem Beati ALEXII. Qua de cauſa Canonici dictae Baſilicae affirmabant, ibi Corpus Beati ALEXII quieſcere; & avidi de praetioſo theſauro, talem per Urbem divulgaverunt rumorem; qui rumor ad nos uſque pervenit. Quo audito, nimio dolore & terrore tam ego quam Monachi ſumus ſtupefacti, & immenſa triſtitia perturbati. Sed Deus Omnipotens margaritam praetioſam, & ſtellam in*

coelo

*coelo ſulgentem noluit confuſcare falſitatis rubigine; cum ſit in coelo teſtis fidelis; qui etiam, vivente Beato ALEXIO, cum Laodiciam propter amorem Chriſti exul perexiſſet, in Edeſſa civitate ante iconiam Virginis Mariae, quam nos habere credimus, per divinum eloquium hominem Dei revelavit; & cum de hoc ſeculo in domo patris ſui, tamquam peregrinus, Vir Dei debitum carnis exolvit, Creator omnium multa per eum miracula, & adhuc cum ſibi placet, demonſtrare non ceſſat. Taliter nobis praedictum Sanctiſſimum Corpus oſtenditur:*

*Dum quidam Monachus, vir providus, & religioſus Praesbyter, nomine Thomaſo, eſſet Actionarius, quadam die multo labore pro negotiis Monaſterii faticatus animadvertit in corde ſuo, infra ſe dicens: dubium eſt, utrum Corpus Sancti ALEXII in iſto conſiſtat Monaſterio. Quare hic in tanta ſecularium negociorum peſte permaneo, ſi Corpus Beati ALEXII in iſto non exiſtit Monaſterio? Cur moenibus ſervio? Diſcedam hinc, & quietus alibi commorabor. Nocte quidem veniente, dum more humani corporis dictus Monacus recrearetur ſopore, per miſericordiam Dei, qui poſt laborem infundit requiem, poſt triſtitiam gaudium, poſt tempeſtatem tranquillitatem, poſt dolorem conſolationem, ecce apparuit ei Beatiſſimus Confeſſor Chriſti ALEXIUS dicens: fili mi, ne timeas, quia hic ſum: eſto fidelis & diligens in negociis Monaſterii, & noli dimittere: ſcias pro certo, quod Corpus meum ſub majori altari hujus Monaſterii in crypta requieſcit. Ipſe autem Monacus gaudens, mihi, Monachiſque, & pluribus aliis retulit. Quibus auditis, licet quodammodo ſpiritus noſter impelleretur, non tamen pro dicto Corpore auſi eramus requirere. Sed predictus Monacus*

Digitized by Google

cus de ſui Patroni fretus viſione, nos audacter hortabatur aſſidue, ut pro tam praetioſo theſauro diligenter inquireremus: cujus tandem poſtulationibus ego cum coeteris Fratribus acquievi; & de communi conſilio decrevimus diligenter inquirere. Et ſic

In nomine Domini, Anno Dominicae Incarnationis milleſimo ducenteſimo decimoſeptimo, anno primo Pontificatus Dñi Honorii Papae III. Indictione quinta, menſe quinto, in nocturno ſilentio ad locum, quem Sanctus ALEXIVS denudaverat, acceſſimus; & fodientes terram, quoddam fumaentum, ſub quo formoſum antrum invenimus; & ibi Deo adjuvante invenimus Corpus B. BONIFACII Martyris, & Corpus Beati ALEXII Confeſſoris, cum duobus titulis, videlicet ſub Capite Beati ALEXII invenimus tabulam argenteam, ſcriptam Latinis literis repletis de nigro, cujus longitudo eſt circa unum palmum, & latitudo ultra unam plantam, titulus talis eſt: Ego Leo Abbas, tempore Gregorii Papae V. & Octonis Imperatoris, mutavi in loco iſto Corpus Beati ALEXII Confeſſoris de capſa argentea & aurea, ubi collocatum fuerat; & quia tunc locus iſte pauper erat, dedimus illud in agros, villas, & alias poſſeſſiones, Anno Incarnationis DCCCCXCIX. Ind. XII. & ad pedes Beati ALEXII invenimus tabulam marmoream, Latinis apicibus ſculptam, continentem eumdem titulum per omnia. His autem omnibus repertis, laudes & gratias cum exultationis jubilo Deo peregimus, qui tantis Monaſterium dotavit patrociniis. Et receptis titulis, Dño Honorio Summo Pontifici, & Univerſali Papae, ipſos reſignavimus, & quae geſta erant, fideliter enarravimus, ſupplicantes, ut noſtram Eccleſiam in honorem praefatorum Sanctorum honorifice dedicaret,

& eo-

Digitized by Google

*& eorum Corpora Sacra ſolemniter conſecraret. Ipſe autem piiſſimus Pater juſtis petitionibus obtemperans, pollicitus eſt, haec ſe facturum; & ſic more ſolito vexillum ſuper nolanum impoſuimus. Quo peracto, frequens populorum concurſus advenit ad contemplandum Glorioſa Corpora; & oculata fide Sancta reſpicientes, patrocinia Fideles petunt: Criſticolae laudes porrigunt, dicunt ſinguli, & laudes referunt Chriſto de inventione Sanctorum Corporum; & veritatis denudatione.*

*Quod cum Canonicis S. Petri nunciatum eſſet, Corpora videlicet SS. BONIFACII Martyris & ALEXII Confeſſoris reperta in noſtro Monaſterio, quod Dominus Papa Eccleſiam noſtram in honorem Sancti ALEXII diſpoſuerit conſecrare, & ejus Corpus in altari ſolemniter recondere; ipſi Canonici increduli ad D. Honorium Summum Pontificem accedunt, inhibentes Conſecrationem, & affirmantes, ſe Corpus Sancti ALEXII habere, & in Baſilica Principis Apoſtolorum illud quieſcere. Ad haec Summus Pontifex Papa Honorius III. Paſtor diſcretiſſimus & veritatis amator, ad confutandam omnem ambiguitatem, & contrariorum locorum diſſolutionem, precepit dictis Canonicis, ut pro Corpore S. ALEXII diligentiſſime inquirerent. Sed ne ab eis ullo modo ludificari poſſet, vel ſufiſtica demonſtratione deludi, precepit cuidam ſuo Subdiacono & Capellano, viro ſiquidem provido & circumſpecto, nomine Tulio, filio quondam probi viri Tulii Judicis, & praedicto Thomaſo Monacho, qui viſionem viderat, ut ſine intermiſſione, dum perquireretur, inquiſitioni ſemper aſſiſterent. Qui Canonici deaptantes pavimentum Baſilicae in loco, ubi dicebatur ab eis Corpus manere, & diu requirentes, non invenerunt. Sed adhuc perdurantes*

*in*

Digitized by Google

*in opinione, a muro Baſilicae Beati Petri, in quo eſt imago vitreo opere depicta, & a janua aenea ante Sanctam Petronillam uſque ad locum, ubi Cathedra Beati Petri reponitur, funditus uſque ad infima effoderunt, devaſtantes quicquid illic aedificii invenerunt: ſed Corpus B. ALEXII nullatenus invenire valuere. Et cum praefatus Monacus Thomaſius illic die noctuque ſine intermiſſione moraretur, quidam inſultantes adverſus eum dicebant: ecce ſomniator: venite, occidamus eum. Et ſic in tali vecordia nimio veritatis examine quamplurimis diebus conſumatis, & Corpore Beati ALEXII ab eis non invento, quia ibi non erat, cognita veritate, Dñus Papa detrahentium linguas deſpexit, & ad primum propoſitum rediit.*

Haec ea ſunt, quae de loco, tempore, & modo, quibus inventa fuerunt Sacra Corpora BB. BONIFACII & ALEXII, ex vetuſtis Archivi noſtri membranis eruere potuimus. Qua de re Baronium meminiſſe, teſtatur Odoricus Raynaldus in Annalium continuatione, ad Annum 1217. §. 50. ubi inquit: *Hoc anno* (*ut in notis, quae apud nos exſtant, ſcripſit Cardinalis Baronius*) *reperta ſunt Corpora SS. ALEXII & BONIFACII in eorum Eccleſia Romae in monte Aventino; ſervaturque in illius Eccleſiae Archivo recenſita hiſtoria*. Hunc Raynaldi textum, quem nos ſane legimus, ſe minime invenire potuiſſe fatentur Bollandiani (2), qui ceteroquin codicem laudant Romanae domus, ut vocant, *Profeſſorum* Societ. Jeſu, Acta S. ALEXII continentem; ex quo Petrus Benedetti ſequentia deſcripſit:
„ Idem poſtea Corpus S. ALEXII Confeſſoris ab
„ Honorio III. ſui Pontificatus anno primo, ſimul



(2) Bolland. Acta SS. die 17. Julii ad Vitam S. ALEXII §. 3. num 21.

Digitized by Google

„ cum Corpore . . . . S. BONIFACII ſub ara maxi-
„ ma ejuſdem Templi S. BONIFACII collocatum
„ eſt (3) . Poſtremo Clementis VIII. Pont. Max. juſſu,
„ Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Octavius Paravici-
„ nus, Cardinalis S. ALEXII, ſub eodem altari magni-
„ ficentius exſtructo ſolemni ritu poſuit Anno a Chriſto
„ nato 1595. die 16. menſis Julii (4) . . . atque inde
„ data ei poteſtate ab eodem S. P. N. Clemente
„ nonnihil Reliquiarum eximendi, particulas quoque
„ nonnullas Collegio Romano Soc. Jeſu donavit,
„ hoc eſt, ex Oſſe S. BONIFACII Martyris, ex
„ S. ALEXIO vero Dentem atque Os eodem an. 1595.
„ die 10. Septembris, ut apparet ex Inſtrumento do-
„ nationis ejuſdem Illuſtriſſimi Cardinalis, quod as-
„ ſervatur in eodem Collegio &c. „ . Sed de Reliquiis
poſtmodum; nunc quid de ejuſdem Templi Conſecra-
tione, tum facta ab Honorio III. Pontifice Maximo,
in Tabularii noſtri chartis contineatur, paucis ape-
riendum.

(3) Vide Bolland. ibidem.

(4) Vide Arringhium tom. 2. Romae ſubter. pag. 18. n. 7. & Pancirolium regione 9. eccl. 8. pag. 647.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT XIII.

## *Templi Dedicatio ab eodem Honorio III. perfecta.*

FElix illa ſaneque admiranda inventio Corporum SS. BONIFACII & ALEXII, quae diu delituerant, quum praeter ſpem omnem Monachos a luctus acerbitate ad gaudium triumphumque traduxiſſet, eam illis praeterea mentem injecit, ut hac praeclara occaſione Templi noſtri religionem augerent, atque illud in eorumdem Sanctorum honorem rite conſecrandum curarent. Quae Conſecratio quo eſſet auguſtior, inventique theſauri famam latius diſſeminaret, Honorium III. Supremum Pontificem adeunt, vehementerque rogant, ut eam ipſe ſolemni more maximaque caeremonia perficiat. *Domino Honorio Summo Pontifici* (ſunt verba ex Actis ſuperius adductis) *quae geſta erant fideliter enarravimus, ſupplicantes, ut noſtram Eccleſiam in honorem praefatorum Sanctorum honorifice dedicaret, & eorum Corpora ſolemniter conſecraret.*

Non diu exorari paſſus eſt Pontifex Optimus; qui ſummopere laetatus, quod ſuum in tempus res illa memorabilis incurriſſet, diem conſtituit, qua die ad Templi Conſecrationem ſancte perficiendam accederet. *Ipſe autem piiſſimus Pater juſtis petitionibus obtemperans, pollicitus eſt, haec ſe facturum; & ſic more ſolito vexillum ſuper nolanum impoſuimus.* Hinc intelligimus, Monachos, accepto Pontificio Decreto maximopere laetos, ſuſtuliſſe vexillum *ſuper nolanum*, quaſi futurae Conſecrationis indicium; neque enim ex in-



Digitized by Google

quinata illis temporibus loquendi conſuetudine; id alia ratione interpretandum arbitror, quam in excelſa turri campanaria (nola quippe campanam (1) ſignificat) defixum fuiſſe ſignum aliquod, quo Fideles admonerentur Sanctiſſimae Caeremoniae, quae a Pontifice Maximo eo in Templo conficienda erat; & confecit ille quidem non ſine magno procerum comitatu, & non modo Romanorum civium, ſed advenarum frequentia. Nam quo Sanctorum gloria eſſet illuſtrior, tum forte *magni illi dies Cenae Domini & Paraſceve prope erant*; quibus maximi ad Urbem concurſus fieri ſolent. Solemnis autem hujuſce Conſecrationis explicationem ex Chartario noſtro hic ſubjicimus.

*Anno Dominicae Incarnationis MCCXVII. Indictione quinta, anno primo ſui Pontificatus, feria III.* (2) *poſt diem Dominicum Palmarum, D. Honorius PP. III.* (3) *cum Epiſcopis ſuis, & Cardinalibus Romanae Curiae, & cum Veneto* (4) *Archiepiſcopo, & multis aliis Epiſcopis & Praelatis, & cum innumerabili populorum multitudine diver-*

(1) Anſelmus Epiſc. Havelbergenſis lib. 3. Dialog. cap. 16. ait: *Signa Eccleſiae, quae in Campania apud Nolam civitatem primo inventa ſunt; unde nola campana vocatur*. Sic nolarium idem eſt, ac campanarium, ex charta Anni 894. apud Baluzium in Miſcellan. tom. 4. Vide du-Cange in Gloſs. & Macri Hierolexicon in voc. nola, nolarium &c.

(2) Honorius III. Pontifex Max. electus die 18. Julii A. D. 1216. Indictione IV. obiit A. D. 1227. XV. Kal. Aprilis.

(3) Feria III. ideſt die 21. Martii; nam eo anno 1217. Paſcha fuit die 26. Martii.

(4) Venetus Archiepiſcopus erat eo anno 1217. quidam Marcus Nicolai, de quo Ughellius ita ſcribit: *Marcus Nicolai Venetus, aliis Nicola, ex S. Silveſtri Plebano, & inculpatae vitae vir, in defuncti Philippi loco ſubſtituitur Anno 1184. cujus plura privilegia plumbo ſignata vidiſſe affirmat Dandulus . . . . Morbo gravatus Anno 1225. teſte Dandulo, mortalitatem explevit*. Vide Ughel. Ital. Sacr. tom. V. de Patriarch. Venet. §. XXVI. num. 23.

Digitized by Google

*verſarum gentium, qui ad Urbem propter ſolemnia Feſta convenerant, quoniam magni illi dies Cenae Domini & Paraſceve prope erant, ad Eccleſiam S. ALEXII in Aventino poſitam properavit; & omnibus, excellentiſſimi honoris magnitudine, juxta ritum & decretum Sanctae Romanae Eccleſiae ſolemniter peractis, dictam Eccleſiam in honorem D. N. Jeſu Chriſti, & Beatae Mariae ſemper Virginis, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & B. BONIFACII Martyris, & Beati ALEXII Confeſſoris, & omnium Sanctorum ipſe D. Honorius Papa III. dedicavit & benedixit, fundens devotiſſime preces ad Dominum, ut quiſquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe laetetur; Indulgentia etiam remiſſionem peccatorum poenitentibus, per totum praeſentem annum ad dictum Sanctum Templum venientibus, unius anni & quadraginta dierum, deinceps vero in perpetuum per ſingulos annos in die Conſecrationis, XL. dierum indulſit.* Hactenus ex vetuſtiſſima Tabularii noſtri membrana, quam ante commemoravimus, & nunc primum publicam in lucem proferimus. Sed de ejuſdem Baſilicae Conſecratione ipſum Honorium audire praeſtat, ad Angelum Abbatem & Monachos Coenobii SS. BONIFACII & ALEXII in haec verba ſcribentem:

*HONORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI*

„ Dilectis Filiis, Angelo Abbati & Conventui
„ Sanctorum BONIFACII & ALEXII de Urbe, ſa-
„ lutem & Apoſtolicam Benedictionem.

I*Neſtimabilis divine dignatio caritatis, que, ut ſervum redimeret, Filium tradidit, ſuper nos miſericordiam ſuam multiplicans, quamquam bonorum no-*

*ſtro-*

*ſtrorum non egeat, devotionis tamen noſtre requirit affectum, ad eandem nos provocans doctrina, beneficiis, & exemplis, ſiquo modo, quid remuneret in nos, valeat reperire, preveniente gratia nobis tribuens, quod coronet. Ecce ſiquidem frigeſcente caritate multorum, ut illam reaccenderet, & ad devotionem ſuam populum provocaret, diebus noſtris clementie ſue theſauros aperuit, Beatorum BONIFATII & ALEXII Corpora, que diu latuerant, revelando, ne hujuſmodi lucerna diutius láteret ſub modio, ſet ſuper candelabrum poneretur, ut domum ingredientibus lumen prebeat interceſſionibus & exemplo. Inventis igitur in Monaſterio veſtro predictorum SS. Pignoribus, nos a vobis cum multa inſtantia ſupplicationis invitati, ad Monaſterium ipſum acceſſimus; & eadem Corpora cum honorabili cetu Epiſcoporum & Cardinalium, aſſiſtente Fidelium multitudine copioſa, ejuſdem Monaſterii recondimus in altari majori; ac Eccleſiam ipſumque altare tertia feria Majoris Ebdomade propriis manibus conſecravimus, in eorumdem Sanctorum memoriam & honorem.*

Haec Honorius de Conſecratione Baſilicae noſtrae, quam inſuper pluribus aliis ornavit beneficiis. Primo enim hoc ipſo ſanxit Diplomate, ut & hujuſce Conſecrationis anniverſarii dies ſolemni ritu agerentur, & Fidelibus illuc accedentibus, Apoſtolica, quam vocant, Indulgentia, peccatorum poenae relaxarentur. *Ut igitur ipſius Eccleſie ac altaris Conſecratio veneranda ſingulis annis devotius celebretur, univerſis, qui ad celebritatem in die Conſecrationis ipſius devote convenerint, de injunctis ſibi penitentiis pro peccatis, Indulgentiam quadraginta dierum concedimus, de Omni-*

po-

Digitized by Google

*potentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi.*

Praeterea ad Baſilicae cultum & decus augendum, bonorum omnium poſſeſſionem, amota qualibet controverſia, Monachis adjudicat; patrocinium Apoſtolicum indulget; & ſiqui Coenobio quicquam nocuerint, iis a praepotenti Deo male precatur.

*Et Monaſterium ipſum cum omnibus, que impreſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, ut ea ſemper ſine contradictione poſſideat, ſub ſpeciali cura & principali tutela Apoſtolice Sedis ſuſcipimus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtre conceſſionis & protectionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

*Datum Rome apud Sanctum Petrum IIII. Non. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.*

Sic explicit celebris haec Honorii Bulla, cujus autographum, indubiae quidem fidei characteres omnes praeſeferens, etiamnum Alexiano in Tabulario a nobis religioſiſſime aſſervatur. Sed cetera ad altarium Conſecrationem ſpectantia perſequamur.

# CAPUT XIV.

## *Altarium Conſecratio, & Sacrarum repoſitio Reliquiarum.*

QUod eſt in Eccleſiae more poſitum inſtitutoque majorum, ut altaria quaeque, ubi auguſtiſſimum atque immortale Sacrificium ad homines Deo conciliandos fit, ſolemni certoque ritu conſecrentur, id quoque religioſe diligenterque praeſtitit Honorius Pontifex, de Templo noſtro ſiquis alius optime meritus. Aram enim maximam rite ipſe conſecravit; in eaque Sanctiſſima Beatorum BONIFACII & ALEXII Corpora, quae mire inventa fuiſſe diximus, pie ſancteque collocavit. Sed antea Caput S. BONIFACII, atque S. ALEXII non Caput modo, ſed & Brachium religioſiſſime decerpſit, ac reſervavit: quod quidem utrumque Caput argentea theca, ad ſpeciem humani capitis efficta, Chriſtianis etiamnum publice proponitur ad venerandum. Brachium vero S. ALEXII dono datum fuit eccleſiae Beati Nicolai de Carcere Tulliano a Guidone (1) de Perleonibus ejuſdem Diacono Cardinali, qui Pontificem fuerat in ea ſolemnitate comitatus. Minores autem aras eodem tempore, uti fieri ſolet, dedicavit (2) Nicolaus

S.R.E.

(1) Guido Romanus ex illuſtri Familia de Perleonibus, primum ab Innocentio III. Rom. Pont. Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, deinde ab Honorio III. Epiſcopus Praeneſtinus electus fuit; a quo Legatus in Galliam Ciſalpinam miſſus eſt. Obiit VII. Kal. Maji A. D. 1228. Vide Oldoinum in notis ad Ciaccon. in Vita Innocentii Papae III. numero IX.

(2) Nicolaus de Romanis Romae natus, Innocentii Papae III. a Sacrificiis, Cardinalis Tuſculanus, & Apoſtolicae Sedis in Angliam Legatus &c. obiit anno tertio Pontificatus Honorii Papae III. ideſt A. D. 1219. Vide Oldoinum ibidem num. VII.

Digitized by Google

S. R. E. Cardinalis Tuſculanus Epiſcopus, vir propter vitae ſanctitatem magnopere venerandus, uti teſtatur Angelus Abbas, qui rem ſuo tempore geſtam accurate narrat. *Acceſſit etiam dictus Dominus Papa ad majus altare dictae Eccleſiae; & pretioſiſſima Corpora Sanctorum BONIFACII Martyris & ALEXII Confeſſoris illuc condidit, & conſecravit cum gloria, reſervata de illis quadam particula de Corpore, reſervato Capite B. BONIFACII, & reſervatis Capite & Brachio S. ALEXII; quod Brachium Dñus Nicolaus, vir vitae venerabilis, Tuſculanus Epiſcopus, & Dñus Guido Petrileonis, Sancti Nicolai de Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, de manu Summi Pontificis cum magna devotione receperunt; cujus Brachii majorem partem D. Guido ſupradictus reſervavit, & Eccleſiae Beati Nicolai de Carcere Tulliano donavit; quod Brachium Clerici S. Nicolai cum immenſa laetitia & jubilo laudis recipientes, in pulcherrimam capſam eburneam immiſerunt, & honorifice in arca ſub altari S. Nicolai cum aliquantulo de Reliquiis Sancti BONIFACII depoſuerunt, ferreis cancellis & januis propriis peſſulo vecte ferreo clauſa.*

Quod ſpectat ad alia Divorum Lipſana, quibus (juxta veterem & apud Eccleſiae Patres (3) longe commendatiſſimam ſacras aedes Sanctorum Reliquiis ornandi conſuetudinem) Templum & altaria noſtra Pontificis largitate locupletata ſunt, eorum deſcriptionem haud quaquam ſilentio praeterivit idem Angelus Abbas, cujus haec ſunt verba: *conſecravit, & etiam recondidit dictus Dñus Papa in altari Sancti ALEXII de Ligno Crucis Domini, Brachium Sancti*

E e *Ana-*

(3) Vide D. Auguſt. in Commentario ad Pſalm. 126.

*Anaſtaſii Martyris, Caput Sancti Hermetis, de Reliquiis Sanctorum Quadraginta Martyrum, de Reliquiis Sancti Hippoliti Martyris & Sanctorum Quatuor Coronatorum, de Reliquiis S. Eutitii Martyris, de Reliquiis Sanctae Sabinae & Sanctae Priſcae; & repoſuit ibi titulum, quem invenimus ſub Capite Beati ALEXII, ſcriptum in jam dicta tabula argentea, & titulum ſuae Conſecrationis in plumbo ſcriptum; & deſuper poſuit lapidem, & Sanctum Chriſma. Quibus omnibus mirabiliter expletis, ſuper illud divina celebravit miſteria.*

Haec de Sanctorum Reliquiis ſub ara maxima ab ipſo Honorio Pontifice repoſitis; de aliis vero, ſub altari B. M. Virginis a Nicolao S. R. E. Cardinali Tuſculano reconditis, ita enarrare pergit Angelus Abbas: *Praeterea de mandato Dñi Papae praedictus Dominus Nicolaus, Tuſculanus Epiſcopus, in eadem Eccleſia in angulo verſus eccleſiam S. Sabinae, in honorem Virginis Mariae aliud conſecravit altare; in quo condidit has Sanctas Reliquias, videlicet de Reliquiis Sancti Jacobi Apoſtoli, Beati Lucae Euangeliſtae, de Reliquiis Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Sancti Stephani Prothomartyris, Sanctorum Coſmae & Damiani, Sancti Martini, Sanctae Juſtinae Virginis; & poſuit in dicto altari de Faſcia Domini Noſtri Jeſu Chriſti & Tunica Inconſutili, de Indumentis Chriſti, de Pannis Beatae Mariae ſemper Virginis & Lecto ejus, cum gratiarum actionibus Omnipotenti Deo per immenſa ſecula.*

Exſtat quoque monumentum marmore ſculptum; quod Honorio III. Pontifice ad aram ipſam S. ALEXII poſitum, nunc parieti novi Templi affixum in fronte abſi-

Digitized by Google

abſidis legitur, antiquis exaratum characteribus, quos hic in ahenea Tabula exhibemus.




Eandem ferme Sanctorum Reliquiarum deſcriptionem animadverti in pervetuſto membraneo codice, qui *Lectionarium* dicebatur, ad Alexianorum uſum Monachorum; ad cujus calcem ita adnotatum legi: *Hec ſunt nomina Reliquiarum, que in altaribus Beati ALEXII & B. Marie conſecrate ab Honorio Papa. In primo Corpus B. ALEXII Confeſſoris, filii quondam Eſumiani, Corpus B. BONIFATII Martiris, de Ligno Crucis Domini, de Faſcia Jeſu Chriſti, de Purpureo Veſtimento, de Tunica Inconſutili, de Veſtibus Chriſti, de Pannis B. Marie, de Lecto ejus, de Reliquiis B. Jacobi Apoſtoli, de Reliquiis B. Luce Euangeliſte, de Reliquiis Apoſtolorum Petri & Pauli, Brachium S. Anaſtaſii Martiris, Sanctorum Coſme & Damiani, Caput S. Hermetis Martiris, de Reliquiis Sanctorum Qua-*

*draginta Martyrum, de Reliquiis S. Stephani Prothomartyris, de Reliquiis S. Martini et S. Yppoliti Martyris, Sanctorum IIII. Coronatorum maſſa Sanguinis, & Sanctae Barbarae Virginis, S. Euticii Martyris, & Sanctae Juſtinae Virginis, & Sanctae Sabinae Martyris, & Sanctae Priſcae Virginis, & aliorum Sanctorum &c.*

Anno autem 1218. quum hujuſce Templi anniverſaria Dedicatio recoleretur, Pelagius Albanenſis Antiſtes ſacellum Divo Thomae Cantuarienſi ſacrum, in ejuſdem Eccleſiae cryptis, quas vocant Confeſſionem (cujus ichnographiam exhibet Tabula VI.), ſolemni ritu conſecravit; ibique pariter Sanctorum condidit Reliquias, quae ſic deſcribuntur: *In revolutione autem anni, II. feria poſt Dominicam Palmarum Dñus Pelagius* (4) *Albanenſis Epiſcopus conſecravit altare in cripta, quod vulgo Confeſſionem dicimus, ſub majori altare, ad honorem S. Thomae Canturien. Epiſcopi & Martyris; in quo recondidit de Reliquiis S.Tho-*

(4) De Pelagio Albanenſi Epiſcopo Oldoinus in notis ad Ciacconium in Vita Innocentii Papae III. num. XVI. haec refert: „ Pelagius Calvani, na- „ tione Hiſpanus, profeſſione Mona- „ chus, ab Innocentio III. ex Canonico „ S. Petri primum Diaconus Cardi- „ nalis Sanctae Luciae in Septiſolio, „ poſtea Presbyter S. Caeciliae, & „ demum Epiſcopus non Hoſtienſis, „ ut ſcribit Bzovius, ſed Albanenſis „ creatus, illius inſignis expeditionis, „ qua Damiata expugnata eſt, Sedis „ Apoſtolicae Legatus ab Honorio III. „ factus ....... affuit expugnationi „ Damiatae, factae Nonis Novembris „ Anno noſtrae Salutis 1220. & quic- „ quid auri, argentique, aut pretioſi „ in urbe invenit, inter milites divi- „ ſit; & praecipuam ex meſchitis (*Meſchida ſeu meſquita templum Mahumetanorum, Turcis meſzit, ex GloſſarioDucangii*) ritu ſolemni in ba- „ ſilicam Deiparae Virginis conſecra- „ vit; urbemque Damiatae Johanni „ Hieroſolymorum Regi in prae- „ mium virtutis aſſignavit „. Vide Hiſt. S. Antonini tertia parte tit. 19. cap. 3. §. 3. „ Poſt praeclaros pro Ec- „ cleſia ſuſceptos labores, in monte „ Caſſino ſub Gregorio IX. exceſſit „ e vita V. Idus Maji An. 1240. & „ ſepultus in eodem Coenobio, ut „ Arnoldus Wion affirmat lib. 2. Ligni „ Vitae, ex antiquo quodam Kalen- „ dario manuſcripto &c. „.

Digitized by Google




*Ichnographia Sacelli ſubterranei, ſeu Confeſſionis Templi SS. Bonifacii, et Alexii Urbis in Aventino*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


E VIRGINIS IN PARIETE
SS BONIEACII MARTYRIS
E PRISCIS ECCLESIÆ
NEATA. In Roma. Anno. 1648.
Pag.221.

*S. Thomae Martyris, S. Sebaſtiani Martyris, SS. BONIFACII & ALEXII, Agapiti, Damaſi, Panucii, Hermetis, Nerei & Achilei, & SS. Sabinae, Barbarae, & Priſciae.*

Quoniam de antiquo Confeſſionis ſacello meminimus, non abs re erit, vetuſtiſſimam hic ſubjicere iconem B. M. Virginis infantem Jeſu gremio geſtantis, aſtantibus Divis BONIFACIO & ALEXIO; quae ſacra imago priſcis Eccleſiae temporibus ibidem in pariete delineata olim viſebatur, ſed nobis nunc tantum innotuit ex Tabula, quam aere inciſam A. D. 1648. hic apponimus numero VII. Apponendam autem idcirco exiſtimavimus, quod ejuſmodi picturae ratio antiquitatem maxime declarat. Etenim vir eruditus Bonarotius (5) animadvertit, rationem illam pingendae Mariae gremio puerum Jeſum geſtantis inductum fuiſſe, poſteaquam Neſtorianae haereſeos peſtis in Chriſtianam Eccleſiam permanaverat, ut ſic oſtenderetur Chriſtianorum Fides Mariam Θεοτόκον, ſeu Deiparam & Matrem Dei confitentium.

Ceterum inventionis Corporum Beatorum BONIFACII & ALEXII, Templi Dedicationis, repoſitionis Sacrarum Reliquiarum, & aliarum rerum omnium, quas hactenus enarravimus, hiſtoriam Angelus Abbas abſolvit piiſſima, quae ſequitur, ad univerſos Fideles exhortatione. *Exultent igitur, & laetentur in Domino univerſi Chriſtifideles, & commorantes in Monaſterio Monachi; quia Eccleſia Dei, & Beatorum BONIFACII & ALEXII tantis irradiata patrociniis, aſſimilata eſt ſponſae Agni, quae ornatur omni*

(5) Bonaroti Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro, Tav. I. fig. 2. & 3. pag. 10. Firenze 1716.

*omni lapide pretioſo; & ſtudeant ad illam coeleſtem pervenire Hieruſalem, ubi non eſt auditus malleus, nec ſecuris, ubi non audiuntur poenarum lamenta, ubi cuncta vincitur cogitatio, & finitur tentatio, ubi quaelibet deſideria habentur; & ſubſidio & opere noſtrorum Patronorum, cum ad coenam Agni venerint vocati, veſtes habeant nuptiales; quibus induti, ſecuri convivae diſcumbant, & aeterna fruantur beatitudine; ad quam nos perducere dignetur Omnipotens, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, amen.*




CA-

Digitized by Google

# CAPUT XV.

*Eccleſiae & Monaſterii bona, Pontificio ejuſdem Honorii Diplomate deſcripta & confirmata.*

SUam eccleſiae cuique dotem eſſe oportere ad miniſtros alendos, eaque omnia comparanda, quae ad divinas caeremonias pertinent, ſatis conſtat. Et noſtrae quidem Baſilicae dotem amplam admodum & copioſam confluentium pietas Chriſtianorum confecerat; quam tamen ſive conſequentium injuria temporum, ſive cupiditate hominum, ſive poſterorum negligentia adminiſtratorum (*), adeo imminutam ac diſſipatam dolemus eſſe, vix ut tenues priſtinae opulentiae reliquias habeamus. Huic malo, quod longe animo proſpexerat, ut, quoad ejus fieri poſſet, occurreret providentiſſimus Honorius, poſt ſolemnem Baſilicae Dedicationem, honorificentiſſimum Diploma emiſit; quo Diplomate Pontificium illuſtre patrocinium ipſi eidem tribuens, quicquid bonorum in eam Chriſtiani congeſſerant, totum illud, quodcunque erat, diligenter deſcripſit, eorumque poſſeſſionem Alexianae Eccleſiae ratam voluit eſſe, atque Apoſtolica Auctoritate communivit. Sed quid eſt tam ſacroſanctum, quod infinita hominum avaritia non violet? Nos Diploma Pontificis hic apponimus; atque, ut ex recordatione priſtinae fortunae ſolatium aliquod quaeramus, illud etiam explicare atque illuſtrare ſtudebimus, quo perantiqua locorum nomina

no-

(*) De cauſſis imminutae olim Monachorum & Eccleſiaſticorum potentiae vide Murator. Antiquit. Ital. medii aevi tom. VI. Diſſert. 72.

novis inductis appellationibus reſpondeant. Eſt autem hujuſmodi:

## *HONORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI*

*Dilectis Filiis, Angelo* (1) *Abbati & Monachis Sancti ALEXII, eorumque Fratribus tam preſentibus, quam futuris canonice ſubſtituendis in perpetuum &c.*

,, CUm univerſis per orbem conſtitutis eccleſiis
,, debitores ex Apoſtolice Sedis auctoritate &
,, benivolentia exiſtamus; illis tamen eccleſiis, que
,, in urbe Roma conſtitute ſunt, propenſiori nos
,, convenit caritatis ſtudio imminere. Eapropter,
,, dilecti in Chriſto Filii, veſtris juſtis poſtulatio-
,, nibus clementer annuimus; & prefatam SS. Criſti
,, Martiris BONIFATII atque Confeſſoris ALEXII
,, Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio,
,, ad exemplar fel: recor: Predeceſſorum noſtrorum
,, Romanorum Pontificum, ſub Beati Petri & no-
,, ſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti
,, privilegio communimus, ſtatuentes, ut quaſcunque
,, poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia in-
,, preſentiarum juſte & canonice poſſidet in conceſ-
,, ſione Pontificum, ſive largitione Regum vel Prin-
,, cipum, oblatione Fidelium, aut in futurum aliis
,, juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci,
,, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata
,, permaneant; in quibus hec propriis duximus expri-
,, menda vocabulis: *O*-

(1) De Angelo Abbate Sanctorum BONIFACII & ALEXII ante diximus Capite XI. pag. 197.

Digitized by Google

*Ortos (2) circa Monaſterium, cum clauſtris & pertinentiis ſuis ante dictum Monaſterium.*

*Palatium Euſirmiani (3) cum edificiis & terra circa ſe, ſicut incipitur a dicto Monaſterio, et exinde per viam publicam deſcendit in ſtratam, que vadit ad portam S. Pauli juxta Teſtatium (4), & revolvente manu ſiniſtra ſuper eccleſiam Sancti Nicolai (5) de Aqua Salvia, et exinde aſcendit ante eccleſiam Sancte Priſce, et exinde per viam, que exit in aliam viam publicam, que vadit ad dictum Monaſterium juxta eccleſiam Sancte Sabine.*

Ff Do-

(2) Hortuli prope Monaſterium ſunt quatuor: horum tres etiamnum poſſidemus; quartum autem, qui Templo continens eſt, Dominicani Sanctae Sabinae poſſident, permutata nobiſcum vinea prope molas Albani, vulgo *la mola*, ad lacum Juturnae (hodie *il laghetto*, ut obſervat Vignolius in notis ad Vitam Silveſtri Papae num. xxx. lib. Pontificalis): cujus permutationis Inſtrumentum confectum eſt per Franciſcum Lucarelli Notarium Capitolinum die quinta Aprilis A. D. 1674.

(3) *Palatium Euphemiani*, cujus in aedibus Coenobium noſtrum primo conditum diximus Cap. IV. pag. 30. cujuſque poſſeſſionem jam ratam habuerat Otto III. Imperator, quum ad preces Notkerii Epiſcopi Leodienſis atque Leonis Abbatis, Monaſterii bona omnia, jura, & libertates ampliſſimo Diplomate confirmavit; quod in Appendice legitur num. I.

(4) Teſtaceus mons eſt Romae notiſſimus, ex teſtis ſeu fragmentis fictilium vaſculorum coalitus, cujus altitudo palm. 200. diameter major palm. 240. circuitus paſſuum 590. de quo ſatis egerunt Franc. Eſchinard. de Impetu tract. 11. num. 255. Nardin. Rom. Anti. lib. 7. cap. 9. Ficoron. *Veſtigia di Roma Antica* lib. primo cap. 22. aliique &c. Vide infra not. (8). Sed confinia, quae hic ab Honorio deſcribuntur, etſi vetuſtis Archivi chartis reſpondere video, nunc tamen praeter hortulos duaſque vineolas juris noſtri, quarum una ad Auſtrum ante Coenobium ſita eſt, altera in imo collis *Macarana* vocatur, nil quidquam in Aventino nobis reliquum eſt.

(5) *Eccleſiam S. Nicolai de Aqua Salvia* vel hinc diſcimus olim ſtetiſſe ad portam Hoſtienſem; ex qua patebat via ad Aquas Salvias, ubi nunc eſt coenobium templumque, quod dicitur Trium Fontium. At Martinellus, qui *de Templis Sanctorum obſoletis* in Urbe ſpeciatim egit (*a*), Eccleſiae hujus nullam mentionem facit.

(*a*) Floravant. Martinell. Roma ex Ethnica Sacra cap. 12.

Digitized by Google

*Domos cum griptis et caſalinis ſub Monaſterio, ubi dicitur Marmorata* (6), *ex utraque parte vie piſcarias quinque in flumine Tiberis* (7).

*Terram cum griptis et parietibus in Ortis Publicis* (8). Ex-

(6) Quae hic dicitur *Marmorata*, in Diplomate Ottonis III. *ripa Graeca* vocata eſt; & quidem Marmoratam etiamnum appellant Tyberis ripam, quae a templo S. Mariae in Coſmedino, olim Schola Graecorum, ad uſque veteris Sublicii pontis veſtigia ſub Aventino porrigitur. Nomen autem Marmoratae huic loco inditum putat Ugonius (*b*) ab ipſo ponte, quem Antoninus Pius Imperator ſolido ex marmore reſtituit, marmoreumque iccirco, & *marmoratum* poſteri vocarunt. At Nardinus (*c*) nomen repetit a marmoribus, quae illuc exponere onerariae naves conſueverant: cujus ſententiae prae aliis adſtipulatur Ficoronus. Utcunque tamen de nomine ſit, illud ſane conſtat, totius ferme loci dominos olim fuiſſe Alexianos Monachos (*d*), nunc autem vix nobis reliquum eſt dominium, quod directum Forenſes vocant, domorum quarumdam; unde penſio, quam iidem canonem appellant, & quidem admodum exigua, in ſingulos annos percipitur. De Marmorata vide Eſchinard. Deſcript. Agri Rom. p.2. cap.x. & Ficoron. *Veſtigia di Roma Antica lib.primo cap.12. pag.*147. *Rom.*1744.

(7) *Piſcarias in flumine Tyberis* ſub Aventino reliquas fuiſſe minimum tres A.D. 1407. oſtendunt Acta locationis earumdem, quorum excerpta publicabimus in Appendice. In iis enim deſcribitur *la Peſcara de mal tempo, poſita in flumine Tyberis in loco, qui dicitur Marmorata*; *cui ab uno latere eſt quaedam piſcaria, quae vocatur la Poſta, ab alio latere eſt quaedam piſcaria, quae vocatur Capitelli &c.* In Diplomate Ottonis III. (*e*) legitur *in Piſcinale*, ſeu in *ripa Graeca*. Quid? quod apud Feſtum memorantur piſcatorii ludi, qui a Praetore Urbano quotannis menſe Junio fieri ſolebant per piſcatores Tyberinos. Sed de piſcariis, ad Coenobium noſtrum pertinentibus, iterum incidet ſermo Cap. XIX.

(8) *Hortos Publicos* arbitror hic vocari, qui forte fuerant juris publici, cujuſmodi nunc ſunt prata prope Doliolum ſeu montem Teſtaceum (*f*), qui etiam mons de Palio appellabatur, ut ex chartis An. 1256. in App. num. XXXI. Nam ludi publici, quos vocant *la corſa del palio*, jamdiu in ima ejuſdem Dolioli planitie fiebant, ut prae aliis advertit Eſchinard. Deſcript. Agri Rom. par. 2. cap. primo. Illic praediola multa Monaſterium noſtrum antiquo tempore poſſediſſe, fidem faciunt tabulae ea de re conſcriptae Annis 1256. & 1297. ut in Append. num.XXXI. & num.LII.

(*b*) Pompejus Ugonius de Urbis Stationibus pag.6. edit. Rom. 1598. (*c*) Nardinus Rom. Vet. lib.1. cap.11. (*d*) Vide in Append. num.II. XVIII. XXVI. (*e*) Vide in Append. num. I. (*f*) Vide ſupra not. (4).

Digitized by Google

*Extra portam S. Pauli, pedicam terre, que vocatur Penna* (9), *in ſtrata S. Pauli uſque ad flumen Tiberis, et a muris Urbis uſque ad vineas juris S. Pauli.*

*Octo petias vinearum cum ortis in Caſtaniola, & loco ad molendinum conſtruendum in rivo Caſtaniole* (10).

*Eccleſiam Sancte Pacis, cum terra circa ſe uſque ad vineas Caſtaniole.*

*Terram in monte de Dracone* (11).

Ff 2 *Vi-*

(9) *Pedica terrae, quae vocatur Penna*, praedium erat prope moenia Urbis in via Hoſtienſi, ut ex plurimis Archivi chartis abunde conſtat; in quarum altera legi: *Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo quadrageſimoprimo, temporibus Domini Friderici Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, anno ejus vigeſimoprimo, Indictione decimaquarta, menſis Aprilis die quinta. Ego Johannes &c.... concedo &c.... locum, qui vocatur PENNA, juris S. ALEXII, ad piſcaria facienda, poſitum in flumine Tyberis .... cui a primo latere ſunt muri Urbis &c.* Vid. App. num. XXV. Nunc quoque praedium illud a nobis poſſidetur, quod vitibus conſitum fuerat Anno Domini 1592. quo anno factam invenio emphyteuſim perpetuam *vineae petiarum quatuor, extra portam S. Pauli in loco nuncupato LA PENNA, juxta ab uno latere moenia Urbis, ab alio vicum vicinalem &c.*

(10) *Caſtaniola* locus eſt Campaniae Romanae, millia paſſuum viginti ab Urbe diſſitus, inter Ardeam & Lavinium, antiquas Latii urbes. Caſtaniolae autem vocabulo duo nunc ibi ſunt perampla latifundia; alterum *rublis*, ut vocant, quingentis & ſeptuaginta conſtat, quod nobiliſſima Gens Sfortia de Caeſarinis poſſidet; alterum *rublorum* biſcentum quinquaginta, & dominos habet, qui ſunt ex antiqua Familia Caffarelliorum, ut ex Agri Romani Topographia Geometrica a Cingolano (g) vulgata quivis dignoſcere poteſt. At praediola, ſeu *octo petia vinearum cum hortis in Caſtaniola*, quae juris erant Monaſterii noſtri (h), quaeque Honorius Pontifex hoc Diplomate corroboravit, deperdita ſunt.

(11) *Terram in monte de Dracone* illam puto, quae dicitur *Dragone d'Altieri* rubl. 213. quaeque millia paſſuum undecim ab Urbe diſtat in via Hoſtienſi. Ceterum in eadem via ad tria millia paſſuum alter locus eſt, qui dicitur *le Dragare*, quod piſces ibi capiantur ex Tyberi, draconis ſpeciem quodammodo exhibentes. Item ad decem millia paſſuum latifundium occurrit nuncupatum *la*

(g) Topografia Geometrica dell'Agro Romano di Gio: Battiſta Cingolani, inciſa dal de' Roſſi in Roma l'Anno 1704. (h) Vid. in App. num. XXXII. Inſtr. Ann. 1262. 23. Novemb.

Digitized by Google

*Vineas cum ortis & arboribus in ortis Prefectis* (12), *& in Bivario extra portam Appiam*.

*Turrem cum domibus, vineis, ortis, canapinis in loco, qui vocatur Ciminuli* (13).

*Duas*

*la Dragoncella di Nari*; atque inſuper illic proxima ſunt praedia juris Caſſinatum, quae vocantur *la Dragoncella de' Monaci di S. Paolo*, ut ex Tabulis Topographicis Ameti & Cingolani facile intelligitur.

(12) *Hortos Praefectos extra portam Appiam* ſuſpicor fuiſſe vel ubi nunc *grotta Prefetta*, quo corrupto forte vocabulo adhuc vocantur praedia Gentis *Colligolae* rubl. 116. ad dexteram viae Appiae ter millia paſſuum ab Urbe diſſita, vel ubi nunc exſtat *caſtrum Praefectum*, quod obtinent Vaticanae baſilicae Canonici rubl. 183. quodque appellatur etiam *caſal Prefetto* extra portam Appiam, ut ex Tabulis Ameti (*i*), Cingolani, & Innocentii Matthaei (*k*). Ideo autem *Praefectos* vocatos eſſe conjicerem ejuſmodi *hortos*; propterea quod ab urbis Romae Praefectis poſſidebantur. Nam apud Contelorium legi, quod A.D. 1198. Innocentio III. Pontifice, Petrus Urbis Praefectus *hortos habebat extra portam S. Pauli in contrada, quae vocatur Mons; de quibus etiam fit mentio in regiſtro anni 1. & 2. Honorii III.* Et quidem de hortis Praefectis extra portam Sancti Pauli tria exſtant in Tabulario noſtro monumenta; primum locationis factae a Riccardo Abbate ante Annum 1163. filiis Joannis de Judice cujuſdam vallis, quae appellabatur *Cupula &c. cum omnibus ſuis pertinentiis . . . poſit. in hortis Prefectis . . . ad Formellum &c.* alterum emphyteuſeos factae die 17. Maji Anno 1266. *unius petie vinee poſite extra portam S. Pauli in ortis Prefectis*; tertium denique teſtamenti cujuſdam Joannis de Papa, qui die 12. Novembris An. 1287. legatum ſcripſit Monachis S. ALEXII *pro ſatisfactione convente pecunie, que debuiſſet ei ſolvi pro cenſu poſſeſſionum, quas dicunt ſe habere in tenimento caſalis mei de ortis Prefectis &c.* Vid. App. num. XII. XXXIV. & XLV.

(13) Praediola aliquot in fundo *Ciminuli* a temporibus uſque Ottonis III. Monaſterium S. ALEXII poſſidebat, ut ex ejuſdem Imperatoris Diplomate conſtat. Totum autem & ex integro *Ciminuli caſale* deinceps acquiſivit, & Divis BONIFACIO & ALEXIO obtulit Petrus Epiſcopus Sylvae Candidae, de quo ſupra diximus Cap.X.§.V. pag.176. Id abunde liquet ex Inſtrumento ea de re confecto A. D. 1043. in quo legitur, Petrum Alexianis Monachis dono dediſſe *caſalem, qui vocatur Tercius . . . juſta alium caſalem S. BONIFACII, qui dicitur Chiminuli, quem eciam ipſe*

(*i*) Il Lazio deſcritto da Giacomo Filippo Ameti, ed inciſo dal de' Roſſi Roma 1693.

(*k*) L'Antico Lazio, e Nuova Campagna di Roma d'Innocenzo Mattei.

Digitized by Google

*Duas pedicas terre in Piliotti vel Cicomola* (14). *Tres pedicas terre in Squizanello* (15) *juxta viam Ar-*

*ipſe Petrus Epiſcopus eiſdem SS. BONIFACIO & ALEXIO conceſſit*. In Tabulis Ameti locum deprehendo vocatum *Mimoli* inter viam Aureliam & veſtigia ductuum aquae Trajanae, tertio circiter ab Urbe milliario, ubi plura fuerant latifundia juris Epiſcoporum Sylvae Candidae. Sed quominus *Mimoli* & *Ciminuli* idem eſſe putem, Bulla obſtat Innocentii Papae III. (*l*) Dat. A. D. 1214. in qua lego, praedium illud *Mimoli* ad Capitulum & Canonicos Vaticanae baſilicae tunc perveniſſe (*m*).

Ex chartis autem Archivi compertum habeo, Joannem Abbatem S. ALEXII locaſſe *unum petium terre ſementaricie . . . . . poſitum in loco, qui vocatur SILIOLI foris portam Appiam inter hos fines: a primo latere eſt rivus & pons de Silioli; ab alio latere tenent filii Cencii Frajapani* (*n*). Hinc potius ſuſpicarer, Silioli & Ciminuli vocabula eſſe, eundem locum ſignificantia.

(14) *Cicomola*, quae poſtmodum vocata eſt *Cicchignola*, in via Ardeatina quinque mil.paſſ. ab Urbe diſtans. Nam ex chartis habeo, quod Anno Domini 1377. Bartholomaeus Abbas Monaſterii SS. BONIFACII & ALEXII locavit *Nucio Petri Gibelli &c. tertiam partem cujuſdam caſalis dicti Monaſterii, quod vocatur la Cicogniola*. Duo autem nunc ibi exſtant ejuſdem nominis latifundia; quorum unum juris eſt nobiliſſimae vetuſtiſſimaeque Gentis Cinciae, rubliſque conſtat 199. atque nuncupatur *la Cicchignola vecchia*; alterum vero, quod vocant *la Cicchignola nova*, rublis conſtat *69*. atque ad Melitenſes Equites pervenit Ordinis Hieroſolymitani, ſeu ad Prioratum S. Mariae de Aventino, quem nunc obtinet Eminentiſſimus Princeps S. R. E. Cardinalis Hieronymus Columna, Hieronymianae Familiae noſtrae Patronus, quem honoris cauſſa nomino.

(15) *Squizanello*, nunc Schizarello, ad ſiniſtram viae Ardeatinae 9. m. p. ab Urbe. Comites de Soderinis fundum ſatis amplum ibi poſſident rubl. 133. Vid. Tab. Topograph. Cingolani.

(*l*) Innocentius Papa III. obiit Peruſii XVII. Kal. Aug. A. D. 1216. (*m*) Vide Bullam Innocentii III. in Bullario Baſil. Vatic. tom. primo pag. 97. edit. Rom. A. D. 1747.

(*n*) Vide in Append. Inſtrum. num XVI. Filii Cencii Frajapani tres, Joannes, Petrus, & Leo nominantur in Litteris Alexandri Papae III. *Dat. Anagniae XV. Kal. Octobris*, in quibus legitur: *Alexander Epiſcopus &c. Nos ſiquidem dilectis Filiis noſtris, nobilibus Viris Johanni, & Petro, & Leoni, filiis quondam bonae mem Cencii Frajapani, caſtrum Tyberiae* (nunc Trivera), *pro eo quod nobis Olibanum conceſſerunt ad tenendum in cuſtodiam, ſicut Olibanum habuerunt, conceſſimus &c.* apud Panvinium cod. ms. de Gente Fregepania lib. III. cap. VIII. *Cencius Frajapanis Egregius Romanorum Conſul, & Joannes Frajapanis filius &c.* ſubſcripti leguntur chartae locationis caſtri Radicofani factae Eugenio III. R. P. a Ranerio Abbate, apud Murat. tom. III. Antiqu. med. aevi diſs. 42. pag. 793. Vide aliud Inſtr. An. 1169. in Hiſtor. Terracin. lib. 2. cap. 1. pag. 166. Auctore Dom. Ant. Contatore.

Digitized by Google

*Ardeatinam, ab aliis lateribus rivis circumdantur, ubi dicitur Curia de Calviſavis* (16).

*Turrim cum vineis, ortis, canapinis, ſilvis in Facolniano* (17).

*Eccleſiam S. Euſemie* (18) *cum turre, domibus, ortis, vineis, canapinis, terris, ſimul cum lacu Turno* (19).

*Vi-*

(16) *De Calviſavis*. Antiquam Romanam Familiam de Calvis hic memoratam ſuſpicor, de qua veteres exſtant Sepulcrales Inſcriptiones in templis S. Pantaleonis & Sanctae Mariae de Populo, quas affert Theodorus Amaydenus in codice ms. Caſanattenſi num.283. cujus, & alterius Chronici ms. rerum Urbis notabiliorum per Jo: Petrum Scriniarium A. D. 1350. confecti, exemplaria prae aliis monumentis mecum libentiſſime communicavit Vir Clariſſimus Pompejus Marchio Frangipani, generis aeque ac morum nobilitate, rerumque notitia ſpectatiſſimus. In eo autem ms. Chronico haec legi: *Calvi antiquiſſimi sunt & nobiles, & a cognomine Gentis Rutiliae ſic dicti originem ducunt; ex quarum Familia plures Cardinales orti ſunt*. De Cardinali Antonio de Calvis mentio fit apud Ciacconium to.2. pag.722. num.VI.

(17) *Turris in Falconiano* ad ſiniſtram viae Appiae 8. m. p. ab Urbe notiſſimus locus eſt, qui dicitur *Falcognana*. Falconianam veterem Familia Cincia poſſidet, & eſt rubl.348. novam Riccardia, rubl. 1063. Vide Eſchinard.Deſcript.Agri Romani par. ſecunda cap.9.

(18) *Eccleſiam S. Euphemiae* prope caſtrum Sabelli, pluraque itidem praedia haud procul a lacu Turni, de quo not. (19), olim poſſidebant Alexiani Monachi, ut ex Tabularii chartis. Nam An. 1116. Placidus Abbas heredes Leonis de Bonizo obligat, *ut detis unam ſomam vini mundi, & ducatis eam ad Sanctam Euſimiam*. An.1165. 30. Aprilis memoratur *molendinum poſitum ad Albanum ad Sanctam Fumiam*. Vid. Append. num.VII. & XV. An.1205. Benedictus olim Abbas *obligavit turrem dicti Monaſterii, que vocatur Sancta Euſumia . . . de lacu Turno &c.* Vid. Append. num.XX. ac demum A. D. 1315. die XI. Januarii, *Conradus, Dei gratia Abbas SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe*, in emphyteuſim conceſſit ad quinque annos *caſale dicti Monaſterii, quod dicitur de Sancta Fumia &c.* Vide Append.

(19) *Lacu Turno*. De lacu Turni, quem dicatum ferunt ab Ardeatibus Turno Regi, propterea quod is in eo ſubmerſus aquas ſulfureas ſacras feciſſet, meminit Columella Ruſtic.Rer. lib.10. ℣.138. *Et Turni lacus & pomoſi Tiburis arva*. Hinc agerTurni apud Juvenal.Sat.XII. ℣.105. *Arboribus Rutulis, & Turni paſcitur agro Caeſaris armentum &c.*

Vide

Digitized by Google

*Vineales cum arboribus & terris in Albano & in Aricia* (20).

*Terram in Valerano* (21).

*Caſtellum, quod dicitur Verpoſa vel Nave, cum eccleſiis, domibus, hominibus, terris, vineis, ortis, canapinis, ſilvis ceſis, & pertinentiis ſuis* (22).

*Ca-*

Vide Latium Profanum Card. Corradini lib. I. cap. XXVII. pag. 399. edit. Romae 1704. Lacus ille adhuc viſitur haud procul a caſtro nuncupato Caſtel Romano, 12. mil. paſs. circiter ab Urbe inter vias Ardeatinam & Laurentinam. Praedia autem ſeu *poſſeſſionem lacus Turni* dono datam legi a Conſtantino Auguſto baſilicae Albanenſi, ut refert Anaſt. Biblioth. in Vita Silveſtri Papae num. XXX. apud Blanchinum ſect. 46. & Vignolium lib. Pontif. num. XXX.

(20) *In Albano & in Aricia* nonnulla adhuc praedia & vineta poſſidemus, nec non etiam latifundium nuncupatum *la Caſetta* rubl. 70. quod in emphyteuſim perpetuam traditum eſt ex Diplomate Pauli Papae V. Dat. Romae A.D. 1613. III. Nonas Decemb. Pont. an. 9.

(21) *In Valerano* extra portam Hoſtienſem (*Valerano de' Madaleni*) ſecus rivum ejuſdem nominis, qui etiam rivus Albanus a lacu Albano, unde deducitur, appellatur, latifundium rubl. 324. poſſidetur a Noſocomio Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum; aliud vero rubl. 139. a Marchione Aemilio de Cavalleriis. Vide Ametum in Tab. Topogr. Latii, atque Eſchinard. Deſcrip. Agri Rom. p. 2. cap. X. pag. 316. edit. Romae 1750.

(22) *Verpoſae* caſtrum extra portam Appiam ultra Ardeam 25. m. p. ab Urbe, ubi nunc dicitur *Bonripoſo*, ac ubi latifundium exſtat rubl. 457. juris Excellentiſſimae Gentis Sfortiae de Caeſarinis, Monaſterii noſtri olim fuiſſe diximus Cap. XI. pag. 198. Ibi autem praedia, domos, & eccleſiam S. Mariae poſſediſſe Alexianos Monachos, ex permultis Tabularii chartis evidentiſſime dignoſcitur, & praeſertim ex Actis litis conteſtatae Anno Domini 1358. inter Monaſterium & Dominos Annibaldenſes, quorum excerpta afferemus in Appendice. Ejuſdem caſtri confinia in Actis An. 1360. ſic deſcripta legi: *Caſtellum Verpoſe Ven. Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII, in Maritima inter hos fines: ab uno latere eſt tenimentum caſtelli Fuſingiani; ab alio latere tenimentum caſtri S. Petri in Formis; ab alio eſt tenimentum caſtelli Noctunni; ab alio eſt tenimentum civitatis Labinie.* Vocabatur item *Nave*, ut ex Inſtrumento num. 73. tomo 13. Actorum mſs. quae ſervantur in Archivo Dominorum de Aſtallis, quorum excerpta mecum humaniſſime communicavit praelaudatus Marchio Pompejus Frangipani; ibi namque legi, quod *An. 1392. caſale nuncupatum Nave alias Verpoſae, ſitum extra portam Ap-*

*Caſtrum Pontis Decimi, cum omnibus ſuis pertinentiis & tenimentis* (23).

*Campilanum* (24), *Miccinam, & Cornu Cervinum, & terras, & ſilvas, cum ceſis ad pontem Terzola* (25).

*Totum tenimentum, quod dicitur prata de Piſtilierio* (26), *juxta rivum Pretaſium*.

To-

*Appiam, pro pretio* 1000. *florenorum auri venditum eſt &c.* Legi item numero 147. quod Anno 1423. Domini Annibalenſes . . . *Magnificis Viris Sabello & Cola, filiis quondam Magnifici Viri Butii de Sabellis, dederunt inter alia tertiam partem caſtrorum Fuſignani & Verpoſae &c.* Inſuper num. 198. habetur, quod Anno 1426. Domini Annibalenſes vendiderunt *Antonio de Columna, filio q. Laurentii de Columna Salerni Principis . . . . duas partes caſtri diruti nuncupati Verpoſae . . . . pro pretio* 3000. *florenorum*. Et quidem in vetuſto ms. codice ſignato A. de datis & acceptis Monaſterii noſtri ad An. 1431. notatum video: *Caſtrum Verpoſae deſolatum ſine vaſſallis eſt S. ALEXII. . . modo detinetur per Antonium de Colupna Principem de Salerno*.

(23) *Caſtrum Pontis Decimi*. Locus exſtat via Laurentina decimo quondam ab Urbe lapide; unde ei nomen nunc quoque *Decimo*, ubi Gentis Torrigianae Florentinae, in ditione Antiſtitis Hoſtienſis, latifundia ſunt rublorum 404. Obſervat tamen Clariſſimus Vulpius tom. 6. Veteris Latii, octo dumtaxat millia paſſuum ab recenti Roma locum diſtare, qui Decimus vocatur. Vide Eſchinard. Deſcript. Agri Romani pag. 319. edit. Romae 1750.

At vero caſtri illius & Eccleſiae Pontis Decimi Monachos noſtros olim dominos fuiſſe, certiſſimum fit ex Tabulis locationis ejuſdem, Petro Frajapani factae a Nicolao Abbate An. 1224. *Locamus & concedimus tibi, tuiſque heredibus & ſucceſſoribus . . . jus noſtrum proprietatis totius caſtri, quod dicitur Pons Decimus . . . & Eccleſiam, quam habemus in ipſo caſtro, intus & de foris, & cum tenutis ad ipſam Eccleſiam pertinentibus &c.* Vide Append. numero XXIII.

(24) *Campilanum*, forte *Crapiliano*, cujus mentio fit in Inſtrum. An. 1224. Vid. in Appen. num. XXIII.

(25) *Ad pontem Terzola*, forte qui vocabatur *Tercius*; in cujus poſſeſſionem Alexiani miſſi fuerunt a Petro Epiſcopo Sylvae Candidae, ut ante dixi Cap. X. §. V. pag. 175.

(26) *Prata de Piſtilierio*. Terram in pratis Piſtilgeriis ſeu Piſtiloriis Petro Frajapani in emphyteuſim perpetuam conceſſam video a Nicolao Abbate Sancti ALEXII, ut ex Inſtrumento ea de re confecto Anno Domini 1224. quod vide in Appendice num. XXIII.

Digitized by Google

*Totum, quod veſtro Monaſterio pertinet in Aſturia* (27) *& in inſula Aſturie, cum piſcationibus, venationibus, naufragiis.*

*Terras cum ſilvis in Tordarolo & Septem Pregio*

Gg

(27) *In Aſturia & in inſula Aſturiae*. Aſtura fluvius & peninſula, ubi olim oppidulum & villa Ciceronis, nunc parva arx cum turri, diſtat Neptunio ſeptem millia paſſuum Circejos verſus ad mare. Priſcorum Romanorum aetate ſub tutela ſeu clientela fuit Armeniae Gentis Romae nobilis, ut indicat antiquus lapis apud Fabrettum (o).

M. ARMENIO M. F.
ASTVRAE PATRONO VI. VIR.
FOR. CORNEL.

Locus hic fatalis habitus ob permultas hominum illuſtrium calamitates. Nam ibi Auguſtus & Tiberius Impp. extremo morbo correpti ſunt: Caligula illinc Romam digreſſus occiſus eſt: Marcus Tullius Cicero a Popilio ingratiſſimo homine capite truncatus: Conradinus Sueviae Dux, Friderici II. Imperatoris nepos, per inſidias miſere captus, mox Neapoli indigniſſimum ſupplicium pertulit (p). Agunt de Aſtura Athanaſius Kirkerius in Veteri Latio cap. VII. num. IV. Eſchinardus Deſc. Agri Romani p. 2. cap. x. & Roccus Vulpius in Latio Profano tom. 3. cap. XI. apud quem vide Tabulis expreſſa veteris Aſturae veſtigia, nempe Tab. XIX. quae Ciceronis villae rudera eſſe creduntur, & Tab. XX. quae vulgo *Balnea Marina* nuncupantur.

Ceterum Alexianos Monachos Aſturae eccleſiam, monaſterium, & latifundia multa jamdiu obtinuiſſe, ſatis conſtat nedum ex dictis Cap. X. §. IV. pag. 169. de Adillelmo Abbate, ſed quoque vetuſtiſſimis ex monumentis, quae in Appendice emittimus. Vide chartam donationis factae Leoni Abbati a Benedicto Comite A.D. 987. tot praediorum ad Aſturam, quot arare poſſent tria bovum juga, Append. num. III. Item Acta litis conteſtatae A. D. 1141. coram Innocentio II. Pontifice per Riccardum Abbatem adverſus Ptolemaeum Tuſculanum Comitem, qui Aſturae praedia uſurpaverat, atque etiam Acta locationis eorundem ſubinde factae A. D. 1163. a Petro Abbate Jonathae Tuſculano Comiti: de quibus diximus Cap. XI. pag. 192. In charta autem donationis factae Bartholomaeo Alexiano Abbati A. D. 1361. corrupto vocabulo dicitur *Sancta Maria de inſula Aſtrucii*. Vide in Append. ad eundem annum.

(o) Fabrett. Inſcript. 17. pag. 606.

(p) De tragica morte Conradini Suevorum Ducis legendi Ricordanus Maleſpini in Hiſt. Florentina, & Ricobaldus Ferrarienſis in Hiſt. Imperatorum apud Murator. Rer. Ital. Script. tom. 8. & 9.

Digitized by Google

*gio* (28), *fundum Ponpegii juxta tenimentum Cripte Ferrate* (29).

*Terram in Favarolo* (30) *cum pertinentiis ſuis.*

*Quatuor pedicas terre cum prato & griptis in Centum Cellis* (31), *a ſtrata nova Tuſculana uſque ad ſtratam antiquam Tuſculanam.*

*Extra portam Lavicanam vel Majorem totum tenimentum, quod vocatur Tabernulo, juxta formam* (32) . . . *& vaſ-*

(28) *Tordarolo*. Otto III. in Diplomate Append. num. I. memorat *Septem Pretas & Turderolum*; unde colligitur, jamdiu ante Honorium III. bona haec in viciniis Cryptae Ferratae Alexianorum fuiſſe Monachorum. In Actis ſubinde locationum paſſim vocantur *SeptemPregia*, forte ſeptem pagi in agro Vejentum, octo millia paſſuum ab Urbe inter vias Aureliam & Triumphalem. Vide Ameti Tab. Topograph. Tuſciae Suburbicariae.

(29) *Crypta Ferrata* in Tuſculo duodecim millia paſſuum ab Urbe in dextero viae Latinae latere, olim villa Ciceronis, in qua ſcripſit *quaeſtiones* quinque, quas *Tuſculanas* iccirco nominavit, nunc vocatur *l'Abbadia di Grotta Ferrata*, ubi Deiparae vetuſta ſacra aedes, & Divi Baſilii Magni Aſſeclarum coenobium, ab Sanctis Nilo Juniori & Bartholomaeo Abbatibus conſtitutum.

(30) *Pedicam terrae poſitam in Favarolo* Anno 1164. a Joanne Abbate locatam vidimus Cap. XI. ut ex Inſtrum. App. num. XIV. Hic autem intelligimus, Honorii III. temporibus bona alia ibidem fuiſſe juris Monaſterii noſtri, & praeſertim latifundium, quod vocabatur *Quadrarium* ſeu *lo Quatraro*, *extra portam Lateranenſem in loco, qui dicitur Favarolum &c. ab alio latere eſt tenimentum caſalis Bonrecuperi* (nunc *Bonricovero*, rubl. 275. ſpectans ad Sancta Sanctorum), venditum pretio florenorum auri 3700. ut ex Inſtrumen. An. 1358. 18. Aprilis, quod vide in Append.

(31) *Caſale de Centum Cellis* ratum habuit Otto III. in Diplomate Append. num. I. Nunc etiam idem nomen obtinet in agro Tuſculano, ubi olim ſuburbanum Ciampinum. Vid. Tab. Topograph. Ameti & Cingolani. Diſtinguendum icciroo a portu *di Civita Vecchia*, qui nunc etiam vocatur *Centum Cellae*.

(32) *Tabernulo juxta formam*; forte locus, qui nunc dicitur *Torre Pignattara*, quem poſſident Canonici baſilicae Lateranenſis, ubi exſtant rudera aquaeductuum Alexandrinorum, qui *formae* vocabantur, ex eo quia ſubditis ligneis formis aquaeductus conſtruerentur, ut notat Sirmondus ad Sidonium lib. 1. ep. 5. Hinc *formas aquarum* legimus etiam apud Caſſiodorum lib. 3. var. ep. 31. In Inſtrum. An. 1224. locatam invenio Petro Frajapani a Nicolao Abbate Sancti ALE-

*& vaſſaria, & juſta viam, que venit inter cancellatam veterem & novam, & juxta ſtratam Lavicanam; quod tenimentum per veſtrum Monaſterium tenet baſilica Lateranenſis.*

*Extra portam S. Johannis vineam in monte Honorii* (33).

*Caſtrum Morori* (34), *& caſtrum Sorbi* (35), *cum omnibus eorum utilitatibus, pertinentiis, poſſeſſionibus, territorio, collinis.*

*Canapariam cum orto & pertinentiis ſuis.*

*Turrem* (36), *que fuit Maximi, poſitam in monte poſt Sanctum Georgium, cum domibus et caſarinis ibidem.*



ALEXII *ecclesiam . . . . in tenimentis caſtri S. Petri in Formis.* Vid. Append. num. XXIII.

(33) *In monte Honorii.* Nunc etiam vocatur mons Honorii, qui mille paſs. ab Urbe diſtat, ad ſiniſtram viae Tuſculanae, extra *portam Lateranenſem.*

(34) *Caſtrum Morori* ſeu *Maurori,* de quo in Diplomate Ottonis III. legitur: *Concedimus etiam . . . . in Mauroro cellam Sancti Stephani &c.* An. 1252. Jacobus Abbas dedit in emphyteuſim Paulo Canonico ejusdem Monaſterii *eccleſiam S. Stephani Protomartyris Chriſti, poſitam in territorio Morinenſi ſubtus caſtrum, quod vocatur Morolum.* Vide in Append. num. XXX. Caſtrum eſt dirutum, ubi olim villa roſtrata, 22. mil. paſſ. ab Urbe ad ſiniſtram viae Flaminiae. At praedia, quae ibidem ab Alexianis obtinebantur Honorio III. Pontifice, nunc juris ſunt nobiliſs. Familiae Burgheſiae. Vid. Tab. Topograph. Ameti.

(35) *Caſtrum Sorbi,* de quo in Diplomate Ottonis III. legitur: *Confirmamus & corroboramus . . . caſtellum, quod dicitur Sorbo.* Vid. Append. num. I. De caſtro Sorbi in agro Tiburtino vetus Inſtrumentum datum Tibure in domibus Sabellenſium An. 1321. legitur apud Floravantem Martinelli *Primo Trofeo della SS. Croce* pag. 104. Caſtrum hoc forte erat juxta montem, qui dicitur Monte del Sorbo, 13. m. p. ab Urbe ad ſiniſtram viae Tiburtinae, ubi Canonici S. Mariae in Via Lata poſſident fundum rubl. 249. Vid. Tab. Top. Cingolani. Sed in agro Vejentum locus adhuc exſtat, qui dicitur *la Madonna del Sorbo*, inter Scrofanum & Caeſanum; atque hic puto fuisſe praedia Coenobii noſtri. Vid. Ameti Tab. Topogr.

(36) *Turrem Maximi.* Familia de Maximis antiquiſſima, de qua prae aliis legendus Celeberrimus Panvinius, qui libros duos conſcripſit de Gente Maxima; quos mſs. vidi in bibliotheca Frangipana.

*Vineas et domos in caſtro Ceſano* (37).

*Domos et caſtrum infra Urbem* (38).

*Octo partes filaſalium* (39) *in campo Oſtienſi in pedica canaparie, et ſex partes in Campo Majore in arola de Ticeli ex parte trans Tiberim.*

*Tres pedicas terre ad monumentum Prezatum cum ipſo monumento* (40), *in ſtrata antiqua Albani.*

„ Porro hec & univerſa, que ad eandem Eccle„ſiam pertinere noſcuntur, vobis, & per vos Eccle„ſie veſtre Auctoritate Apoſtolica concedimus, & „preſentibus ſcripti robore confirmamus. Decerni„mus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, pre„fatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſ„ſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, „ſeu quibuslibet fatigationibus vexare & fatigare; „ſed illibata omnia & integra conſerventur eorum, „pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa „ſunt, & uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis „Apoſtolice Auctoritate. Siqua igitur in futurum „eccleſiaſtica ſecularisſve perſona hanc noſtram Con„ſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere ve-

nire

(37) *Caſtrum Ceſani* Gebizoni Abbati dudum obtulit & dono dedit *Berno filius Creſcii*, ut ex Inſtr. An. 1073. quo ejuſdem confinia deſcribuntur. Vide Append. num. VI. Caeſanum 15. m. paſſ. circiter ab Urbe extra portam Flaminiam juris eſt Chiſiae Gentis Rom. nob.

(38) *Caſtrum infra Urbem*. Domos quidem permultas in Urbe nos poſſediſſe conſtat; caſtrum autem quale, vel ubi fuerit, prorſus ignoro.

(39) *Filaſalia* vocabulum, quod neque in Du-Cangii Gloſſario legitur, ſignificare autumo fila ſeu ordines, quibus conſitae vites in ramos diducuntur, & traducibus diſtinguuntur, vulgo *filagne*.

(40) *Ad monumentum Prezatum*. Tria haec praediola ſuſpicor haud procul fuiſſe a monumento Caeciliae filiae Metelli Cretici extra portam Capenam, quod nunc etiam in via Appia ſeu veteri Albana bis mill. paſs. ab Urbe viſitur, & vulgo appellatur *Capo di Bove*.

Digitized by Google

„ nire tentaverit, ſecundo tertiove conmonita, niſi
„ preſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit,
„ poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reum-
„ que ſe divino judicio exiſtere de perpetrata ini-
„ quitate cognoſcat, & a Sacratiſſimo Corpore ac San-
„ guine dicti Domini Redemptoris noſtri Jesu Chriſti
„ alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictae
„ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem, eidem loco jura
„ ſua ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti,
„ quatenus & hic fructum bone actionis percipiant,
„ & apud diſtrictum judicium premia eterne pacis
„ inveniant. Amen. Amen.

Hactenus Diploma Honorii Pontificis, quod ſi cum Diplomate Ottonis III. conferatur (41), ſatis quidem declarat hujuſce Baſilicae & antiquitatem religionis, & amplitudinem patrimonii. Verum, ut ante dixi, de tanto patrimonio, quod Imperatoria, quod Pontificia Auctoritas conſtabiliverat, quidnam modo reliqui videmus eſſe? Ubi tot domuum inſulae? ubi praedia? ubi latepatentes fundi? ubi piſcinae? ubi caſtra? ubi oppida? Omnia quidem vel barbarorum eluvionibus, vel bellorum incendiis, vel potentiorum aviditate, vel ipſa Monachorum incuria ita diruta, abſumpta, direpta, diſſipata ſunt, ut non omninò peſſime nobiſcum actum putem, quod in chartis Tabularii noſtri maneat tanti patrimonii memoria, inanis illa quidem ac luctuoſa, maneat tamen. Quid? quod ſacrarum aedicularum, quas noſtro Coenobio & adjectas & ſubjectas fuiſſe conſtat, vix nunc quidem veſtigia apparent? Horum tamen nomina ut

ne

(41) Vide in Appendice num. I.

ne omnino oblivione deleantur, hic in unum colligere accurateque deſcribere curavimus. Haec autem ſunt:

Eccleſia S. Dei Genitricis Aſturae in veteri Latio (42).

Eccleſia S. Euphemiae in agro Albano (43).

Eccleſia S. Mariae Verpoſae, *nunc Bonripoſo*, ultra Ardeam (44).

Eccleſia S. Stephani in territorio Morinenſi (45).

Eccleſia Sanctae Pacis Caſtaniolae in Campania Romana, ut ex Honorii Bulla pag. 227.

Eccleſia S.NN.Pontis Decimi in via Laurentina (46).

Eccleſia S. Salvatoris in Urbe ſub Aventino ad Marmoratam (47).

Eccleſia S. Nicolai in territorio Hoſtienſi (48).

Eccleſia caſtri S. Petri in Formis (49).

Eccleſia S. Suſannae. )
Eccleſia Sancti Blaſii ) *in territ. Alb. & Aric.* (50)
Eccleſia S. Georgii. )

Eccleſia Sancti Petri ad Vincula Urbis in colle Exquilino (51), Hieronymianis noſtris, qui per ea tem-

(42) Vide ſupra Cap. X. §. IV. pag. 169. atque in Append. num. III. VIII. & XIII. Item Barthol. Piazza. Gerarch. Cardinal. pag. 314.

(43) Vide hic Bull. Honorii III. not. (18), & in App. num. VII. XV. & XX.

(44) Vide in App. Inſtr. An. 1358. 9. & 23. Martii, atque Anno 1360. 27. Junii.

(45) Vide ſupra not. (34), & in App. num. I. & XXX.

(46) Vid. App. num. XXIII.

(47) Vid. App. num. II. & Ord. Roman. XII. apud Mabillon. Muſ. Ital. tom. 2. pag. 192.

(48) Vide in Diplom. Ottonis III. App. num. I.

(49) Vide Append. num. XXIII.

(50) In Appendic. num. I. Eccleſia autem S. Blaſii prope caſtrum Aſturae adhuc exſtat. Vide *Barthol. Piazza Gerarchia Cardinalizia* pagina 314. ubi de Albano.

(51) Contelorius refert, quod Mar-

Digitized by Google

tempora florebant, primum addicta Joannis XXIII. Diplomate *Dat. Romae XV. Aprilis Pontificatus Anno II.* mox Alexiano Coenobio ſubjecta uſque ad A. D. 1479. quo anno nobis loco cedentibus, a Sixto Papa IV. Canonicis Regularibus S. Salvatoris attributa eſt, qui etiamnum eadem potiuntur.

Eccleſia S. Mariae Rotundae Albani, quam, amotis Sanctimonialibus Auguſtiniani Inſtituti, nobis attribuit Eugenius Papa IV. Diplomate *Dat. Rom. Anno* 1444. *Non. Junii Pontif. An. XIV.* quamque deinceps millibus nummum venundare compulſi ſumus, ut Sedi Apoſtolicae ſummam perſolveremus, quae ad nos pertinebat, tributi ſcutorum 300000. ab Alexandro Papa VII. undecim Monachorum Familiis impoſiti, nunc pervenit ad Clericos Regulares Pauperes Matris Dei Scholarum Piarum.

Eccleſia S. Mariae Virginis Annuntiatae, vulgo *la Nunziatella*, bis mille paſſ. ab Urbe in via Ardeatina, nobis hodie una reliqua eſt, ex cujus bonis in emphyteuſim perpetuo conceſſis nobili Familiae de Minianellis annuum *canonem* percipimus. Sed de his alias redibit ſermo. Nunc, quid de Templo & Coenobio poſt mortem Honorii III. actum fuerit, inquiramus.

CA-

Martinus V. Pont. an. primo 15. Kal. Januarii, *eccleſiam collegiatam Sanctae Mariae in Monaſterio Monachis S. Petri ad Vincula Ordinis S. Hieronymi annexuit &c.* Vide Contelorium in Vit. Martini PP. V. edit. Rom. 1641.

# CAPUT XVI.

*Templi & Coenobii cura a Monachis Benedictinis ad Canonicos Praemonſtratenſes delata, Gregorio IX. Pontifice A. D. 1231.*

QUod ſecundae res negligentiam creant, veriſſime dictum eſt, atque in Alexiano etiam Monaſterio plane quidem aperteque declaratur. Nam poſt mirifice inventos Cineres SS. BONIFACII & ALEXII, tanta repente exſtitit, vel potius revixit erga antiquiſſimum Templum illud Chriſtianorum pietas atque religio, ut certatim aut operam aut opes ſuas ad ipſum augendum ornandumque conferrent, praeſertim quum Sanctiſſimorum Monachorum (1) & Martyrum, qui ex eo Coenobio prodierant, & vitae integritas & doctrinae ſplendor ex tunc iterum ad famam omnium ſermonemque occaſione data percrebuiſſet. Sed naturae humanae vitio quum nihil ſemper floreat, ſenſim dilapſa Diſciplina Monachorum, refrixit pietas Fidelium, ac demum priſtina illa Monaſterii gloria & dignitas obſolevit. Neque vero non ſuſpicor, tanto huic malo cauſſae aliquid attuliſſe cum praepotentium hominum cupiditatem, qui juſtitiae & religionis jura obliti, quanta vi, dolis, & malis artibus poterant, Monachorum patrimonia expilare non verebantur (2), tum publicas calamitates, & praeſertim triſtiſſimam conditionem illius temporis, quo Fridericus II. Imperator nefarium Romanae Eccleſiae, atque omni imbutum odio bel-

(1) Vide Cap. IX. & X.

(2) Legendus Muratorius de cauſſis imminutae Monachorum potentiae tom. VI. Antiq. Ital. med. aevi diſs. 72.

Digitized by Google

bellum indixerat (3). Et quidem Saraceni, gens ad impietatem praedamque nata, quum intellexiſſent, qui Eccleſiae defenſor eſſe debuiſſet, factum hoſtem omnium teterrimum, nacti opportunitatem temporis, Benedictinis coenobiis, & Caſſinenſi praeſertim, quod omnium opulentiſſimum habebatur, incendia, direptiones, vaſtitatem intulerunt. Quare Monachi ſuis deturbati ſedibus, alio demigrare coacti ſunt; & propterea nemini mirum videri debet, ſi praeclariſſime conſtituta Benedictinorum Diſciplina magna ex parte diſſolveretur (4): quae calamitas ad Alexianum pridem Coenobium fortaſſe manavit. Sed utcunque res fuerit, Gregorius (5) Pontifex hujuſce nominis Nonus, quem Chriſtianae & Monaſticae praeſertim Diſciplinae inſtaurandae vehementer cupidum



(3) Rainaldus in Annal. Eccl. ad An. 1228. num. 15. refert, Fredericum *ingentem Chriſtianorum & Mahometanorum exercitum ad Eccleſiae ditionem invadendam adornaſſe*; atque ad An. 1229. num. 35. Litteras affert Gregorii IX. Dat. Peruſii IV. Kal. Octobris anno III. quae ſic incipiunt: *Quum Fridericus Imperator, confuſo negotio* Terrae *Sanctae, cum Saracenis & aliis Infidelibus ad conculcandam Romanam Eccleſiam ... totis anhelet affectibus &c.*

(4) *Nobile Monaſterium Caſſinenſe .... in illum caſum ignobilitatis adduxit, ut caſtris, vaſſallis, & poſſeſſionibus ſpoliatum .... venerando Monachorum depulſo Collegio, praedonum contagiis deputavit* ( Fridericus ); *per quod felix illa Religio ... in Ordinis contumeliam relegata, in ſaeculares abuſus commutare cogitur Obſervantias Regulares &c.* ex Vita Gregorii Papae IX. Cardinalis de Aragonia in Vitis Rom. Pontificum apud Murator. tom. III. Rer. Italicarum. Chronicon autem Riccardi de S. Germano ad An. 1229. haec habet: *Monachi Caſſinenſes de ſuis obedientiis captis omnibus, quae habebant, expelluntur, ipſo duce* ( Spoleti ) *mandante; & metus cauſſa multi ipſum mutare habitum coacti ſunt.* Vide Murator. tom. 7. Rer. Ital.

(5) Gregorius IX. *Ugolinus* antea vocatus, patria Anagninus, ex illuſtri Comitum Signiae genere natus, Honorio III. Rom. Pontifici ſuffectus A. D. 1227. Eccleſiam rexit annos quatuordecim, & prope centenarius obiit A. D. 1241. Vide Ciacconium in Gregorio IX.

Digitized by Google

fuiſſe ſatis conſtat, Alexianum Coenobium in priſtinum honoris ſtatum reſtituendum curavit. Nam, quum ea maxime aetate vigeret Praemonſtratenſium (6) Canonicorum Familia, novum hoc Monaſterio noſtro praeſidium comparat, ac Pontificium Diploma emittit, quo & Templi & Coenobii praefectura, nec non quidquid juris, rerum, & praediorum illis eſt, Praemonſtratenſibus, modo quos nominavi, Canonicis deferendum ſtatuit, abrogato omni Benedictinorum jure. Diploma autem vel Bulla eſt hujuſmodi:

*GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI*

„ Dilectis Filiis Abbati (7) & Conventui Praemonſtra-
„ tenſi ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

*OFficii noſtri credimus laudabiliter proſequi actionem, quum nos, quibus omnium Eccleſiarum eſt ſollicitudo commiſſa, de iis, quae ad jus & proprietatem Beati Petri pertinere noſcuntur, ſpecialiter cogitamus, ſicut earum neceſſitati & utilitati dignoſcitur expedire. Attendentes ergo non modicum lapſum Monaſterii Sancti* ALEXII *de Vrbe, Sedis Apoſtolicae ſpecialis, poſiti in loco, qui mons Aventinus vocatur, & cupientes illud in ſpiritualibus & temporalibus, ſicut indiget, in melius reformari, cum Religio veſtra, cujus bonus odor longe lateque diffunditur,* *Deo*

(6) Praemonſtratenſium Canonicorum Ordinem S. Norbertus inſtituit A.D. 1120. in Dioeceſeos Laudunenſis loco, qui *Praemonſtratus* dicitur; atque illum Calixtus II. R. P. approbavit, Honorius II. confirmavit, aliique Romani Pontifices privilegiis donarunt, quae leguntur in *Bibliotheca Praemonſtratenſi P. le Paige*.

(7) Is erat Conradus natione Suevus Abbas Generalis ordine XIV. de quo vide Biblioth. Praemonſtr. lib. v. pag. 326.

Digitized by Google

*Deo ſit & hominibus gratioſa, de Fratrum noſtrorum conſilio Monaſterium ipſum cum omnibus eccleſiis, poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis, ſalvo cenſu Eccleſiae Romanae debito, ac ſervata ipſius Monaſterii libertate, vobis veſtriſque ſucceſſoribus praeſenti privilegio duximus concedendum; ita quod Abbas, Canonici, & Converſi ejuſdem, qui pro tempore fuerint, Regulam & Ordinem Praemonſtratenſem tenere debeant, inviolabiliter ac ſervare. Ac tu, Fili Abbas, & ſucceſſores tui viſitandi, corrigendi, & reformandi ſecundum Ordinis ſtatuta plenam habeatis ibidem & liberam poteſtatem. Nulli ergo &c. Siquis autem &c.*

*Datum Laterani VIII. Kal. Februarii Pontificatus noſtri Anno Quarto.*

Hae Gregorii Pontificis Litterae veriſſimam cauſſam afferunt, quamobrem Sodalibus Benedictinis in adminiſtrando Templo ac Coenobio SS. BONIFACII & ALEXII Praemonſtratenſes Canonici ſuffecti fuerint. Per ea enim tempora nova haec Religioſorum Hominum Familia (ut recentiora quaeque magis probantur) adeo profluxerat ad famam atque exiſtimationem hominum, ut vera virtus, & Chriſtianae pietatis diſciplina nuſquam melius quam apud eos verſari ac florere diceretur (8). Mirum ſane illud, nec ſine praeſenti Divini Numinis ope factum videtur, quod Familia eadem, licet humili atque obſcuro loco nata, qui *Praemonſtratus* quum diceretur, nomen hominibus in-



(8) *Sic per Dei gratiam brevi tempore profecit, ut nullum poſt Apoſtolos videamus hodie tantum fructum in Eccleſia feciſſe.* Ita de Inſtituto S. Norberti ſcribit ſaec. XII. Hermannus Monachus in Hiſtoria reſtaurationis Abbatiae S. Martini Tornacenſis, lib. III. cap. 5. tom. XII. Spicilegii Dacheriani pag. 448.

indidit, perexiguo tempore adeo ſuccreverit ac propagata fuerit, ut non Galliam modo fere totam, ſed & Germaniam, & Aſiam quoque ipſam late pervaſerit: Nam quum a primo ipſius ortu triginta vix anni effluxerint, jam centum Abbates ex iis provinciis, modo quas nominavimus, ſua ad comitia convenisse dicuntur (9): quinimmo quum a novo illo vitae Inſtituto nec feminae quidem ipſae abhorruiſſent, jam perbrevi illo tempore Sanctimoniales Praemonſtratenſes ad decem millia fuiſſe feruntur. Sed de Praemonſtratenſium rebus accurate conſcripſerunt Hermannus Monachus Auctor ſaeculi XII. Jacobus a Vitriaco, Aubertus Miraeus, & *P. le Paige* in Bibliotheca Praemonſtratenſi (10). Neque mihi aliud commemorari neceſſe eſt, niſi quod ante dixi, ſapientiſſimum Pontificem Gregorium IX. tanta Religioſi Ordinis fama permotum, *cujus bonus odor longe lateque diffundebatur*, voluiſſe, ut Romae etiam, quae Religionis caput eſt, atque in Alexianis Aedibus domicilium ſuum Praemonſtratenſes Canonici collocarent: quod deinceps factum eſſe refert etiam Aubertus Miraeus his verbis: „ In „ ipſa Roma S. ALEXII Domus olim Norbertinae „ Familiae Monaſterium fuit, Abbatiali titulo in- „ ſignitum, idque beneficio Gregorii IX. Pont. Maxi- „ mi; quam tamen Domum hodie Hieronymiani So- „ dales poſſident.

Et

(9) *Quum nec dum trigeſimus annus ... per diverſas orbis partes conſtructa audivimus ... jam fere centum Monaſteria a Sequacibus ejus* ( Divi Norberti); *etiam in Hieruſalem uſque Regula eorum ſervatur &c.* idem Hermannus ibidem.

(10) Hermannus Monachus tum loco laudato, tum lib. III. de Miraculis Sanctae Mariae Laudunenſis cap. I. Jacobus a Vitriaco Occidentalis Hiſtoriae cap. XXII. Aubertus Miraeus in Chronico Praemonſtratenſi, *P. le Paige* in Bibl. Praemonſtratenſi &c.

Digitized by Google

Et Domum quidem adhuc poſſidemus ſingulari Martini Papae V. beneficio (qui Pontifex non aptius laudari poteſt, quam eo elogio, quod ejus ſepulcro in baſilica Lateranenſi inſcriptum legitur, ubi *temporum ſuorum felicitas* nominatur). At praedia & bona plurima, in quorum poſſeſſionem Praemonſtratenſes immiſſos fuiſſe ex Actis Tabularii compertum habeo, adeo injuria temporum, vel eorundem Canonicorum incuria abſumpta & diſſipata ſunt, ut vix illorum memoria ſuperſit, quemadmodum paullo antea dicebamus (11).

Ceterum hujuſce Monaſterii adminiſtrationem Praemonſtratenſes Canonici annos ferme ducentos obtinuerunt, hoc eſt, quoad nos ſeu noſtros ad Hieronymianos pervenit, uti ex accurata ipſorum Abbatum Praemonſtratenſium deſcriptione conſtat, quam mox afferemus.

(11) Vide ſupra Cap. XV. pag. 223.

CA-

# CAPUT XVII.

## *Abbates Saecul. XIII. & XIV. ab A. D.* 1231. *ad* 1390.

QUemadmodum Templi & Coenobii SS. BONIFACII & ALEXII adminiſtratio omnis a Benedictinis Monachis ad Praemonſtratenſes Canonicos A. D. 1231. tranſlata fuerit, ſatis explicatum arbitror Capite ſuperiore. Sequitur, ut Abbates ejuſdem Familiae ordine proferam, & qui qualeſque viri fuerint exponam.

Verum primus omnium, qui exſtiterit, praeſertim ſpatio quatuor annorum, nullis inveni traditum eſſe monumentis litterarum. Suſpicor autem, illum eundem fuiſſe *Angelum* Presbyterum, quem comperi Anno 1235. fundos aliquot emphyteutico, quod vocant, jure poſſidendos conceſſiſſe *Gratiano* cuidam *de Scrophano*. Sic enim in Actis legi: (1) *Anno Dominice Incarnationis MCCXXXV. . . . menſis Februarii die XVII. Nos quidem Presbyter Angelus, ſicut Prepoſitus, Rector, & Amminiſtrator . . . . Abbas SS. BONIFATII* . . . . . locamus *tibi Gratiano de Scrophano, & tuis legitimis filiis &c. . . . . partem totius tenimenti noſtri . . . . poſiti in Merulano in tenimento Scrophani* (2) *&c. pro XXX. ſollis proviſinorum* Se-

(1) Inſtrum. videſis in Append. num. XXIV.

(2) *Scrophanum* duodecim circiter millia paſſuum ab Urbe diſtat ad ſiniſtram viae Flaminiae, pertinetque ad Excell. Gentem Chiſiam. Vid. Tab. Topograph. Ameti inſcriptam: *Tuſcia Suburbicaria*.

Digitized by Google

*Senatus &c.* (3). At idem Angelus quid praeclare geſſerit, & quoad vixerit, ſilentium ac tenebrae. Illud tamen ex laude, qua per ea tempora Praemonſtratenſis Familia florebat, veroſimillimum videtur, hominem fuiſſe diligentem, probum, pium, & omnino dignum, qui tantam exſpectationem ſuſtineret.

Non hic praetereram Nicolaum Praemonſtratenſium Abbatem Generalem ordine XVII. qui Romam quum veniſſet A. D. 1241. ut Cauſſam ſuam ageret apud Pontificem Maximum, Alexianis in Aedibus exceptus, mox febri correptus de vita deceſſit, illicque ſepultus eſt, ut refert Paigius (4).

Sed

(3) *Proviſinos*, de quibus diximus pag. 199. not. (28) commemorant etiam antiqui lapides in aedibus S. Praxedis de Urbe, qui mendoſe editi fuerunt in Opere, cujus titulus: *Notizie al Pellegrino della Baſilica di S. Praſſede* del Padre Abbate *D. Benigno Davanzati* lib. 2. cap. VIII. In iis legitur, quod Anno Domini 1259. Petrus Capoccius Cardinalis Diaconus S. Georgii ad Velum aureum (nempe ad Velabrum, (a) non autem ad *Verbum aureum*, ut legitur apud *Davanzatum*) teſtamento legavit *CCCCC. libr. proveniensium ad emendum poſſeſſiones*; & *An.* 1331. *Cecchus de Peteſce* (*Peteſia* pagus eſt in Sabinis, qui nunc vocatur Peteſcia) reliquit *pro anima ſua CC. libr. proviſinor.* Lapidem hunc abs ſe accurate exſcriptum affert Clariſſ. Eques Victorius in celeberrimo Opere, cujus titulus: *il Fiorino d'oro antico illuſtrato* part. 1 cap. 3. qui etiam advertit, libras proviſinorum conſtitutas fuiſſe ex ſolidis, ſolidos vero ex proviſinis. Et quidem duo proviſini ſolidum unum aequabant temporibus Bonifacii VIII. quibus a Nicolao Frangipani deſcripta ſunt bona S. Joannis ante portam Latinam, quorum vetus inventarium affert Creſcimbenus lib. III cap. 6. Hiſt. S. Joan. ante portam Latinam pag. 205. *tenetur annuatim nomine penſionis ſolvere IV. proviſin. aut ſol. II. Ibidem: IV. proviſin. vel ſol. proviſin. II.* & pag. 206. *proviſin. IV. aut ſol. proviſin. Sen. II.* Quanti autem valuerint proviſini, adhuc dubium & obſcurum.

(4) Joannes le Paige Biblioth. Praemonſtratenſ. lib. v. pag. 934. de Nicolao haec refert: *Nicolaus de Abbatis-Villa, ex Canonico S. Joannis An-*

(a) De Velabro frequens mentio fit apud Hiſtoriae Romanae Scriptores. Vide Donatum de urbe Roma lib. 2. cap. XV. Nardinum Rom. Ant. lib. V. cap. V. & prae ceteris *il Fiorino d'oro illuſtrato* pag. 457. & ſeq.

Digitized by Google

Sed Anno 1242. Coenobii praefecturam delatam jam video ad *Laurentium*, qui ipſam annos forte decem obtinuit, ut ex antiquis Tabularii chartis apparet, quae in Appendice leguntur.

Ex his (5) nec a re propoſita alienum, neque Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudioſis ingratum fore arbitror, ſi afferam pacta quaedam emphyteuticae conceſſioni ab eodem Laurentio adjecta, quibus conductores quarumdam aedium, nec non poſteri eorum tenebantur Templo SS. BONIFACII & ALEXII ſua corpora dare ad ſepulturam. *Anno Dominice Incarnationis milleſimo CCXLIII. In Romana Eccleſia Paſtore vacante . . . . Februarii die XI. Nos Dopnus Laurentius Abbas Ven. Monaſterii SS. BONEFATII & ALEXII . . . . relocamus tibi Jacobo Odderiſcii, tuisque &c. tres partes unius domus . . . cum porticu & placza ante ſe uſque in viam carrariam* (6) *. . . . & omni anno in Feſtivitate Sancti ALEXII reddatis nobis no-*

*Ambianenſis . . . in Abbatem Dompni Martini promotus, poſtmodum fuit in Praemonſtratenſem Abbatem* (Generalem) *a Fratribus poſtulatus. Qui conſentiens poſtulationi praedictae, quum praeſentaretur Epiſcopo Laudunenſi, ab eo officii ſui plenitudinem percepturus, idem Epiſcopus noluit ipſum admittere in gratiam ſuam, niſi examinatione praemiſſa, contra privilegia Ordinis & ſtatuta. Unde ſentiens ſe ſuper hoc gravari, ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Ad quam perſonaliter cum laboribus gravibus & expenſis accedens, in ipſa proſequutione Cauſſae febribus diſſolutus, obiit undecimo Kalendas Auguſti Anno Gratiae milleſimo ducenteſimo quadrageſimoprimo, & in Eccleſia S. ALEXII de Urbe, tunc Praemonſtratenſis Ordinis, obtinuit honorifice ſepeliri in ſarcophago S. BONIFACII* ( unde hoc hauſerit Paigius, vel quam fidem habere poſſit, haud ſcio) *a parte dextera Eccleſiae ſupradictae. Praefuit anno uno, tribus menſibus, & tribus diebus &c.*

(5) Append. num. XXVI. XXVII. & XXIX.

(6) Via carraria paſſim legitur in antiquis Archivi noſtri chartis, atque etiam in Bulla Innocen. PP. III.; Bullar. Caſſinen. tom. 2. pag. 243. Sed Ducangius in Gloſſario viam quamlibet, qua currus vehi poteſt, eo nomine appellatam tradit.

Digitized by Google

*noſtriſque ſucceſſoribus pro pentione IIII. denariorum Papienſium* (7) *&c. & corpora veſtra, & quibus hec locatio pervenerit, preſato Monaſterio ſepelliri debeant* (8).

Nondum quippe ſanctiſſima illa Bonifacii VIII. lege, quae in Sexto Decretalium (9) circumfertur, cautum fuerat, ut nemo Clericorum Chriſtianos homines adigeret ad extremum funeris & ſepulturae honorem ſuis in templis curandum. Quam legem non dubito dicere fortaſſe natam, ad coercendam Clericorum Monachorumque cupiditatem ſeu avaritiam, quum habere quaeſtui Religionem turpe admodum ſit ac nefarium. Atque haud ſcio, utrum ab ipſis Monachis inducta ſit conſuetudo intra templa ipſa ſepeliendi corpora Chriſtianorum, quum antea, non dico extra Urbem (qui mos apud veteres (10) Ro-

I i ma-

(7) De denariis Papienſibus vide ſupra pag. 193. not. (12).

(8) Inſtr. vid. in App. num. XXVII.

(9) In Sexto Decretalium lib. 3. tit. 12. cap. 1. haec leguntur: *Animarum periculis & ſcandalis, quae frequenter ex his proveniunt, obviare volentes, univerſis Religioſis & Saecularibus Clericis, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exſiſtant, in virtute ſanctae obedientiae, ac ſub interminatione maledictionis aeternae diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent &c.*

(10) Lege XII. Tabularum cautum fuerat, ne quis in Urbe ſepeliretur. *Hominem mortuum in Urbe ne ſepelito, neve urito*. Vide Jan. Vinc. Gravin. Orig. Jur. Civil. ad legem XII. Tabul. Hadrianus Imperator, Uſpiano teſte, poenam ſtatuit aureorum quadraginta in eos, qui in civitate ſepulcra feciſſent. Vide Caelium Rhodigin. lib. 17. Antiq. Lect. c. 19. Giraldum de Vario ſepeliendi Ritu. Jo. Kirmannum lib. 2. de Funeribus cap. 22. Gutherum de Jure Manium lib. 3. cap. 33. De Trajano tamen Euſebius in Chron. haec refert: *oſſa ejus in urnam auream collata, & in foro ſub columna poſita, ſoluſque omnium intra Urbem ſepultus eſt*. Sed demum Leo Imperator in Novel. 53. legem illam irritam fecit, mandavitque cadavera intra oppidorum moenia ſepelienda. Vid. Joan. Meurſium in tract. de Funere, Boſium Rom. Subterr. lib. 2. cap. 26. alioſque.

manos vigebat), ſed certe extra templa loco ad eam rem pie religioſeque deſtinato ſepulturae mandarentur (11). Sed de his ſatis. Ceterum Laurentium Abbatem diligentiſſimum fuiſſe in augenda religione erga Templum S. ALEXII, ex eo facile conjici poteſt, quod ab Innocentio IV. in Gallias profecto ad Lugdunenſe Concilium Bullam Indulgentiae, quam vocant, impetravit pro Chriſtianis quibuſque, qui Templum noſtrum tum die feſto S. ALEXII, tum per octo conſequentes dies ſancte venerarentur.

*INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.*

„ Dilectis Filiis, Abbati & Conventui Mona-
„ ſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Ur-
„ be, Praemonſtratenſis Ordinis, ſalutem & Apoſto-
„ licam Benedictionem.

*Loca Sanctorum omnium pia & prompta devotione ſunt a Chriſtifidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, illi nos amabiles Deo reddant, & ipſorum nobis vendicantes quodamodo patrocinium, apud ipſum, quod merita noſtra non obtinent, eorum mereamur interceſſionibus obtinere. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii veſtri congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in Feſto Beati* ALEXII, *cujus eſt vocabu-*

(11) Pelagius II. A. D. 580. decrevit, ut *corpora defunctorum nullomodo intra baſilicam ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt, foris circa murum baſilicae.* Vid. Baron. qui ad An. 226. n. 7. & An. 383. n. 17. de re hac plura diſſeruit, & Catalan. Com. Pontif. Rom. tom. 2. de Benedict. Coemeter. tit. 6.

Digitized by Google

*bulo inſignita, & infra octo ſequentes dies venerabiliter viſitarint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, quadraginta dies de injunctis ſibi penitentiis annis ſingulis miſericorditer relaxamus.*

*Datum Lugduni II. Kal. Auguſti Pontificatus noſtri Anno Octavo.*

Laurentio ſucceſſit *Dompnus Jacobus Humilis Abbas Venerabilis Eccleſie Sanctiorum BONIFATII Martiris & ALEXII Confeſſoris* (12). Hujus hominis & ceterorum fere omnium virtutes reſque praeclare geſtas, ſiquae fuerunt, vel reticentia Scriptorum, vel poſteritatis oblivione plane interierunt; quod niſi vetuſta noſtri Tabularii Acta ſive, ut ajunt, *Inſtrumenta* fuiſſent, quae mihi in tanta rerum & temporum obſcuritate quaſi facem praetulerunt, vix & ne vix quidem ad nos eorundem Praemonſtratenſium Abbatum nomina perveniſſent. Quae quidem ego quum diligentiſſime inveſtigarem omnia, ſic reperiebam, Jacobum ipſum ad duodecim annos Coenobii praefecturam non indiligenter geſſiſſe; propterea quod Anno primum 1252. Paulo Canonico ſuae ipſiusmet Norbertinae Familiae adminiſtrandam dedit *eccleſiam Sancti Stephani Protomartiris Chriſti, poſitam in territorio Morinenſi ſubtus caſtrum, quod vocatur Morolum* (13); ſed Alexiani Monaſterii nomine dedit, & pro Abbatis arbitrio, ea inſuper etiam adjecta lege, ut ſacram illam aedem S. Stephani reſtituendam exaedificandamque curaret. Praeterea Anno 1262. *Angelo Presbytero*



(12) Append. num. XXXII. (13) Append. num. XXX.

*S. Marie in Coſmedyn* (14) fundos aliquot *Caſtaniolae* in emphyteuſim conceſſit, quorum deſcriptio in Actis legi poteſt, quae in Appendice afferuntur num. XXXII.

Ecce autem alter Abbas, cui nomen eſt *Raynaldus*, in Jacobi locum ſufficitur; atque hic etiam quid hominis eſſet, plane ignoro, niſi quod A. D. 1265. Dominae Mabiliae Guidonis Aſtaldi vineta duo prope Doliolum ſeu montem Teſtaceum, & A. D. 1266. vineolae partem in hortis Praefectis locare deprehenditur (15).

Sed Anno 1271. Coenobio moderantem video Abbatem Joannem, quem frugi virum fuiſſe, & profanos homines a diripiendis Monaſterii bonis cum vitae tum orationis gravitate deterrentem, hinc facile conjicio, quod Creſcentius Domini Leonis Alexianis Canonicis teſtamento legat *vallem, que vocatur Johannis Judicis*, & *centum ſolidos proviſinorum*; idque ſe agere conſcientia fraudum ſuarum ſtimulatum profitetur, nempe *pro ſubtractis & male ablatis* (16). Ejuſdem Abbatis ſive virtuti ſive felicitati tribuendum, quod *Petrus* quidam Henrici Romani filius & heres A. D. 1274. ad augendam antiquiſſimi Templi noſtri religionem dono dedit turrim & vineas omnes, quas ipſe poſſidebat *extra portam Appiam in loco, ubi dicitur vallis Johannis Judicis* (17). Anno autem ſuperiore ipſe Joannes Abbas Monialibus S. Mariae de Ma-

(14) Hiſtoriam baſilicae S. Mariae in Coſmedin fuſe accurateque deſcripſit Joan. Marius Creſcimbeni.

(15) App. num. XXXIII. & XXXIV.

(16) Appen. num. XXXV.

(17) Appen. num. XXXVIII.

Digitized by Google

Maxima (18) in emphyteuſim tradiderat (19) praedia propter Appiam viam eo loci, qui ex apparitione Chriſti Domini ad Petrum Apoſtolum Roma revertentem dicebatur *ubi Dominus apparuit* (20), ſeu *Domine quo vadis*, haud procul ab aedicula ſacra, quam Paulo III. Pontifice Reginaldus Sac. Rom. Eccleſiae Cardinalis Polus exſtruxit, ejuſdem apparitionis memoriae publicae retinendae cauſſa.

Joannem excepit *Aſcanius*. Hoc enim homini nomen fuiſſe arbitror, tametſi in vetuſtis Tabularii chartis corrupto forte vocabulo *Scambius* & *Scangius* appelletur. Chartas autem, quae illum Alexiani Coenobii Abbatem fuiſſe admonent, comperi quatuor. Harum duae (21) inducunt Aſcanium praebentem aſſenſum atque auctoritatem venditioni tum cujusdam paſcui in hortis Praefectis (22), cum duorum praedio-

(18) Mon. S. Mariae de Maxima ſeu S. Ambroſii prope forum Piſcium.

(19) Inſtrum. vid. in Appendic. num. XXXVII.

(20) Eccleſia S. Mariae, *ubi Dominus apparuit* Petro Apoſtolo, quum eductus e carcere Mamertini ſeu Tulliano (quem deſcribit Saluſtius de Conjurat. Catilinae) Roma egrederetur, eidemque interroganti: *Domine, quo vadis?* reſpondit *Chriſtus: venio iterum crucifigi.* Hiſtoriam hanc referunt D. Ambroſius contra Auxentium, Hegeſippus lib. 3. c. 2. S. Linus in Actis Martyrii Apoſtol. Petri & Pauli apud Bolland. die 29. Junii, & D. Gregorius in Pſal. 4. Poenitent. Exſtat. mille paſſus ab Urbe in via Appia ſacra aedicula Beatae Mariae de *Plantis* appellata; propterea quod ibi in ſaxo duriſſimo adoranda veſtigia pedum ſuorum Jeſus Chriſtus impreſſa reliquerit, quum Petro apparuit; atque in baſilica S. Sebaſtiani adhuc oſtenditur tabula marmorea cum veſtigiis iiſdem. Conſulantur Petrarca lib. 2. ep. 9. Baron. ad An. 69. Panvinius de 7. Urbis Eccleſiis, Severanus, Pancirolius, & prae ceteris Fr. Maria Turrigius in *Cryptis Vaticanis* part. 2. cap. IV. pag. 193. & in Sacris Trophaeis Romanis cap. VII. & IX.

(21) Vid. in Append. num. XXXIX. & XL.

(22) De hortis Praefectis vid. ſupra pag. 228. not. (12).

Digitized by Google

diorum, quae *Prior eccleſie Sancte Marie Nove* (23) acquiſiverat *extra portam Appie in loco, qui dicitur Formellus* (24), *juris Monaſterii S. ALEXII*; in altera piſcinas Monaſterii ad Tyberim locat Aſcanius Abbas pro annua penſione *XL. ſol. proviſin. Senatus*, ea inſuper adjecta lege, ut in ſingulos annos conductor reddat *XIIII. laceas* (25) *bonas, groſſas, ovatas &c. que dicto Domino Abbati & Canonicis placeant* (26). Poſtremo A. D. 1279. hortum quemdam tradit Thomae Raynerii hoc pacto, ut quotannis in die feſto Aſſumptionis B. Mariae Virginis Monaſterio perſolvat *ſedecim ſollos proviſinorum, & unam rubricellam bonarum ceparum ad culmum ad rubricellam Senatus* (27). Ex hoc quadruplici Inſtrumento, quod Aſcanius Abbas fuerit, & quandiu fuerit, facile intelligitur. Fuit autem Abbas ab Anno 1277. ad Annum uſque 1281.

Hoc enim anno alterum video Abbatis munus gerentem, *Stephanum* nomine, qui conductoribus praediorum agri Albani *in loco, qui vocatur Oliari* (28), legem addidit, quam diximus, ſepulturae in Alexiano Templo. Is Anno 1287. ex teſtamento *Johannis de Papa* legatum accepit *LX. ſollos proviſinorum* pro annua penſio-

(23) *Eccleſia S. Mariae Novae* in foro juxta viam Sacram, de qua Anaſt. Bibliothec. in Vita Nicolai PP. I. ait: *Eccleſiam Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariae, quae primitus Antiqua, nunc autem Nova vocabatur, quam Dominus Leo IV. Papa a fundamentis conſtruxerat, ſed & picturis eam decoratam iſte Beatiſſimus Traeſul* (Nicolaus PP.) *pulchris ... ornavit &c.* Vide Ciampin. Vet. Monum. part. 2. cap. XXVII. Martinell. in Roma ex Ethnica Sacra.

(24) *Formellus* a formis aquarum. Vid. ſup. pag. 234. not. (32).

(25) *Lacea* piſcis genus etiamnum frequens in Tyberi, de quo tamen non meminit Laurentius in Latino Onomaſtico piſcium &c.

(26) Vide Inſtr. in App. num. XLI.

(27) Append. num. XLII.

(28) Vide infra not. (38), & in Append. num. XLIII.

Digitized by Google

ſione, quae debebatur ex bonis Monaſterii in hortis Praefectis, *& X. libras proviſinorum pro uno calice, qui conſtet X. libris* (29). Sed ex tabulis venditionis vinearum in valle *Ariciae* (30), & emptionis hortorum in agro Viterbienſi, quae fit ab eodem Abbate Stephano Anno 1288. haud ſcio, utrum, quid eo tempore librae *paparenorum* (31) haberent, dilucide explicari poſſe videatur. Qua de re Muratorius ipſe eruditionis laude Clariſſimus quidquam certi exploratique afferre ſe poſſe negat (32). Ego vero habeo tria Tabularii noſtri Acta veluti ſigna, quae licet omnino clariſſima non ſunt, videntur tamen plurimum adimere vel obſcuritatis vel erroris. Ergo in altero eorundem Actorum, quod legitur in Append. num. XLVII. cuique fides omnis adhibenda, ſic ponitur, florenos LXXVII. ſeu mavis florenos LXVII. una cum octo libris proviſinorum (33) adaequaſſe CCCV. libra-

(29) Append. num. XLV.

(30) Aricia celebris olim urbs Latii, nunc oppidum Campaniae Romanae 15. millia paſſuum ab Urbe. De valle Aricina, de ſylva, in qua Aegeria nympha, de lacu ſeu ſpeculo Dianae, & Feriis Dianae Aricinae &c. prae aliis vide Corradinum in Vet. Latio prof. lib. 1. cap. 8. & 13.

(31) *Papareni* monetae genus haud infrequens in chartis ſaec. XIII. Lud. Muratorius Antiq. Ital. medii aevi diſſ. 27. chartam affert, cujus titulus: *Promiſſio & obligatio Syndici caſtri Centumcellarum ſuper cenſu annuo quinquaginta librarum Paperinorum Rom. Eccl. ſolvendorum, A.* 1291. diſtinguendi tamen a populinis, de quibus vid. Floren. Illuſtr. p. 2. cap. 5.

(32) En Murat. verba: „ Praeterea invenio ſaeculo Chriſti tertiodecimo Romae in curſu fuiſſe denarios paperinos &c.... Quid autem paperina pecunia fuerit, incompertum mihi fateor. Aut ab inſigni gentilitio (nunc *arme* appellamus) Senatoris nomen inditum denariis, fortaſſis enim anſerculum, quem *papero* Italica lingua nuncupat, ille pro inſigni gerebat, aut ab ipſius Senatoris nomine aut agnomine &c. Vide ibidem diſſ. 27. pag. 566.

(33) *Proviſinorum*, quorum libram Grimaldus aeſtimat ad ſcuta duo & obol. 50. Vid. ſup. pag. 199. not. (28).

Digitized by Google

brarum *paparenorum*, ſed ex eo genere, quod *minutorum* erat; in altero vero, quod eſt in App. num. XLIX. florenos XLIV. adaequaſſe librarum *paparenorum* CLXX. ſummam. Hoc autem conſtituto, commode & ad rationem inſtitutae quaeſtionis, ut arbitror, vere explicatur, quanti librae *paparenorum minutorum* fuerint. Videntur enim eo ſaltem tempore (34) juliis, ut vocant, ferme quinque conſtitiſſe; ſiquidem florenum juliis viginti (quanti plerique homines habebant) aeſtimaveris. Sed aliud praeterea video fuiſſe genus paparenorum, quorum libras ſingulas ad ſummam juliorum duodecim cum ſemiſſe perveniſſe conjicio ex Inſtrumento num. XLVI. in quo ponitur, ducentas libras paparenorum exaequaſſe florenos CXXVII. Sed de his ſatis.

Ceterum plurima alia bona, fundos, agros, & uberes campos numerata pecunia ſibi ſuiſque Monachis ſtudioſe comparaſſe Stephanum, copioſe oſtendunt Acta ea de re conſcripta, quae ne legentibus hic faſtidium creem, in Appendicem amandare lubet (35); quaeque illum diligentis & probi Abbatis muneri abunde ſatisfeciſſe evincunt.

Jam vero A. D. 1296. Monaſterii noſtri Abbatem fuiſſe Virum Religioſum, Franciſcum nomine, declarat donatio praedioli cujusdam in agro Albano, quae eidem Monaſterio facta eſt a Pandulpho Sabellio, viro Urbis primario, & eam ob cauſſam facta, ut ſua cer-

(34) Qui nunc julii a Julio II. pauli a Paulo III. Pontificibus nomine derivato dicuntur, olim *groſſi* & *caroleni* nominabantur. Vide quae nuperrime diſſeruit Clariſſ. Eques Victorius in Floren. illuſtrat. par. 2. cap. 25. & 27.

(35) Vide Append. num. XLVIII. & XLIX.

Digitized by Google

certa dos conſtitueretur Sacello ſive, uti vocant, *Cappellae*, quam Divo Jacobo ſacram cum Pandulphus ipſe, tum alii e Sabelliorum Familia in Alexiano Templo aedificandam ornandamque curaverant. En donationis verba: (36) *Anno Dominice Incarnationis milleſimo CCXCVI. &c. Coram me &c. Notario &c. Nobilis Vir Dñus Pandulfus de Sabello* (37) . . . *ſpontanea voluntate inter vivos donavit, & titulo donationis dedit & conceſſit Religioſo Viro Dño Fratri Franciſco Abbati, & Fratri Angelo Priori Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII, preſentibus & recipientibus pro dicto Monaſterio, pro dote videlicet Cappelle vocate Sanctus Jacobus, quam dictus Dñus Pandulfus, & alii de Domo ſua conſtruxerunt & conſtrui fecerunt in predicto Monaſterio &c. unam pedicam terre &c. poſitam territorio Albanenſi in loco, qui vocatur Oliari* (38), *cum ciſterna in ſe &c.* Increbruerat enim per ea tem-



(36) App. num. LI.

(37) De Pandulpho Sabellio agunt Marius Aequicola in Hiſtor. Mant. pag. 51. Platina in Vita Honorii PP. IV. Franciſcus Sanſovinus *delle Famiglie Illuſtri d' Italia*, Jacobus Zabarella in Aula Heroum, aliique paſſim, prae quibus Joannes Selinus haec habet: *An. 1249. Kal. Jan. Poteſtas Urbis Veteris Pandulphus* de Sabelliis *de Roma, qui fecit ampliare palatium Communis, & fecit fontem plateae majoris; & fuerunt facta in Urbe Veteri nova ſtatuta &c.* His ſimilia leguntur in codice ms. bibliothec. Frangipanae, cujus titulus, *Genealogia di Caſa Savelli*, ſcilicet: *Pandolfo Savelli fratello d' Onorio IV. fu Podeſtà in Orvieto, ove rinnovò i ſtatuti, & abbellì di fabbriche quella città, fu Senatore di Roma nel Pontificato d' Onorio ſuo fratello, di Nicolò IV. e di Bonifacio VIII. &c.*

(38) *Oliarii* meminerunt Litterae Caeleſtini PP. III. Dat. Laterani XVIII. Kal. Januarii Pont. an. quinto, hoc eſt, A. D. 1195. quas affert Creſcimben. lib. 3. Hiſt. S. Jo. ante portam Latinam. In iis enim confirmatur Sententia Oddonis Dativi Judicis, cujus haec ſunt verba: *Condempno Roffredam & Maximum fratrem in reſtitutionem unius petii terre poſitum territorio Alban. in loco, qui dicitur Oliarii, cui a primo latere eſt via, que vadit ad Sulfuratas, a ſecundo*

Digitized by Google

tempora opinio quaedam, ſive illa quidem vera ſive aſſentatorie conficta, Sabelliorum Gentem ab antiquiſſima nobiliſſimaque Euphemiani Alexiique ſtirpe profectam fuiſſe: qua opinione facile inductus Pandulphus ille, modo quem nominavimus, Sacellum conſtruxit dotavitque, appoſito Sabelliae Gentis ſtemmate (39). Sed Sacellum, Divi Jacobi quod dicebatur, nova *Scalarum S. ALEXII* ſive *Poenitentiae* appellatione nominari coepit; propterea quod ibidem Scalae, ſubter quas dicitur ALEXIUS caris parentibus ignotus ſeptemdecim annos obſcuram vixiſſe vitam, & glorioſam mortem obiiſſe, multitudini confluentium Fidelium oſtendebantur; & rurſus, completo novo Templi aedificio, eodem in loco reponentur, ad memoriam atque exemplum Chriſtianae demiſſionis animi inauditum ſane atque admirandum. Sed de *Scala S. ALEXII* (40) ite-

*do alia via, a tertio tenet eccleſia S. Anaſtaſie, a quarto Eccleſia Sancti Alexii . . . . & condempno Stephaniam ſororem Johannis Greci . . . . . . in reſtitutionem alterius petii, in eodem loco poſiti, cui a primo latere tenet Petrus Stephani Ciceronis, a ſecundo eſt via, a tertio Landulfus Scripniarius, juris Sancti Alexii &c.* Vide etiam lib. Miſc. rer. notab. Eccles. Lateran. pag. 43. & 68. in archiv. Lateranenſi.

(39) Stemma Gentis Sabelliae a Silveſtro Petra Sancta in Teſſeris Gentilitiis Romae edit. An. 1638. pag. 329. ſic deſcribitur: *Familiae Sabellae ſunt leunculi duo punicei, roſam concolorem avicula inſeſſam veluti arripientes, in coronide ſcutaria argento illuſa cum ſubjecta inſita coloris praſini, aquatili colubro caeruleo impreſſa, & cum imo ſcuti ſemiſſe lemniſcato balteis ternis aureis totidemque puniceis.* Vide Jo. Jacob. Chifflet.

(40) Aubertus Miraeus in Chronico Ord. Praemonſtrat. loquens de Templo S. Alexii in Circaria Romana, inquit: *Sub majori altari quieſcunt Corpora SS. Martyrum Bonifacii & Hermetis; a dextera altaris aſſervantur Gradus, ſub quibus S. Alexius in domo paterna poſt longam peregrinationem vixit ignotus &c.* Verum non de tota Scala ex integro, ſed de parva Graduum portione, quae ſub ara B. Virginis ibi etiamnum cuſtoditur intelligendus eſt; Scala ſiquidem ab hominum memoria in infimo ſiniſtri lateris Sacello jugiter aſſervata fuit.

Digitized by Google

iterum redibit ſermo. Nunc autem, quis homo fuerit Pandulphus, non alienum a propoſito videtur, ſi paucis explicem. Is Honorii IV. Pont. Maximi frater fuit, atque in Aventino habitabat prope S. Sabinae templum eo plane loco, ubi nunc Familiae Gymnaſiae domus ſita eſt, & quo Cardinales poſt ejuſdem Honorii obitum ad eligendum Succeſſorem conveniſſe dicuntur (41). Erat in eo priſca quaedam morum gravitas & vitae ſeveritas tanta, ut ſuorum temporum Cato alter haberetur & eſſet (42). Juſtitiae vero tam diligens & tenax cultor fuit, ut Romani, quoties Urbs frequentioribus latrociniis infeſtior facta erat, toties illum ſummo Senatoris magiſtratu praeditum vellent eſſe. Fuit autem Senator quartum, ſi fides iis adhibenda eſt, qui Senatorum ſeriem deſcripſerunt (43). Ergo is Pandulphus ut ad innocentiam,



(41) Audiendus Platina in Vit. RR. PP. qui in Vita Honorii IV. ita ſcripſit: „ Honorius Quartus, patria „ Romanus, e Gente Sabella..... „ Romam venit A.D.1285. fratre „ ejus Pandulpho Senatoriam Dignitatem tum gerente..... habitavit „ hic in Aventino apud Sanctam Sabinam, egregiaſque aedes, quarum veſtigia adhuc cernuntur in „ monte ipſo aedificans; eo ad incolendum multos quoque Romanos excivit. Unde brevi mons ipſe „ frequentibus aedificiis incoli coeptus eſt. Mortuo autem Honorio, „ decem menſibus Sedes tum vacat. „ Nam quum apud S. Sabinam Conclave haberetur, multi Cardinales repentina aegritudine ſunt correpti... Hanc ob rem ſoluto Conclavi, in aliud tempus magis ſalubre rem ipſam rejiciunt.

(42) Vide Franc. Sanſovin. *Dell' Origine e de' Fatti delle Famiglie Illuſtri d'Italia*, & Platin. in Vit.Hon.IV.

(43) Series Chronologica Senatorum Urbis legitur apud Creſcimbenum lib. III. cap. IV. Hiſt. Baſilicae S.Mariae in Coſmedin, atque in Tabula ab Joan. Franciſco Cecconio Romae edita A. D. 1737. hoc titulo, *De Senatoribus Urbis a Romulo fundatore uſque in praeſentem diem*, nempe uſque ad Excellentiſſimum Comitem Nicolaum Bielke, quem ex Regio Svecorum Principum genere ortum Clemens XII. fel. record. P. O. M. Urbis Senatorem creavit; quemque ad maxima quaeque natum hic honoris & amicitiae cauſſa nomino.

Digitized by Google

temperantiam, juſtitiam, adjungeret religionis & pietatis laudem, in Sacello, quod exſtruxerat atque dotaverat, cenotaphium ex marmore, Honorii IV. fratris memoriae faciendum curavit, quod ad noſtros uſque dies exſtabat; ſed quum propter recentiorem Templi aedificationem tolli aſportarique neceſſe fuerit, poſt opportuniore loco reponetur. Illud olim delineatum exhibuit Doctiſſimus Ciampinus (44), & nos hic repraeſentamus Tab. VIII. ex qua facile intelligitur, artificio prope eodem perfectum fuiſſe atque alterum illud, quod exſtabat in templo Aracaelitano (45). Hic enim ſepulcra Gentis Sabelliae, atque huc ipſius Honorii IV. corpus ex baſilica S. Petri, ubi primum ſepultum fuerat, Paulo III. Pontifice illatum fuiſſe ſatis conſtat (46). Picturam quoque cenotaphii noſtri, quae injuria temporis vix non exeſa, dum Templum reficeretur, tollenda fuit, exprimendam curavimus. Haec pictura referebat mediam Mariam Virginem ſedentem in ſella, atque Infantem Jesu gremio detinentem; ex altera parte Sanctum ALEXIUM ſtantem una cum Pandulpho in genua pro-

(44) Joannis Ciampini Vetera Monumenta par.prim. cap.XIX. pag.182. Tab. XLV. Fig. 3.

(45) Vide Oldoinum in notis ad Ciacconium in Vita Honorii IV. & Caſimir. *Memorie Iſtoriche della Chieſa e Convento d'Araceli* cap.V. §. IX. pag. 110.

(46) Panvinius in Epitome Romanorum Pontificum de Honorio IV. refert, quod *Anno Dominicae Nativitatis* 1297. *III.Non.Aprilis Romae mortuus eſt in patriarchio Lateranenſi, cadaver in baſilica Principis Apoſtolorum ſepultum eſt &c.* Oldoinus autem in notis ad Ciacconium in Vita Honor. IV. ſubdit: *Ex Vaticana baſilica ad eccleſiam S. Mariae Aracaeli juſſu Pauli III. Pontificis tranſlatum eſt Honorii corpus, & in ſacello marmoreo Majorum ſuorum conditum; cujus delineationem omnium oculis exhibuit Gualdus Ariminenſis Eques S. Stephani &c.* Hanc vide ibidem.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

provoluto, & Senatoriis Inſignibus ornato (47); ex altera vero S. BONIFACIUM quoque ſtantem una cum ipſius Pandulphi ſive uxore ſive, quod verius arbitror, filia Adrea, quae & ipſa provoluta in genua veſte induebatur candida, ſed quibuſdam viridibus veluti faſciis diſtincta, quae iis temporibus *frixiata veſtis* appellabatur. Quod autem fuerit filia potius quam uxor, moveor ad ſuſpicandum tum ornatu ipſo, qui puellarum non matronarum proprius videtur eſſe (48), tum quod Adream Pandulpho patri conjunctam video in Epigraphe eorundem ſepulcri, quae in templo Aracaelitano exſtat (49).

† . HIC . IACET . DNS . PADVLFVS . D' SABELLO . 7. DNA . ADREA . FILIA . EI' QL . OBIERT . ANO . DNI M.° CCC.° VI.° I VIG. BTI L...... (50).

Haec

(47) Habitus Senatorum in antiquis nummis expreſſus habetur apud Clariſs. Equ. Victorium, quem legeſis pag. 132. *Fiorino d' Oro &c.* Qualis fuerit ſaeculo praeſertim XIV. deſcribitur in veteri monumento apud Murat. Antiq. Ital. med. aevi to. 2. diſſ. 29. col. 860. his verbis: *L' abito Senatorio è queſto: un berrettone all' antica alla Ducale di broccato d' oro, foderato di pelle d' armellino, con calze di ſcarlato di grana, con ſcarpe di velluto roſſo con una fibbia d' oro, con una ſotanna di velluto cremeſino con bottoni d' oro, con una veſte alla Senatoria di broccato riccio ſoprariccio d'oro, foderata di pelle d' armellino con codette, e certi guanti di pelle bianca con un' orlo di ricamo d' oro e perle, con tre anelli in dito d' oro, uno era un rubino, l' altro un diamante, ed uno ſmeraldo, con una collana d' oro al collo, con una bacchettina d' oro in mano, con una pallottina e una crocetta in cima &c.*

(48) Vide Murator. Antiq. med. aevi diſs. 25. *de Textrina & Veſtibus ſaeculorum rudium.*

(49) *Memorie Iſtor. d' Araceli* cap. v. §. IX. pag. 111.

(50) Forte in Vigilia B. Laurentii. Anonymus bibliothecae Chiſianae & Joannes Capocci legendum putarunt *in Vigilia Beati Lucae*, Vadinghus *Beati Ludovici*, Butius *Beati Laurentii*. Quaenam lectio ſit praeferenda nec ipſe Caſimirus definit in notis, ubi ſupra.

Digitized by Google

Haec omnia, ut in lucem proferrentur, fecit cum ea charta donationis, quam e tenebris eduximus Tabularii noſtri, tum Sacrae Antiquitatis amor, quo id curae ſumpſimus, ut tam cenotaphium quam picturam lineamentis expreſſam exhiberemus oculis omnium. Ceterum hujus noſtri conſilii minus propterea poenitet, quod Joan. Marangonius, vir Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudioſus, jam nos indicta cauſſa, tanquam veterum everſores monumentorum accuſandos non dubitaverat (51). Qui profecto, ſiqua di-

(51) Verba ipſa Marangonii hic afferimus ex Hiſt. Sancti Sanctorum cap. 34. pag. 217. *Mi ſi permetta di dare alcuno sfogo alla giuſta pena e dolore, che ſperimentano tutti gli Eruditi amanti delle antiche ſagre memorie, che adornano e rendono molto venerabili e divote le chieſe antiche di Roma, nel vedere, che col preteſto di rinnovarſi, e maggiormente abbellirſi all'uſo moderno, vengono ſpogliate de' monumenti più divoti, prezioſi, ed eruditi, co' quali adornate furono dalla pietà de' noſtri predeceſſori Fedeli. Nella Chieſa di S. Aleſſio nel monte Aventino .... era un recinto &c. ed era appellata la Cappella di S. Aleſſio &c.* (ſi chiamava la Cappella della Scala), *in cui eſpoſta in alto era una Scala di legno, che dal muro orientale* (ſtà a mezzodì) *diſcendeva ſopra l' altare iſolato, rinchiuſa o foderata con criſtalli o vetri, che la rendevano viſibile* (ſi vede ancora, e ſi conſerva nella ſteſſa guiſa, e ſi riporrà nello ſteſſo luogo). *Nell'ingreſſo di queſta .... era un nobile depoſito o ſia ſarcofago di marmo* (non era ſarcofago, ma cenotafio) ... *ſotto .. era l' arma o ſtemma della Famiglia Savella col Triregno e Chiave rappreſentante quella di Onorio III. che fu Pontefice l' Anno 1216.* (doveva dire d'Onorio IV. che fu Pontefice l'Anno 1285. ma lo ſtemma col Triregno fu dipinto poſteriormente. Imperocchè Bonifacio VIII. Papa nel 1290. fu il primo, che ornò la Tiara Pontificia della ſeconda corona, e Benedetto XII. nel 1340. v' aggiunſe la terza, per cui fu chiamata Triregno). *Ora nel tempo, che da noi tal ſorta di monumenti andavanſi ricercando, con ſommo noſtro cordoglio ritrovato abbiamo, che queſti era già ſtato per la maggior parte demolito e rovinato* (ſi conſerva intiero e ripoſto in luogo opportuno) *a riſerba delle pitture, le quali ſono rimaſte* (anzi ſono diſtrutte affatto, ma prima diſegnate ed intagliate in rame, come ſi vede alla Tavola VIII.) *per poſcia ricoprirſi colla calcina e col bianco a ſuo tempo* (altro che calce e bianco, un ben groſſo pilaſtro della Chieſa ſi è dovuto ivi inalzare), *allorchè ſarà compiuta la fab-*

Digitized by Google

diligentia fuit in nos reprehendendo, eandem adhibuiſſet in noſtris rebus inveſtigandis, quarum repente exſtitit voluntarius explicator & vindex, nunquam tam turpiter & tam multa peccaſſet. Primum enim in eo errat, quod *Cappellam* S. ALEXII ( qui ſub ara maxima colitur ) vocat, quae jam S. Jacobi, mox Scalae Poenitentiae S. ALEXII dicta fuit; deinde ſomniat inſcriptionem quamdam ſuam a nobis avulſam, quae & nulla & nuſquam fuit. Poſtremo, quos pictura illa certe referebat, Pandulphum & Adream in eadem *Cappella* ſepultos eſſe confidenter, ut ſolet, affirmat: quod omnino falſum oſtendimus. Quid quod Templi noſtri parietem, qui meridiem ſpectat, orientalem vocat, & Honorium Tertium appellat, quem niſi Hiſtoriae imperitus haberi velit, Quartum debuit nominare?

Haec omnia non ideo diximus, quo quidquam de illius eruditionis laude detraheremus, ſed ne quis aliquid noſtra negligentia de religioſis Antiquitatis monumentis detractum arbitretur; quo negligentiae nomine ille nos cupidius accuſavit quam verius.

Sed ut aliquando ad Abbatem Franciſcum revertamur, hominem fuiſſe probum, atque iis moribus imbutum, qui Religioſum Praeſulem decent, facile in-

*fabbrica. Nell'iſcrizione, che v'era,* ( non vi fu mai nè nome nè iſcrizione alcuna ) *non è da dubitarſi, che foſſero i nomi delli due Perſonaggi di quella nobiliſſima Famiglia, e forſe marito e moglie ivi ſepolti* ( non ivi, ma nella chieſa d'Araceli furono ſepolti Pandolfo ed Adrea ſua figlia, con Onorio IV. di cui era il cenotafio), *de' quali ſepolta ne rimarrà ancor la memoria* ( anzi rinnovata ed accreſciuta col diſegno e Tavola VIII. ). *E che degna coſa ſia da compiangerſi queſto ſaccheggio* ( quaſi foſſimo Barbari, Goti, Vandali, o Saraceni &c. ) *de' monumenti delle chieſe, lo abbiamo deplorato nella noſtra Opera delle Coſe Gentileſche &c.* Sin qui l' elogio, che ci fa il P. Marangoni.

Digitized by Google

intelligere poſſumus ex ea Pandulphi donatione, quam attulimus. Etenim ad haec non tam Religio ipſa, quam Religionis Miniſtrorum auctoritas valet plurimum. At vero in iiſdem Templi donis tuendis augendisque non indiligentem deprehendo cum ex commutatione duarum vinearum cum fundis aliquot monaſterii S. Gregorii ad clivum Scauri (52), quibus Sabellianam donationem amplificavit (53), tum ex coemptis bonis aliis in *pertinentiis Viterbii in contrata Torricelle*, quae ſolutis quinquaginta & centum *libris bonorum denariorum paparenorum* Alexiano Coenobio acquiſivit A. D. 1306. uti ex Tabulis ea de re confectis liquido conſtat (54).

Verum A. D. 1310. Abbatis nomine ac Dignitate praeditus erat *Hieronymus* quidam, cujus praeter nomen & pacta quaedam, conventa ipſum inter & *Falconum Priorem eccleſie Sanctorum Luce & Fauſtini* (55), nihil reperio in Tabularii chartis; niſi forte ad aliquam hominis laudem illud pertinere videatur, quod de Beato Mauritio Hungaro, qui per haec tempora vivebat, ejuſdem Acta teſtantur (56). Narrant igitur, Mauritium, quum forte fortuna Beati ALEXII Vitam, quam Religioſus Vir recitabat, avide excepiſſet, ea lectione ſic eſſe inflammatum ſtudio imitandi Sanctiſſimi ALEXII, ut lacrymas prae mentis dulcedine co-

(52) Clivus Scauri in monte Caelio, ab antiqua, ut ajunt, veteris Romae Familia, cujus ibi proximae fuerunt aedes, ita dictus, ſicut opinio eſt Pancirolii in lib. de Theſauris Urbis abſconditis, celebris olim fuit, ejuſque meminit S. Gregorius Magnus Pont. in lib. 7. Epiſtolarum ep. XIII. Vide Nardinum de urbe Roma, ubi de monte Caelio, & Rondininum de SS. Joan. & Paulo cap. VII.

(53) Vide Append. num. LII.

(54) In Append. num. LIII.

(55) Append. num. LVI.

(56) Apud Bolland. Acta SS. tom. 3. Mar. in Vit. B. Maurit. ad diem 20. Mar.

Digitized by Google

cohibere non potuerit, & jam tum ſecum de Monaſticae vitae Inſtituto amplectendo conſtituerit (57): quod conſilium non leve quidem nec puerile, ſed plenum gravitatis ac roboris fuiſſe, oſtendit eventus. Nam, quum parentum auctoritate compulſus eſſet ad nuptias, duxit uxorem; cum qua tres annos ubi vixiſſet, tandem crebra rerum ab ALEXIO geſtarum commemoratione eam facile in ſuam ſententiam perduxit. Quare, communi conſenſu rebus humanis omnibus abdicatis, in Religioſum Dominicanae Familiae Ordinem ſe ſe receperunt (58). Hoc nos praeclarum factum haud quaquam ſilentio praetereundum exiſtimavimus, & quod Beati ALEXII gloriam complectitur, & quod in illud tempus incidit, de quo ſcribimus. Quare nec illud reticebo, Agnetem Abbatiſſam Ven. Monaſterii S. Mariae Rotundae Albani (quod Eugenii Papae IV. beneficio ad nos poſtea pervenit) Anno 1310. complures fundos numerata pecunia recepiſſe cum a Magnifico D. Joanne Sabellio Romanorum Proconſule, tum a Benedicto Abbate Monaſterii S. Mariae

L l de

(57) *Forte contigit, ut quidam Vir Religioſus Ord. Praedicatorum ejus hoſpitio exciperetur.... Precabatur eum* (B. Mauritius), *ut de Vitis Patrum aliquid aedificatorium ſibi recitaret; qui devotionem ſane pueri cernens, Vitam S. Alexii Confeſſoris recitavit, quam nunquam audierat; & dum ſic per ordinem Frater ille eam recitaret.... coepit ipſe puer Mauritius in tantum lacrymari, quod nullo modo ſe a lacrymis continere poterat. Unde ex illa hora concepit ipſe puer Mauritius in corde Religionis ingreſſum, ſicut poſtmodum ipſe ore proprio confeſſus eſt &c.* Ex ms. Ambroſii Taegii cap. primo pag. 253. apud Bolland. ubi ſupra.

(58) *Quum autem in conjugio annis tribus vel circa permanſiſſent, pari conſilio & aſſenſu Religionis habitum appetentes & expoſtulantes, Ordinem Praedicatorum in inſula Danubii intraverunt, totum patrimonium mundo relinquentes, & pompis ejus totaliter renuntiantes &c.* Apud Bolland. ibidem.

de Palatiolis, tunc Ordinis Ciſtercienſis, uti ex Actis apparet, quae in Appendice (59) afferuntur.

Sed Hieronymus Alexianus Abbas ſucceſſores habuit primo *Conradum*, qui A. D. 1315. fundos caſtri Sabellii (60), qui dicebantur *de Sancta Euphemia* (61), vectigales fecit, locavitque ad annos quinque (62), deinde *Joannem*, qui A.D. 1319. *Cacciatum Magiſtri Johannis* Procuratorem nominavit, ut Monaſterii bona in agro Viterbienſi in jure defenderet, nec non, ſi quae lites enatae forent, cum poteſtate ſibi collata, tum etiam auctoritate & conſilio ſuo extricaret expediretque (63).

Joannem exceperunt *Matthaeus* Abbas, mox *Joannes* alter, quem A. D. 1330. adeuntem video hereditatem ſatis amplam, quam in eadem civitate Viterbii *Dña Catarina uxor Ricchi Corboli* teſtamento legaverat Matthaeo antedicto (64).

Multo autem plura commemorantur de *Willhelmo* ſeu *Guillelmo*, qui Abbas fuit A. D. 1334. & dignus profecto eo loco & nomine. Ejus ſane auctoritati & prudentiae debemus, quod *Vir Magnificus Fatiolus de Prefectis* (65), qui poſtquam Silveſtrum Viterbii

(59) App. num. LIV. & LV.

(60) Caſtrum Sabellium, ab Albano oppido paſſus mille pl. m. diſtans in meridiem, Sabelliorum Regulorum, Nobiliſſimorum olim Romanorum, in ditione ſimul cum ipſo Albano oppido fuit, a quibus nomen deſumpſit *Caſtel Savello*. Ejuſdem caſtri diruti proſpectum vide apud Vulpium Tab. XI. Vet. Latii Profani lib. XII. cap. XI. pag. 109. Vide etiam Gobellinum in Commentar. Pii Papae II. lib. XI. pag. 308.

(61) De Alexiani Coenobii fundis ad S. Euphemiam vide ſupra pag. 230. not. (18).

(62) Inſtrum. vide in Append. ad A.D. 1315. num. LVIII.

(63) Append. ad A.D. 1319. n. LX.

(64) Inſtr. videſis in Append. ad A.D. 1330. num. LXI.

(65) Fatiolus de Praefectis ex Dominis Vici, qui fuerunt Urbis Praefecti ab A.D. 1297. ad A.D. 1435. filius naturalis Manfredii, Columnenſium

Digitized by Google

bii Tyrannum necaviſſet, rerum omnium potiebatur, & ratas juſſerit eſſe teſtamenti tabulas antedictae Catharinae, & praedia quaedam, quae Alexianis ea ex hereditate obvenerant, locationis titulo ipſe receperit, Monachoſque noſtros in eorum poſſeſſionem immiſerit (66). Ejuſdem vigilantiae tribuendum, quod Anno D. 1334. Angelus, Viterbienſis Epiſcopus & Pontificis Maximi in Urbe Vicarius, *anathema* dicendum juſſerit *intra Miſſarum ſollepnia Riſtorio* cuidam *Borſciario* Viterbienſi, qui in Petrum Praemonſtratenſis Inſtituti Alexianum Monachum, Sacris Ordinibus initiatum, violentas manus injecerat (67).

Verum, quod Willhelmi ſolertiam in redimendo patrimonio maxime illuſtrat, Diploma eſt, quo Clemens VI. diligentiſſimi hominis precibus permotus, Abbati Sanctae Praxedis praeſcribit, ut Alexianorum bona jamdiu erepta, diſſipata, vel divendita perquirat, & reddenda curet.



ſium auxilio interfecit Silveſtrum Gatti Viterbienſium Caput, & Viterbii Tyrannus factus eſt; ipſe quoque occiſus A. D. 1338. ab Joanne fratre. Rem narrat Chronicon ms. biblioth. Frangiparnae ab A.D. 1169. ad 1473. his verbis: *Nel detto anno* (1329) *de Meſe de Sectembre fu morto Salveſtro da Fatiolo del Prefetto in caſa di Mactiuzzo della Viva nella contrada de Sancto Stefano, & furonci morti parecchi ceptadini . . . Nell'Anno* 1338. *fu morto detto Faziolo dal Prefetto Gioanni nella contrada di S. Silveſtro.* Vide Annal. mſs. Ludovici Monaldeſchi, Joan. Villani Hiſt. lib. x. cap. CXLV. *Zazzera della Nobiltà d'Italia*, & Buſſium in Hiſt. Viterb. part. I. lib. 4. pag. 23. & pag. 194. edit. Rom. 1742.

(66) Vide in Append. ad A.D. 1334. num. LXII.

(67) App. num. LXIII.

Digitized by Google

## *CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI*

„ Dilecto Filio Abbati Monaſterii Sancte Praxedis de
„ Urbe ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

*AD audientiam noſtram pervenit, quod tam Dilecti Filii Abbas & Conventus Monaſterii Sancti ALEXII de Vrbe, Ordinis Premonſtratenſis, quam predeceſſores eorum decimas, terras, domos, vineas, poſſeſſiones, redditus, prata, paſcua, nemora, molendina, jura, jurisdictiones, & quedam alia bona ipſius Monaſterii, datis ſuper hoc Litteris, confectis exinde publicis Inſtrumentis, interpoſitis juramentis, factis renuntiationibus, & penis adjectis, in gravem ejusdem Monaſterii leſionem, nonnullis Clericis & Laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo ad f.. mam, vel ſub cenſu annuo conceſſerint; quorum aliqui ſuper hiis confirmationis Litteras in forma communi a Sede Apoſtolica impetraſſe dicuntur. Quia igitur noſtri intereſt, ſuper hoc de opportuno remedio providere, diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ea, que de bonis predicti Monaſterii per conceſſiones hujuſmodi alienata inveneris, illicite vel diſtracta, non obſtantibus Litteris, Inſtrumentis, juramentis, renuntiationibus, penis, & confirmationibus ſupradictis, ad jus & proprietatem prefati Monaſterii legitime revocare procures, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe-*

*gra-*

Digitized by Google

*gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.*

*Datum Avinione Non. Octobris Pontificatus Noſtri Anno V.*

Mathias

Loco ✠ Plumbi.

Ex hoc Diplomate facile quiſque intelliget, quae cauſſae fuerint, cur Monaſterium Romanum, a Romanis civibus ad Beatorum BONIFACII & ALEXII, hoc eſt, civium Romanorum honorem longe olim magnificeque locupletatum, habeat vix nunc reliquias miſeras & afflictas priſtinae opulentiae ac dignitatis. Ut enim ſileam antiquiorum temporum avaritiam & violentiam, qua perditi homines Caſſinenſi, Farfenſi, Vulturnenſi, aliiſque clariſſimis monaſteriis ultimum pene excidium attulerunt, quemadmodum ex eorum Chronicis apud Muratorium (68) ſatis conſtat; utque praeteream Aſturae, Verpoſae, Caeſani, Caſtaniolae, Falconiani, Cicomolae, Apruniani &c. (69) caſtra, domos, & latifundia, aut fraude aut violenter a potentioribus nobis ablata & occupata, in ceteris etiam diripiendis, diſſipandiſque Coenobii noſtri campis & poſſeſſionibus, impotenti hominum cupiditati plerunque acceſſit dolus. Nam, ut patrimonia religioſa expilarent profani homines, ea ſibi emphyteuſis titulo impetrabant, & penſionem quamdam ſeu, quem vocant, canonem quotannis ſoluturos, nec non praedia

(68) Murat. Rerum Ital. Script. tom. 2. & Antiquit. Ital. medii aevi tom. 5.

(69) Vide ſupra in adnotationibus ad Bullam Honorii III. Cap. XV.

dia ipſa convento tempore reſtituturos, etiam adhibita juramenti religione pollicebantur. Sed fidem poſtea facile obliti, quod ſemel impetrarunt, nunquam dimiſerunt (70); nec invitis praeda ultra eripi potuit, quod nimis magna ſemper fuit dulcedo lucri & rapinarum.

Neque tamen negem, fuiſſe etiam Abbates non re quidem ſed nomine Religioſos, qui ſacrum patrimonium, cujus non domini ſunt ſed adminiſtratores, vel in pravos uſus, vel in affines amicoſque ſuos, nulla tanti ſceleris conſcientia exanimati transferre, vel cum illis permutare non dubitarunt, nihil penſi habentes certiſſimum graviſſimumque detrimentum, quod Monaſterium capiebat.

Ex horum numero minime fuiſſe Willhelmum, Diploma ipſum declarat, quod attulimus; quodque a Clemente VI. diligentiſſimus homo iccirco impetravit, ut tot diſſipata bona Alexiano Coenobio vindicaret.

Neminem autem Monaſterii praefecturam plures geſſiſſe annos invenio, praeter Willhelmi ſucceſſorem *Bartholomaeum*, qui annos viginti & octo Abbas fuit, & quidem ad id muneris omniaque Monaſterii negotia obeunda maxime accommodatus. Illum enim video Anno 1349. ab uxore *Nicolai de Perleonibus* (71) emiſſe Monaſterio fundum optimum nummis

(70) Vide Murator. Antiq. Ital. medii aevi tom. 6. diſs. 72. *de cauſſis imminutae olim Eccleſiaſticorum potentiae*.

(71) Antiqua Perleonum Familia ſic appellata a Petro Leonis filio, cujus inſignis mentio habetur in controverſiis inter Paſchalem II. Rom. Pontificem & Henricum IV. Imperatorem apud Murator. tom. 3. Rer. Ital. Leonis Epitaphium ex cod. Caſſinenſi affert Baronius ad An. MCXI. num. 3. Petri Leonis autem ad Annum

Digitized by Google

mis CCCCX. hoc eſt, *proprietatem quarte partis cujuſdam caſalis, quod vocatur Schiaci* (72) *&c. extra portam S. Pauli & in Maritima ... pretio ... quatringentorum decem florenorum* (73) *boni & puri auri*. Sed Anno 1360. hominem

num. MCXLIV. num. VIII. ex Tabula marmorea olim in atrio baſilicae Sancti Pauli extra Urbem, ubi ſepultus fuit.. Notiſſimum eſt ſchiſma alterius Petri Leonis Cardinalis, qui ſuorum factione ac praepotentia Romanam Sedem invaſit ſub nomine Anacleti II. Hunc quidem genere Judaeum fuiſſe, *cujus avus quum inaeſtimabilem pecuniam multiplici corrugaſſet uſura, ſuſceptam circumciſionem Baptiſmatis unda damnavit*, ſcripſerunt Chronographus Mauriniacenſis (*a*) & Arnulphus Sagienſis Auctores coaevi, quos ſequuti ſunt uterque Pagius (*b*), Graveſonius, aliique, ſed falso prorſus & immerito. Nam Perleones longe ante ſchiſma Anacleti inter Nobiles Romanos celeberrimi habebantur; jam Saec. IX. & X. Duces & Comites fuerunt civitatis Tiburtinae, ut patet ex Chron. Sublacenſi ad An. 910. & 971. apud Murat. Antiq. med. aevi tom. 5. pag. 773. Atque in Chron. Farfenſi tom. 2. Rer. Ital. part. 2. pag. 636. legitur An. 1099. Petrus Leonis cum Tebaldo Cencio Judex & Arbiter conſtitutus inter Nobiles Romanos celeberrimus, ut ibidem notat Muratorius. Anno autem 1100. Petri Leonis filiam Rogerius Siciliae Rex uxorem duxit, ut ex notis Du-Cangii ad Hiſtoriam Comnenicam tom. 12. pag. 15. & An. 1102. Albericus *de Petro Leon* affuit donationi Comitiſſae Mathildis, quam refert Baronius. Anno autem 1118. Petrus Leonis una cum Urbis Praefecto Gelaſium II. Pontificem armata manu liberavit, ut refert Petrus Diaconus Biblioth. in Vita Paſchalis II. Plura de Perleonibus vide apud eundem Baronium ad An. MCXI. num. 1. & ſeq. Turrigium in Cryptis Vaticanis part. 2. pag. 339. & 594. & Zazzeram de Nobilit. Italiae part. 2. in Familia S. Euſtachii. Sunt qui Genus Auſtriacum ex Perleonia Gente deducunt, iſtamque ex Anicia derivant, ut Athanas. Kirker. in Hiſt. Euſtachio-Mariana part. 2. cap. V. & Cyprianus Boſelli in Auſtria Anicia; ſed haec perperam & aſſentatorie conficta ſunt.

(72) Inſtrum. vide in Append. ad A. D. 1349.

(73) Quanti olim haberentur floreni aurei, doctiſſime diſſeruit Clariſſimus

(*a*) Arnulphus Sagienſis Archidiaconus Lexovienſis, poſtea Epiſcopus cap. 3. *in Tractatu de Schiſmate orto poſt Honorii II. Papae deceſſum*, apud Murator. Rer. Ital. tom. 3. genus & mores ejuſdem ſic deſcribit: *Petrus Leonis ... functus Legationis officio cupiditati ſuae potius quam juſtitiae ſatisfacere ſtuduit .. Bina ſingulis diebus ſumptu plurimo convivia parabantur .... profuſa vero convivia libidinum ſpurcitia ſequebatur .... Sororem Torpeam beſtiali polluiſſe narratur inceſtu ... ſic naturae jura confundit, ut eoſdem ſibi fratres faceret & cognatos. Jam nec Judaeus quidem, ſed Judaeo etiam deterior &c.*

(b) Pagius Anton. In Crit. Annal. Baron. ad Ann. 1124 num. 3. Pagius Franciſc. in Breviar. Geſt. RR. PP. tom. 2. pag. 647. Hyacinthus de Graveſon Hiſt. Eccl. ſaec. XII. colloq. 2.

Digitized by Google

nem video nihil Urſinorum (74) nihil Annibaldenſium

ſimus Eques Victorius in lucubratione inſcripta : *Il Fiorino d' oro illuſtrato*. Plerunque autem aeſtimabantur viginti nummis, quos hodie vocant julios Romanos a Julio II. Pontifice. Vide ibidem cap. xxv. part. 2. pag. 254. edit. Florentiae 1738.

(74) Urſinae Familiae vetuſtas, nobilitas, & magna olim in Urbe potentia adeo clara eſt & Hiſtoriae celebrata monumentis, ut non indigeat teſtificatione cujuſquam. Ejus Hiſtoriam ſcripſit Franciſcus Sanſovinus, ejuſdemque Genealogiam accuratis tabulis exhibet Jacobus Willelmus Imhoff pag. 307. edit. Amſtelodami An. 1710. Sed inter Scriptores ſane multos hic afferimus Ferrarium, qui ejus decora in pauca congeſſit, & ſic habet: „ Illa ergo nobilitas, quae „ ſupra mille ac ſexcentum annos „ in Clariſſimo Viro Vipio Urſino, „ equeſtri loco nato, ſe floruiſſe „ gloriatur, quae deinde per longam Heroum poſteritatem, atque „ ut paucos numerem ex infinitis, „ per quatuor Pontifices Maximos, „ per Purpuratos Patres XXXIV. „ per LXII. Romae Senatores, per „ ejuſdem Principis Urbis Praefectos quatuor, per Eccleſiae Romanae Vexilliferos ſex, per centum bellicos Imperatores, per „ Conſules, per utriuſque Siciliae „ Magnos Comites Stabulos, per „ Oratores, Legatos, Moderatores „ Provinciarum, Satrapas, Proreges, Aurei Velleris, Sancti Michaelis, Sanctique Spiritus Equites, per Magnos Rhodiorum, „ Templariorumque, ac Teutonicorum Equitum Magiſtros, per Principes Tarentinos, per Duces, Marchiones, Comites, Imperii Electores, Antiſtites ipſo numero „ plures, per connubiorum communionem contractas affinitates „ cum magnis Ducibus, cum Hiſpaniae, Galliae, Angliae Regibus, „ atque cum ipſis Imperatoribus, per „ Sanctiſſimos Viros plurimos, praeſertim vero geminos Urſinos, alterum Apoſtolorum auditorem, „ Gregorii Magni Pontificis encomio celebrem, alterum per Voluſianum Praeſulem Turonenſem, „ eundemque Martyrem, per Monaſticae Familiae in Occidente conditorem Benedictum propagata, „ quaeque per generoſos traduces in „ Hiſpaniam, Angliam, Galliam, „ Germaniam, Poloniamque diffuſa, „ & ad potentiſſimos Dominatus traducta &c. Hactenus verba Jo. Bapt. Ferrarii *ex Roſa Sepulcrali* ſeu *Oratione XXXV.* Jam vero Urſinae Familiae (quam noſtris quoque temporibus nobilitatam vidimus Pontificatu Maximo Benedicti XIII. nunquam ſatis collaudandi) Urſinae, inquam, Familiae nunc ſplendorem omnem pulcherrime ſuſtinet ejuſdem Pontificis fratris nepos, Dominicus Cardinalis Urſinus Gravinenſium Dux (quem honoris & grati animi cauſſa nomino), & reliquus ipſius filius Philippus, qui adoleſcit ad generoſae ſtirpis propagationem & ſpem rerum maximarum.

Digitized by Google

ſium (75) potentiam ( quae ſumma erat in civitate ) pertimeſcentem, in foro verſari, eiſque denunciare, caſtrum Verpoſae, quod contra jus omne occupaverant, ſui Monaſterii eſſe, & de Sententia Judicis Palatini in ejuſdem caſtri aliorumque bonorum poſſeſſione conſtitiſſe (76). Anno vero 1361. ratum habere atque accipere invenio a *Paneſſa* ſingularis pietatis femina *caſale*, uti legitur, *poſitum in caſtro Aſtrucii* (77) ſeu Aſturae. Ecce autem A. D. 1372. quam optime vendit *totam ucellatam &c. venationem beſtiarum ſalvaginarum ſilvarum & tenimenti caſtri Verpoſe dicti Monaſterii ad ucellandum &c.* (78).

Permulta, ut legentium ſatietati occurram, monumenta praetereo (79), quae clare teſtantur operam hominis in obeundo ſuo munere diligentem ſane & fidelem. Ceterum An. 1377. quo anno ineunte vel infirmus nihil de ſua diligentia remittens, *Cicogniolae* (80) fundos locavit (81), hunc annum, inquam, poſtremum & praefecturae & vitae fuiſſe integri & incorrupti ſenis, tam clarum eſt, quam minime dubium, die 12. Martii ejuſdem anni Alexiani Coenobii adminiſtrationem ad *Petrum de Muſcianis* jam fuiſſe delatam.

Hunc equidem primum invenio Religioſorum hominum Monaſterii noſtri in Abbatiae poſſeſſione novo

 & inu-

(75) De Annibaldenſibus agunt Sigonius de Regno Italiae lib. XIX. ad An. 1258. & Raphael Volaterranus Anthropologiae lib. XXII. Epitaphium Joan. Franciſci de Annibaldenſibus, qui obiit A.D.MCCC. legitur apud Caſimirum *Memorie d'Araceli pag.* 293.

(76) Acta litis conteſtatae de caſtro Verpoſae contra DD. Annibaldenſes, & poſſeſſionis ejuſdem caſtri ſubinde acceptae ab Alexianis Monachis vid. in Append. ad An. 1360.

(77) Append. ad A.D. 1361.

(78) Append. ad A.D. 1372.

(79) Monumenta vid. in Append. ab A.D. 1349. ad A. D. 1377.

(80) De Cicomola vide ſupra Cap. XV. pag. 229. not. (14).

(81) Append. ad A. D. 1377.

Digitized by Google

& inuſitato exemplo collocatum ex Diplomate Pontificio. Quae res (vere & libere ut dicam) in eam me cogitationem inducit, ut ſuſpicer, Petrum ad eum honoris gradum aſpiraſſe cupidius, quam modeſtum hominem & Religioſum deceat. Accedit, quod (ut, quae male comparantur, plerunque male eveniunt) ab eo Abbate Monaſterium nihil utilitatis habuiſſe legitur; quinimmo multum aes alienum conflatum, pro quo diſſolvendo vendita ac diſtracta Monaſterii bona, ut ex monumentis Tabularii intelligitur. (82) *Cum Venerabile Monaſterium SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe, Abbas, & Canonici . . . contraxerunt certa debita tam pro Exequiis &c. Bartholomei olim Abbatis . . & aliis multis expenſis factis . . & in creatione preſentis novi Abbatis pro Litteris, Bullis &c. idcircho &c. de mandato &c. Dñi Fratris Petri de Muſciānis Abbatis dicti Monaſterii .. deliberaverunt &c.* Propterea quum Petri Abbatis diligentia & fides forte deſideranda eſſe videatur, iccirco, illum ut ſilentio defendam, ad Abbatem *Dominicum* venio, qui A.D. 1388. Coenobio praeerat, virum ſtudiis optimis, praeſertim vero Divinarum Litterarum, quas publice interpretabatur, *in Sacra Pagina magiſtratum* (83), & morum gravitate in paucis excellentem. Hujus adeo percrebruerat doctrinae atque integritatis opinio, ut Bonifacius IX. dignum exiſtimaverit, quem Epiſcopum Iſernienſem (84) crearet. Ac ne tanti viri ſplendor anguſtis finibus coerceretur, ſed manaret latius, ad Sueſſanam (85) Sedem translatus eſt; quam

quum

(82) Append. ad A.D. 1377.

(83) Ita legitur in Actis An. 1388. quae vide in Append.

(84) Iſerniae ſeu Aeſerniae, Italis *Sergna*, de qua vide infra Cap. XIX. not. (2).

(85) Sueſſa (Seſſa) urbs Campaniae Rom. de qua Silius Italicus lib. 8..... *detritaque bellis Sueſſa, atque a duro Fruſino imbellis aratro.*

Digitized by Google

quum annos quinque & decem egregie obtinuiſſet, tandem omni illuſtri laude cumulatus obiit Anno 1417. (86); atque hic poſtremus fuit Abbatum Praemonſtratenſium, de quibus ſatis dicta ſunto.

Hic autem non eſt omnino praetereundum, quod per ea ferme tempora ad cultum erga B. ALEXIUM augendum mirum contigiſſe, Auctores idonei (87) narrant de S. Franciſca Romana. Haec annos nata quatuordecim quum gravius aegrotaret, quam ut humanis remediis depelli morbus poſſet, viſa eſt ſibi videre S. Virum ALEXIUM, qui ab ea quid maxime cuperet expoſtulavit. Quare quum reſpondiſſet, Deo ſi placeret, ſanam eſſe velle, ſtatim praeterque opinionem omnium ita convaluit, ut mane ad Alexianum Templum venerit, & beneficium, quod Divo ALEXIO acceptum referebat, cum Abbati, tum Monachis, aliiſque enarraverit. *Quum medicorum remediis curari nullo modo valeret .... Beatus ſibi ALEXIUS Romanus apparuit, eique dixit: vis ſalva fieri? quae quum reſponderet & diceret, volo ſolummodo, quod Domino placet, ſtatim ſanata de lecto ſurrexit, & mane ad Eccleſiam S Confeſſoris acceſſit* (88). Sed reliqua Coenobii noſtri monumenta, ut ordo temporum poſtulat, expendamus.



(86) Ughellius tom. 6. Ital. Sac. ubi de Epiſcop. Aeſernien. num. 30. haec habet: *Dominicus Abbas Sanctorum BONIFACII & ALEXII de Urbe ad hanc Eccleſiam allectus 2. Kal. Martii 1390. .... ad Sueſſanam translatus eſt 15. Kal. Septembris 1402.* De Sueſſanis autem Epiſcopis agens num. XXVI. ait: *Dominicus antea Epiſcopus Iſernienſis defuncto Antonio ſucceſſit, tranſlatuſque eſt ad hanc Sueſſanam Sedem An. 1402. 15. Kal. Septembris a Bonifacio IX. Fato functus eſt ſub Martino V. Anno 1417.*

(87) Apud Bollan. in Actis SS. Martii tom. 2. die IX. Martii.

(88) Ex Vita S. Franciſcae Romanae apud Bolland. ut ſupra, item ex Vita ejuſdem a Maria Magd. Anguillaria conſcripta ibid. pag. 177. Vide etiam Raynaldum in Annalibus Eccl. ad An. 1398. num. 41.

# CAPUT XVIII.

## *Coenobium commendatum, ejuſdemque Bona Vaticanae baſilicae adſcripta.*

QUanquam vetera monumenta deſint, unde intelligi facile poſſit, quid cauſſae fuerit, quamobrem Monaſterium S. ALEXII in Commendam, quam vocant, redactum ſit; illud profecto non deeſt, quo veriſſime comprobetur, eodem illud fato fuiſſe, quod pleraque Italiae coenobia commune habuerunt. Anno enim 1390. Chriſtophoro Maroni (1) S. R. E. Cardinali commendatum deprehendo ex veteri Inſtrumento, quo & Coenobii bona omnia deſcribuntur, & ipſius Cardinalis fidei atque adminiſtrationi comittuntur (2). *Hoc eſt quoddam Inventarium ſive Memoriale bonorum & rerum mobilium & immobilium Ven. Monaſterii SS. ALEXII & Euſomiani de Urbe, factum per Reverendum in Chriſto Patrem & Dñum, Dñum Dominicum Epiſcopum Sergienſem, olim Abbatem dicti Monaſterii, ac etiam Reſignatio ipſarum rerum & bonorum, facta per dictum Dñum (3) Dominicum Abbatem prefatum penes & apud Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dñum, Dñum Chriſtoſanum Dei & Apoſtolice Sedis gratia Tituli Sancti Ciriaci Presbyterum Cardinalem, cui dictum Monaſterium cum bonis, & rebus, & poſſeſſionibus ipſius Monaſterii, & omnibus juribus & juriſdictionibus, ad ipſum Monaſterium quomodolibet ſpectantibus & pertinentibus, per Sanctiſſimum*

(1) Vide infra Cap. XIX.

(2) Inſtrumentum ac Inventarium bonorum omnium vide in Appendice ad A. D. 1390.

(3) De Dominico Abbate vide ſupra pag. 274.

*mum in Chriſto Patrem & Dñum, Dñum Bonifatium Divina Providentia Papam VIIII. prediƈtum extitit & eſt traditum in Commendam &c.* Anno itidem 1391. eundem Cardinalem commendatario nomine annuentem video ac conſentientem venditioni & emptioni bonorum Monaſterii & vinearum, praeſertim montis Sanƈti ALEXII, prout ex Tabulis eo anno confeƈtis, die ſeptima Auguſti *coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Dño, Dño Chriſtoforo Tituli Sanƈti Ciriaci de Urbe Presbytero Cardinali, habente in Commendam Monaſterium SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe a Sanƈtiſſimo Patre & Dño, Dño noſtro Bonifatio Papa VIIII.* (4). Commendavit itaque Bonifacius Pontifex Chriſtophoro Cardinali Alexianum Coenobium, quod a nemine haƈtenus faƈtum fuerat. Etenim, quae ad rem iſtam pertinere videbantur, etſi diligentiſſime inveſtigare omnia atque evolvere curaverim, nullum tamen ante Maronem Cardinalem compertum habui, qui Monaſterio noſtro Commendatarius praefuerit; ſuperioribus quippe ſaeculis non niſi Monachos & Canonicos Abbatis nomine illud libere adminiſtraſſe obſervavi. Quare in eam opinionem adducor, ut Coenobio, quod Praemonſtratenſes adverſa rerum ſuarum viciſſitudine perturbati forte negligebant, Bonifacius Pontifex proſpicere ſtatuerit, re tamen ita compoſita, ut Dominicus Abbas Clauſtralis ad Epiſcopatum Iſernienſem, quo Cardinalis Maro ſe abdicaverat, aſſumeretur, Cardinalis autem Maro Monaſterium ipſum commendatario jure obtineret.

Verumtamen oƈto vix anni effluxerunt, quum Bo-

(4) Ex Inſtrumento Anni 1391. quod vide in Append.

Digitized by Google

Bonifacius ipſe, quo Vaticanae baſilicae ( cujus & Archipresbyter erat idem Chriſtophorus Maro ) neceſſitatibus conſuleret, quidquid Alexiano Coenobio proventuum & bonorum fuit, valde liberaliter Canonicis S. Petri adſcribendum decrevit. Id ex ejuſdem Pontificis Diplomate intelligitur, cujus autographum in Vaticano tabulario aſſervatur (5); exemplum autem iccirco hic afferre exiſtimavi, ut quae cauſſae, quae leges, qui rei exitus fuerit, facile judicari poſſit.

Primum igitur Pontifex Maximus id in animo habuiſſe legitur, ut anguſtis Canonicorum rebus, quoad ejus fieri poſſet, ſubveniret. Anguſtiarum autem fontes aperiuntur bellorum turbines, invaſio praediorum, demolitiones aedium, aliaque calamitatum genera, quae ita iiſdem in Litteris Bonifacii Papae narrantur:

*BONIFACIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI*

*AD PERPETVAM REI MEMORIAM.*

„ ROmani Pontificis, quem Paſtor ille Caeleſtis &
„ Epiſcopus animarum eccleſiis & monaſteriis
„ praetulit univerſis, providentia circumſpecta, circa
„ ſtatum eccleſiarum & monaſteriorum omnium, &
„ perſonarum eis praeſidentium commoda, prout lo-
„ corum & temporum qualitas exigit, ac utilitas per-
„ ſuadet, diligenter intendit; & ſicut eccleſiis, mo-
„ naſteriis, ac perſonis eiſdem conſpicit expedire,
„ ſata-

(5) In archivo baſilicae Vaticanae capſul.3. faſcic. 8. & tom.2. Bullarii Vaticani nuper edit. An.1751

„ ſatagit ſalubriter providere. Quum itaque, ſicut „ accepimus, in baſilica Principis Apoſtolorum de „ Urbe, ad cujus conſervationem pro divini nominis „ cultu oculos convenit propenſius noſtrae conſide- „ rationis extendere, propter guerrarum turbines, „ temporum malitias, occupationes bonorum, de- „ molitiones aedium ipſius, & anguſtias varias & di- „ verſas, quibus retrolapſis temporibus exſtitit inae- „ ſtimabiliter laceſſita, ac damnis & jacturis diutius „ afflicta innumeris, prout affligitur de praeſenti, „ fructus, redditus, & proventus menſae capitula- „ ris ejuſdem adeo diminuti, & ſubſtantiis ac ob- „ ventionibus menſa ipſa annihilata exſiſtant, quod „ dilecti filii Prior, Canonici, Beneficiati, & alii „ ipſius baſilicae miniſtri ac ſervientes ex hujuſmodi „ fructibus, redditibus, proventibus, & obventionibus „ ſecundum eorum dignitatum decentiam congrue „ nequeunt ſuſtentari, divinuſque cultus in ipſa „ propter eorundem proventuum diminutionem de- „ center ſervari non poterit, niſi de alicujus ſubven- „ tionis auxilio eidem baſilicae ſalubriter occurra- „ tur &c.

Quo igitur Canonicorum Vaticanae baſilicae patrimonium, tot calamitatibus, ut ferebatur, exhauſtum, amplificaretur, praeſto fuerunt, neſcio quo fato, fortunae Coenobii noſtri. „ Ex his igitur & aliis „ certis cauſſis, quae ad hoc rationabiliter nos indu- „ cunt, ſuper praemiſſis providere volentes, motu „ proprio, non ad praefatorum Prioris, Canonico- „ rum, Beneficiatorum, & ſervientium, vel alicujus „ alterius pro eis ſuper hoc nobis oblatae petitionis

in-

„ inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate Mona-
„ ſterium Sanctorum ALEXII & BONIFACII de
„ Urbe, Ordinis S. Auguſtini Praemonſtraten. cum
„ omnibus ſuis bonis, juribus, & pertinentiis uni-
„ verſis, quae omnia alias per loca, vocabula, con-
„ fines, quantitates, qualitates, & valores praeſen-
„ tibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis ac
„ ſpecificatis, baſilicae ac menſae capitulari prae-
„ dictis Auctoritate Apoſtolica, de Apoſtolicae Po-
„ teſtatis plenitudine, ex certa ſcientia in perpetuum
„ annectimus, unimus, & incorporamus, ac in pro-
„ prios uſus concedimus & aſſignamus.

Leges autem tam magnificae donationi adjectae ſunt duae; primum ut Monaſterii ejuſque bonorum poſſeſſio ad Canonicos non ante perveniret, quam Cardinalis Maro vel e vivis exceſſiſſet, vel a ſibi commendatae Abbatiae adminiſtratione ſe ſe abdicaſſet; deinde, ut ne celeberrimi ac religioſiſſimi Templi decus & ornamentum omnino obſoleſcerent, additum, ut ejuſdem Vicario biſcentum floreni auri (6) perpetuo a Vaticanae baſilicae Canonicis perſolverentur, unde ſe & alios quatuor, qui divinis ibi officiis vacarent, aleret ac ſuſtentaret. „ Ita quod cedente vel dece-
„ dente, aut ipſum Monaſterium alias dimittente
„ dilecto filio noſtro Chriſtophoro Tituli S. Cyriaci
„ Presbytero Cardinali, ipſius Monaſterii Commen-
„ datario, liceat ipſis Priori & Capitulo, qui erunt
„ pro tempore, poſſeſſionem praedicti Monaſterii,
„ bonorum, jurium, ac pertinentiarum praedictarum
„ libere apprehendere, & licite retinere, noſtri vel
ali-

(6) De florenis vide quae diximus pag. 271. not. (73).

Digitized by Google

„ alicujus alterius licentia aut conſenſu ſuper haec
„ minime requiſita, & in uſus Capituli ac menſae
„ praedictorum convertere; reſervata tamen de ipſis
„ fructibus, redditibus, & proventibus ſingulis an-
„ nuatim perpetuo Vicario ibi inſtituendo congrua
„ portione, videlicet ducent. flor. de auro, ex qui-
„ bus ipſum Monaſterium pro celebratione Divino-
„ rum, & hujuſmodi perpetuus Vicarius cum qua-
„ tuor dicti Ordinis ſervientibus, quorum duo ſaltem
„ eſſe debeant Sacerdotes, reliqui in Sacris Ordi-
„ nibus conſtituti, & cum aliis inibi miniſtris inſti-
„ tuendis ibidem valeant congrue ſuſtentari. Epiſco-
„ palia autem jura ſolvere, & alia incumbentia onera
„ baſilica & menſa capitularis praedictae debeant
„ ſupportare, non obſtantibus &c. Nulli ergo &c.
„ Datum Romae apud S. Petrum decimoquarto Kal.
„ Maji Anno Nono.

Sed hujus Diplomatis nullum unquam fructum coepiſſe Canonicos S. Petri, ex eo conſtat, quod poſt obitum quoque Chriſtophori Tituli S. Cyriaci Presbyteri S. R. E. Cardinalis Maronis, Cardinales alios Monaſterium noſtrum commendatario nomine obtinuiſſe video uſque ad A. D. 1426. quo anno demum ad nos feliciter & libere translata ejuſdem poſſeſſio fuit. Sed de hac priuſquam ſermonem inſtituam, Abbates Commendatarios ſigillatim ordinateque percenſeam oportet.



Digitized by Google

# CAPUT XIX.

## *Abbates Commendatarii ſeu S. R. E. Cardinales, quorum fidei Alexianum Coenobium commendatum fuit.*

CHriſtophorus Maro ſive de Maronibus Romanus, Presbyter Cardinalis Titulo S. Cyriaci in Thermis, fuit omnium primus, ut ante dixi (1), cujus fidei atque adminiſtrationi SS. BONIFACII & ALEXII Coenobium commendatum ſit; unde hoc Abbatis Commendatarii nomen ductum videtur. Hunc hominem multam laudis praeſtantiam habuiſſe, hinc conjectura aſſequi poſſumus, quod Epiſcopus Iſernienſis (2) quum eſſet, fuit a Bonifacio IX. Rom. Pont. A. D. MCCCLXXXIII. die XVIII. Decembris in ſummum Purpuratorum Patrum ordinem cooptatus, nec non cum aliis beneficiis, tum Vaticanae baſilicae Archipresbyteratu auctus atque honeſtatus: quae ornamenta ne vel fortunae vel gratiae potius quam merito Clariſſimi Viri tributa fuiſſe ſuſpicemur, illud, mea quidem opinione, argumento eſt, quod in maxima controverſia, quae de poſſeſſione oppidorum *Aſprae* (3), *Zarani*, *Cignani &c.* inter eundem Bonifacium & Pau-

(1) Cap. XVIII. pag. 277.

(2) Iſernia ſeu Aeſernia, Italice *Sergna*, in Comitatu Moliſino Regni Neapol. una ex ſeptem Samnii civitatibus antiquiſſima, haud longe a Vulturno fluvio inter Bojanum & Venafrum, de qua vide Geographos & Ughellium in Archiep. Capuanis Ital. Sac. tom. VI. pag. 366.

(3) *Aſpra* Latine Caſperia. Vid. Obſervat. XLVII. ad floren. aureum Clariſſ. Equ. Victorii. p. 501. *Aſpra*, *Zaranum*, *Cignanum &c.* oppida in Sabinis, de quibus conſulantur Geographi. Videſis Tab. Geograph. Umbriae, Auctore Moroncello Monacho Silveſtrino.

Digitized by Google

& Paulum Sabellium Lucae filium jamdiu agitabatur, is una cum Franciſco Carbone Cardinali Monopolitano & Bartholomaeo Carafa Urbis Priore arbiter ac diſceptator eſt conſtitutus; quod factum non eſſet, niſi vir fuiſſet probitate, auctoritate, doctrina, ac fide ſingulari. Haec omnia ex codicillis ejuſdem Bonifacii hauſiſſe teſtatur Ciacconius (4), qui addit praefecturam geſſiſſe Alexiani Coenobii. *Fuit hic Cardinalis* (Maro) *Praefectus Monaſterii SS. ALEXII & BONIFACII in monte Aventino; poſt cujus obitum Coenobium illud baſilicae Vaticanae adjectum eſt &c.* Ciacconii fidem ſequitur Floravantes Martinelli in Roma ex Ethnica Sacra. Nam Cap. IX. de Templis Sanctorum Urbis pag. 14. haec habet: „ S. ALEXII „ in vico aut monte Aventino, olim Herculis Vi„ ctoris ſatis pulchrum, poſtea Templum S. BONI„ FACII . . . . . olim fuit ſub cura Monachorum „ Benedictinorum. Sub Bonifacio IX. Monaſterio „ praeficitur Chriſtophorus Maro Card. poſt cujus „ obitum illud baſilicae Vaticanae adjectum eſt. Sed uterque in eo labitur, quod Coenobii poſſeſſionem atque adeo fructus Vaticanae baſilicae applicatos atque adjunctos fuiſſe, ſine ulla exceptione confirmat. Nam etſi Bonifacius IX. in eo Diplomate, quod legitur pag. 278. & ſeq. Alexiani Coenobii adminiſtrationem Cardinali Maroni ita attribuit, ut poſt ipſius Cardinalis obitum Coenobium idem Canonicis Vaticanae baſilicae applicandum fore ſtatuat; illud tamen eſt omnino certum atque exploratum, nunquam deinceps

 fu-

(4) Vide Ciacconium Vit. Roman. Pont. tom. 2. in Bonif. IX. ad An. 1389. num. IV. pag. 708.

fuiſſe applicatum: quod quidem paullo inferius oſtendemus. Sed ut ad eundem Cardinalem revertamur, annos quinque & decem Cardinalitiam Dignitatem & Alexiani Monaſterii curam ſuſtinuit magna cum laude; ac tandem anno quarto & quadringenteſimo ſupra milleſimum deceſſit Romae, & in Vaticana baſilica in ſepulcrum illatus eſt, ut ex Petri Camerarii Diario conſtat, cujus haec ſunt verba: *Die Sabbati ſexta Decembris obiit Cardinalis Iſernienſis Chriſtophorus Maro, hora noctis tertia, in domo Domni Abbatis S. Pauli de regione S. Euſtachii Anno 1404. Item ſequenti poſt horam decimam fuit portatum corpus ejus per duos Romanos in palatio capitis ſcalarum S. Petri de Urbe; & die Dominica ſeptima ſupradicti menſis factae fuerunt Exequiae; inde ſepultus fuit in Cappella S. Gregorii Papae*. Epigramma ejus ſepulcro inciſum hoc apud Ciacconium lego:

*Qui legitis carmen lacrymabile, fundite fletus,*
*Fundite, & hoc multis lacrymis ornate ſepulcrum.*
*Maxima Cardinei cubat hic nam gloria Coetus*
*Corpore Chriſtophorus, ſed ſpiritus inſidet aſtris.*
*Fidus Apoſtolicae per tot fluitantia cymbae*
*Naufragia Eccleſiae fuit; & tunc terno ſalutis*
*Multiplici virtute nitens, & amator honeſti*
*Vir erat; evecto cui tanti ad culmen honoris*
*Nominis alme tui Titulum Cyriace dediſti.*

*ANNO DOMINI MCCCCIV.*

Poſt obitum Cardinalis Maronis, quae Vaticanae baſilicae Canonicis ex Diplomate Bonifacii IX. applicanda fuerat, Alexiani Coenobii poſſeſſio, Antonio Cajetano S. R. E. Cardinali commendatario, uti vocant

cant, nomine data eſt. Hujus rei etſi Ciacconius (5), Oldoinus, Rubeus, aliique omnes, qui Cajetani res geſtas ſcripto prodiderunt, nuſquam meminerint, certiſſimam tamen fidem faciunt chartae Tabularii noſtri, quarum unam ſolum affero, quo legentium ſatietati occurram. Haec Sententia eſt, quam tulit pronunciavitque Petrus Franciſcus de Brancaleonibus (6) Urbis Senator in ea controverſia, quae de piſcina quadam ad Tyberis ripam ſub Aventino colle inter eundem Cardinalem Cajetanum Coenobii Abbatem Commendatarium, & Nobilem Virum Georgium Frajapanum orta erat, & magna contentione animorum agitabatur A.D. 1407. En ejuſdem verba: *Cognoſcentes de Cauſa &c. vertent. &c. coram nobis inter Reverendisſimum in Chriſto Patrem & Dñum, Dñum A. Gaytanum Epiſcopum Peneſtrinenſem, Aquilegenſem vulgariter nuncupatum, Commendatarium Ven. Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe . . . . ex parte una, & Nobilem Virum* (7) *Georgium Frayapanum de*

(5) Ciacconius Vit. Pontif. tom. 2. pag. 709. num. v.

(6) Petrus Franciſcus de Brancaleonibus, filius Branconis a *caſtro Durante* Ducatus Urbinatis (nunc *Urbanea* dicitur ab Urbano VIII. qui illud ampliavit, ornavit, & in Epiſcopatum evexit Anno 1635.), Senator Urbis fuit Annis 1401. 1406. & 1407. ut ex Faſtis apud Jacob. Zabarellam, Creſcimbenum, & Cecconium (a). Uxorem duxit N. N. neptem Nicolai Comitis Montis Feltri, de quo plura legeſis apud Franc. Sanſovinum in libro, cujus titulus, *Delle Famiglie Illuſtri d'Italia*, pag. 345.

(7) Georgius hic filius Joannis Frajapani & Sabelliae de Sabelliis uxorem duxit Catharinam de Magdalenis; ex qua liberos quatuor ſuſcepit, quos nominant Franciſcus Zazzera de Nobilitate Italiae parte 2. & Benedictus Pucci in Genealogia Dominorum de Frangipanis pag. 62. edit. Venet. 1621. Is Ladiſlai Regis Siciliae partibus ſtuduit contra Romanam Sedem; iccirco poenam ſubiit proſcriptionis bonorum omnium & oppidorum Ciſternae, Ca-

(a) Vid. ſup. pag. 259. not. (43).

*de regione Pinee reum conventum ex parte altera &c. . . . . conſtitutus perſonaliter coram Magnifico Viro Petro Franciſcho de Branchaleonibus, de durante Dei gratia Alme Urbis Senatore . . . . Nucius Ciaffi &c. Procurator & perſona legitima Reveren. in Chriſto Patris & Dñi, Dñi A. Gaytani Epiſcopi Peneſtrinenſis S.R.E. Presbiteri Cardinalis Commendatarii Venerabilis Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe &c. . . . . decernimus & declaramus, dictum Georgium illicite & indebite inquietaſſe & turbaſſe &c. . . . . ac etiam condempnamus . . . . damna &c. per ipſum Dñum Commendatarium paſſa &c.* (8). Haec aliaque permulta a nobis ſilentio praetermiſſa ſiquis animadverterit, affirmare jam non dubitabit, Vaticanae baſilicae Canonicos in noſtri Coenobii poſſeſſionem veniſſe nunquam.

At de Antonio eodem ſic accepimus (9), non tam No-

Caſtri Veteris &c. ut ex Litteris Bonifacii IX. atque ex Regeſtis Cam. Apoſtol. cum notis Michaelis Lonigi apud Virum Clariſſimum mihique amiciſſimum Petrum Franciſcum Cornazzani, qui non ita pridem Henrici Davilae Hiſtoriarum libros quindecim ex Italicis Latinos fecit, & Romae edidit. Panvinius in ms. codice de Gente Fregepania, quem ante memoravimus pagin. 197. not. (25) lib. IV. cap. I. haec prodit: „ Georgius Fregepanius, qui in Urbe circa „ Annum Chriſti MCCCC. vixit, „ uxorem habuit filiam cujuſdam „ Romani civis Laelii Magdaleni ... „ habuitque a ſocero inter reliqua „ dimidiatam partem cujuſdam ſacelli & arae, quae ab ipſo in eccleſia S. Mariae ſupra Minervam erecta fuerant, cum omnibus juribus „ & pertinentiis ſuis, inter quae „ etiam fuerant ſepulcra duo, quibus „ ipſe & poſteri ejus inferrentur; „ reliquam vero ſacelli & arae partem cum totidem monumentis adhuc poſſident poſteri ipſius Laelii, „ qui nunc de Capite ferreo nominantur. Vide Gualdi collectionem „ Inſcriptionum Urbis in biblioth. „ Albana, ubi ſtemmata, icon, & inſcriptio afferuntur.

(8) Vide in Appendice ad A.D. 1407.

(9) Vide Panvin. in Epit. RR. PP. Contelorium, & Ciaccon. tom. 2. in Bonif. IX. ad A. 1389. num. V. pag. 709. Vide Palladium Hiſtor. Forojulienſis part. prima libro X. pag. 466. atque P. Bernardum de Rubeis in Monumentis Eccleſiae Aquilejenſis cap. IV. pag. 986.

Digitized by Google

Nobiliſſimo Cajetanorum Genere, quam ſumma ſua virtute ſubnixum, ad eum honoris ac dignitatis locum perveniſſe, ubi nobilitas ſine virtute contemnitur. Nam quum permulta ſane eademque praeclariſſima ingenii, probitatis, prudentiae ſigna oſtendiſſet, dignus habitus eſt, cui Patriarchatus Aquilejenſis committeretur; quem Patriarchatum annos ſeptem quum obtinuiſſet, a Bonifacio IX. ad Presbyterorum Cardinalium numerum S. Caeciliae Titulo adſcriptus fuit; mox ab Innocentio VII. Epiſcopus Praeneſtinus renuntiatus eſt. Gregorius autem XII. eidem Antonio, Poenitentiarius Major, ut vocant, quum eſſet, hanc facultatem conceſſit, ut Minores Poenitentiarios in officio contineret, atque eiſdem, quae omnino eſſent gerenda, praeſcriberet. Sed quum in Piſano Concilio ab eodem Gregorio XII. ad Alexandrum V. defeciſſet, ſtatim Gregorius XII. lege adverſus eum agi jubet, ac tum Epiſcopatus tum Cardinalatus Dignitate hominem privat. Haec Sententia lata & promulgata fuit ab eodem Pontifice Arimini die 19. Januarii A. D. 1409. Sed Piſanum Concilium Sententiam ſuſtulit, atque irritam juſſit eſſe.

Ceterum illum vehementer expetiſſe, ut tranquillus fieret & concors Chriſtianae Reipublicae ſtatus, duae res declarant; altera quod in Piſano Concilio non dubitavit, Epiſcopatu Praeneſtino ita abire, ut ad Guidonem Maleſiccum Cardinalem transferretur, atque ita res, quoad ejus fieri poterat, componeretur; altera vero quod epiſtolam ſatis gravem pro reconciliatione concordiae ſcripſit ad Carolum de Malateſtis, quae ita incipit: *Antonius miſeratione di-*

*vina*

*vina Epiſcopus Praeneſtinus, S. R. E. Cardinalis Aquilejenſis vulgariter nuncupatus, Magnifico Domino Carolo de Malateſtis Domino Arimini, fratri noſtro cariſſimo, ſalutem in illo, qui omnibus attulit in Chriſto ſalutem, & cum exequutione operis ad unionem Sanctae Matris Eccleſiae &c.* Sed neque illud ſilentio praetereundum exiſtimo, Antonii Cardinalis erga Sanctiſſimae Dei Matris memoriam inſignem religionem ac pietatem fuiſſe; cujus pietatis haud levia monumenta & veſtigia apparent in templo S. Mariae ſupra Minervam. Nam ejus templi abſidem exaedificandum ornandumque curavit: quod ejus Cardinalis ſtemmata impoſita declarant.

In idem templum ipſius cadaver, quum e vita Romae deceſſiſſet die XI. Jan. A. D. 1412. translatum fuit a templo Vaticano. Jacet ad ſiniſtram arae majoris. Ejus Epitaphium, quod apud Ciacconium mancum & mutilum eſt, ex ipſo lapide deſcribi curavimus; atque hujuſmodi eſt;

HIC REQVIESCIT REVERENDISSIMVS IN XPO FR

DNS ANTONIVS GAITANVS EPVS PORTVENSIS

SCE ROMANE ECCLIE CARDINALIS. QVI OBIIT ANO DNI

M. CCCC. XII.

MS IANVARII DIE XI. INDICTIONE QVINTA.

Verum, ut ne res quidem minimas neglexiſſe videamur, diverſam Antonii Petri ſententiam in Diariis afferendam exiſtimamus; qui auctor eſt, Cardinalis Antonii cadaver non in S. Petri baſilica, ſed in templo S. Mariae ſuper Minervam ſtatim fuiſſe con-

Digitized by Google

conſepultum. En ipſius verba: *Anno* 1412. *die XI. Januarii hora veſperorum obiit Antonius Cajetanus Cardinalis Aquilejenſis; & die ſequenti* 12. *poſt veſperas delatus in eccleſiam S. Mariae ſuper Minervam, ibidem humatus fuit*. Palladius Hiſtoriarum Forojulienſium parte prima lib. X. ejuſdem Cardinalis elogium, quod in Utinenſi patriarchali palatio legitur, hoc refert:

ANTONIVS CAIETANVS ROMANVS
BONIFACII PAPAE VIII. GENTILIS
POST PATRIARCHA AQVILEIENSIS
ET S. R. ECCLESIAE CARDINALIS
EPISCOPVS PORTVENSIS
MAIOR POENITENTIARIVS
SINGVLARIS DOCTRINAE ET RELIGIONIS
STVDIO CLARVIT.

Cardinalem Cajetanum excepit Petrus S. Angeli Diaconus Cardinalis Stephaneſchi de Hannibaldis, cujus fidei Alexianum Monaſterium commendatum fuiſſe, etſi nullus Auctor ſcriptum reliquit, id ego compertum habeo ex charta Tabularii noſtri; ex qua conſtat, Petrum, uti ejuſdem Monaſterii Abbatem Commendatarium, illam ipſam piſcinam Tyberis, modo quam memoravimus, Pernae cuidam nobili femine locaſſe. Affero tabulae ipſius teſtimonium: *In nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo quadringenteſimo decimoſeptimo, Sede Apoſtolica Paſtore vacante, Indictione decima, menſis Martii die vigeſimatertia. In preſentia mei Notarii &c. . . . Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dñus, Dñus Petrus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, ac Commendatarius Ven.*

Oo *Mona-*

Digitized by Google

*Monaſterii SS. ALEXII & BONIFATII de Urbe &c. . . . . pro utilitate dicti Monaſterii ſponte locavit . . . Dñe Perne uxori Magiſtri Johannis Antonii de Roccha Sinibalդi . . . piſcariam dicti Monaſterii, que eſt ſita in flumine Tiberis &c.* Nullum itaque dubium eſt, quin Alexianum Monaſterium Petrus Stephaneſchi commendatario nomine gubernaverit.

Is Romae natus eſt familia inter eas nobiliſſima, quae, propterea quod trans Tyberim habitarent, Transtyberinae dicebantur (10). Hunc & Majorum ſuorum gloria illuſtrem, & virtute, rerumque gerendarum ſcientia, ac multis ante cum laude muneribus obitis ſatis clarum, Innocentius VII. S. Angeli in foro Piſcium Cardinalem Diaconum renuntiavit pridie Idus Junii Anno Domini 1405. honorificentiſſimiſque verbis declaravit, id ſe facere, ut gratiam iniret a Populo Romano. Et ſane magna apud Romanos Petri auctoritas fuit, magnum nomen. Is enim fuit, qui una cum Ottone Cardinali Columna furentem plebem, ac undecim virorum illuſtrium indigniſſima caede bacchantem cohibuit, ac Pontifici tandem reconciliavit. Quum in iis Chriſtianae Reipublicae tenebris multi de Pontificatu Romano contenderent, atque omnia permiſcerentur, hic nihil aliud unquam viſus eſt cogitare, niſi quod ad Romanae Eccleſiae quietem & gloriam ſpectaret; quo factum eſt, ut & Gregorius XII. & Alexander V. & Joannes XXIII. virum optimum, deque Republica bene ſentientem magni fecerint. Quum Gregorius XII. ex

(10) Vide Ciacconium tom. 2. Vit. Rom. Pont. ad An. 1404. §. VIII. pagina 723. & Panvinium in Epitome RR. PP. lib. III.

Digitized by Google

ex Urbe Liguriam profectus eſt, hunc Legatum Romae cum ſumma poteſtate reliquit; neque tamen Piſano Concilio non interfuit, ubi optimum erga Chriſtianam Rempublicam animum declaravit; neque minus Alexandro V. acceptus fuit, qui multis eum honoribus auxit. Quid vero dicam de Joanne XXIII. qui Petrum Legatum miſit A.D. 1411. ut cum Ludovico Andegavenſi conjunctis animis atque copiis Ladislaum Dyrrachinum (11) Gregorii XII. jam Pontificatu dejecti partibus ſtudentem, & Cajetae ſeditione concitata, bellum Eccleſiae nefarie molientem, opprimeret, Neapolitano Regno ſpoliaret, Religionis auctoritatem conſtabiliret? Exſtat etiamnum Diploma ipſum, quo Petro Legatio decernitur; cujus hoc eſt initium: *Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei &c. Quum Dilectum Filium noſtrum Petrum ad recuperationem Regni Siciliae & terrae citra Pharum miſerimus, ut pacis deſiderabilis & optatae bono populi potiantur &c.* Et multo honorificentius alterum exſtat, quo Joannes idem XXIII. Italia excedens, ut ad Conſtantienſe Concilium, ſibi quidem infauſtum, Chriſtianae vero Reipublicae valde utile ac neceſſarium, proficiſceretur, Petrum in Urbe Legatum ſuum, & Pontificis ipſius perſonam & vices gerentem cum poteſtate rerum omnium declaravit. Fuit hoc Diploma datum Bononiae VII. kal. Decembris, Pontificatus anno quarto; atque incipit: *Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Petro Diacono Cardinali . . . . in Alma Urbe, ejuſque comitatu, territorio, ac diſtrictu, ejuſque provinciis Campaniae, Maritimae, Sabinae,*

 *Pa-*

(11) Vide Raynald. Annal. Eccl. ad An. 1409. num. 1.

Digitized by Google

*Patrimonii B. Petri in Tuſcia, Ducatus Spoletani, Marchae Antonitanae &c. pro nobis & eadem Eccleſia cum plurima poteſtate Legati de Latere in ſpiritualibus & temporalibus Generali Vicario &c.* Atque hinc facile perſpici poteſt, Petrum Alexiani Coenobii Commendatarium hominem fuiſſe iis temporibus genere, virtute, ſcientia, rebuſque gerendis praeſtantiſſimum. Obiit, quum adhuc aetate floreret ad ſpem rerum maximarum; atque Romae obiit paullo antequam in Conſtantienſi Concilio, Eccleſiae pace conſtabilita, Martinus V. eſſet Romanus Pontifex declaratus. Sepultus eſt in baſilica Sanctae Mariae Transtyberim in ſepulcro marmoreo, cujus haec eſt Epigraphe:

*Cui ſua pro meritis radiantem fronte galerum*
*Cardineum tribuit virtus etate virenti,*
*Aſpice cum lacrimis, lector; quo marmore clauſum*
*Impia mors rapuit, formam natura nitentem*
*Angelicam dederat. Sapiens, & doctus in omni*
*Prefuit eloquio. Titulum cui Sancte dediſti*
*Angele, Petrus erat nomen. Stat linea prima*
*De Stephaneſcis materno cardine natus.*
*Fulſit ab Hanibale tam longi tramitis evo.*
*Oſſa terit tellus, anime ſtet gloria celo.*

*Obiit Anno Domini MCCCCXVII. menſis*
*Octuber a dì ultimo.*

*Magiſter Paulus fecit hoc hopus.*

Petro Stephaneſco Alphonſum Tituli S. Euſtachii S.R.E. Cardinalem Carillium de Albornottis nuncupatum, in Alexiani Monaſterii adminiſtratione commendatario jure ſucceſſiſſe, comprobant monumenta duo indubiae antiquitatis & fidei, quae nunc primum e Tabulario noſtro

ſtro in lucem proferuntur; alterum eſt (12) Diploma Martini Papae V. datum Romae V. kal. Maji Pontificatus anno nono, atque inſcriptum: *Dilecto Filio Alfonſo S. Euſtachii Diacono Cardinali .... Cum itaque &c. tu provide attenteque conſiderans, quod Monaſterium SS. BONIFACII & ALEXII de Urbe Premonſtratenſis Ordinis ſub Regula S. Auguſtini conſtitutum &c........ quod in Commendam ex diſpenſatione Sedis Apoſtolice obtines &c.* alterum eſt Inſtrumentum, uti vocant, quod fidem facit, noſtrae Hieronymianae Familiae Sodales tum primum in poſſeſſionem miſſos fuiſſe piſcinae illius, quam ſaepe (13) commemoravimus; & quidem *vice & nomine Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Dñi, Dñi Alphonſi miſeratione divina Tituli Sancti Euſtachii Diaconi Cardinalis Commendatarii dicte Eccleſie ſeu Abbatie SS. BONIFACII & ALEXII*, ut legitur in tabulis ea de re confectis A.D. 1427. (14). Haec duo veluti teſtimonia planum omnino faciunt, Cardinalem Carillium Coenobium noſtrum titulo Commendae obtinuiſſe. Sed illud quoque ex Martini V. poſtremis Litteris elicitur, quod ad rem noſtram maxime pertinet, eundem Pontificem Venerab. noſtri Lupi de Olmedo probitate morum, doctrina, & ſanctimonia, ipſiuſque Cardinalis Alphonſi precibus aut ſuaſione permotum, Hieronymianis noſtris Coenobium illud incolendum adminiſtrandumque conceſſiſſe, Praemonſtratenſibus vel ipſis loco cedentibus, vel procul amandatis. Id autem copioſius infra oſtendam, poſteaquam de Alphonſo, quid Hiſtorici Scriptores poſteris tradiderunt, hic, ut rei ratio poſtulat, commemoravero.

Et

(12) Vide infra Cap. XX.
(13) Vide pag. 285. & 289.
(14) Vide Appendic. ad Annum Domini 1427.

Et quidem Panvinius (15), Ciacconius, (16) Felix Contelorius, (17) Balthaſſar Porregnus libro illo, in quem laudes congeſſit Cardinalium Hiſpanorum, tum etiam (18) Caeſar Raſponius, & Creſcimbenus (19), quorum alter baſilicae Lateranenſis, alter templi S. Joannis ante portam Latinam accuratam deſcriptionem fecit, ac demum Aubery (20) in eo libro, quo Vitam ipſius Alphonſi explicavit, hi Auctores, quos conſului, ſic ſentiunt, Alphonſum fuiſſe hominem Hiſpanum nobiliſſima ſtirpe procreatum, qui tamen generis nobilitatem ſua virtute ac induſtria magis magiſque illuſtravit; ac propterea ſatis dignum habitum fuiſſe, quem Benedictus XIII. Cardinalium Collegio adſcripſerit (21): at poſt Concilium illud, quod

(15) Panvinius in Epitome RR.PP. ad An. 1395.

(16) Felix Contelorius in Elencho S. R. E. Card. pag. 196.

(17) Porregenus in Elogiis Card. Hisp.

(18) Caeſar Raſpon. lib. 2. Hiſt. Baſil. Lateran. cap. 2.

(19) *Creſcimbeni Storia della Chieſa di S. Gio. avanti Porta Latina* lib. 4. cap. IX. pag. 330.

(20) Aubery in vitis Card.

(21) De anno, quo Purpura delata fuit Alphonſo Carillio, non una eſt Auctorum ſententia. Panvinius in Epitome Romanor. Pontific. a S. Petro uſque ad Paulum IV. ad A.D. 1395. Alphonſi Cardinalis creationem refert his verbis: „ Anno Dominicae „ Nativitatis 1395. Pontificatus PP. „ Benedicti XIII. anno ..... die ... „ Papa Benedictus fecit primam or- „ dinationem decem Cardinalium, „ ſex Presbyterorum & IIII. Diaco- „ norum; ex quibus, quos reperire „ potui in tanta rerum obſcuritate, „ ſubjeci, qui ſunt „ I. Alphonſus Carillius Hiſpanus „ Presb. Card. Tit. SS. IV. Corona- „ torum. „ II. Petrus ....

Ciacconius in Vita Benedicti XIII. ad quartam Cardinalium creationem, atque ad Annum 1404. Alphonſi Purpuram refert. „ Anno a Chriſto na- „ to 1404. die 9. Maji Antipontifica- „ tus decimo Benedicti XIII. Ave- „ nione quarto creavit Cardinales, „ qui fuere .... XIX. Alphonſus „ Carillius &c. Felix Contelorius in Elencho S.R.E. Cardinalium pag. 196. haec habet: „ Alphonſus Carillius „ adminiſtrator Eccleſiae Oxomen. „ S. Euſtachii Diaconus confirmatur „ a Martino V. die 1. Aug. 1418. ut „ in Bulla. Obiit Baſileae die 14. „ Maji 1434.

Digitized by Google

quod Conſtantiae ad Eccleſiae pacem reſtituendam habitum fuit, relicto Benedicto, Martini partibus ſtuduiſſe: hujus Pontificis magna in Alphonſum merita, magna amoris atque aeſtimationis argumenta exſtitiſſe; ab ipſo enim eodem fuiſſe in maximis gerendis rebus adhibitum: ab eodem Lateranenſis Eccleſiae Archipresbyteratu, mox etiam ampliſſimis & Bononiae & Arimini Legationibus auctum, ornatum, locupletatum fuiſſe: denique ſupremum diem obiiſſe Baſileae die quarta Martii A. D. MCCCCXXXIV. quam in civitatem venerat, ut Concilio intereſſet: tantum vero fuiſſe luctum ac deſiderium bonorum omnium, ut quidquid Baſileae Praeſulum erat, maxima cum caeremonia Cardinali mortuo parentarent. Sed quod hac praeſertim aetate, quae ad quemdam Perſonarum Sacrarum contemptum delabitur, magnopere animadvertendum exiſtimo, illud eſt, Caſtellae Regem potentiſſimum, audita Alphonſi Cardinalis morte, ſolemne illi ampliſſimumque funus indixiſſe; cui funeri ipſe Rex, & Regina, & Regni proceres omnes interfuerunt luctuoſis pulliſque veſtibus, atque omni ſignificatione doloris & reverentiae. Cadaver Baſilea Romam primum, inde in Hiſpanias translatum, in Oxomenſi templo conditum eſt. Sed nec illud praetereeam, Romae in ſacra aede SS. Quatuor Coronatorum hoc adhuc exſtare Alphonſi monumentum (22):

*Haec, quaecunque vides veteri proſtrata ruina,*
*Obruta verbenis, hederis, dumiſque jacebant.*
*Non tulit Hiſpanus Carillo Alphonſus honore*
*Cardineo fulgens; ſed opus licet occupat ingens,*

*Sic*

(22) Vide *Hiſtor. della Vita e Chieſa de' SS. 4. Coronati ſtamp. Rom.* 1628.

*Sic animus magno reparat palatia ſumptu,*
*Dum ſedet extincto Martinus ſchiſmate Quintus.*

Neque hinc facile non intelligitur, Alphonſum Cardinalem iis temporibus hominem fuiſſe, in quo ſumma eſſet religio, pietas, ſumma auctoritas, ſumma amplitudo; & qui de nobis optime meritus eſt, propterea quod ſatis conſtat, auctorem Pontifici fuiſſe, ut Alexianum Coenobium Hieronymianae Familiae incolendum adminiſtrandumque committeretur: qua de re mox ſermo inſtituitur.




CA-

Digitized by Google

# CAPUT XX.

## *Templi & Coenobii cura ad Monachos Hieronymianos delata Martino V. Pontifice A. D. 1426.*

IN humanis rebus nihil unquam unum eſt conſtans, ut minime mirer, religionem hominum erga antiquiſſimum Templum Alexianum non eandem ſemper fuiſſe, ſed eas habuiſſe vices ac temporum varietates, ut modo quaſi taedio conſepulta conniveret, modo reviviſceret. Verumenimvero, quum primo Coenobium noſtrum in Commendam, quam vocant, redactum eſt, Fidelium pietas ac religio erga Sanctiſſimos Patronos ALEXIUM & BONIFACIUM ita imminui coepit, & paullatim obſoleſcere, ut, quo tempore fidei ac clientelae Alphonſi Cardinalis Carillii Templum idem commendatum fuerat, omnem prope cultum ac ſplendorem omnem amiſerit. Praemonſtratenſes jam omnes dilapſi erant, vix ut duo tresve reliqui eſſent cuſtodes Rerum Sacrarum. Doluit vehementer celeberrimi Templi vices Cardinalis, magnopere ALEXII nomini devotus; atque itane (inquit) tantae vetuſtatis ac religionis Baſilicam, duorum Sanctiſſimorum Hominum & Civium Romanorum memoria conſecratam a Romanis ipſis, negligi patiar, atque in ſquallore ac ſolitudine relinqui? Non feram equidem, neque committam, quando mihi homini, licet alienigenae, ejus Templi procuratio demandata eſt, ut inaniter, atque indigne demandata eſſe videatur. Hoc ille ſecum ſtatuit, ac pie demum feliciter diligenterque perfecit.

Nam opportune accidit, ut per ea ipſa tempora profluxiſſet ad famam atque admirationem hominum mira virtus & morum ſanctitas Venerabilis noſtri Lupi de Olmeto (1), viri certe ſingularis, qui noſtrae fuit Diſciplinae inſtaurator, & Italicae fundator Familiae; de quo tamen alius erit dicendi locus, quum de Claris Hieronymiani Inſtituti Viris, atque hujus Coenobii Abbatibus agam. Hic tamen (quod ab incepto ſermone minime abhorret) leviter perſtringam, fuiſſe illum quaſi e caelo delapſum, ac divinitus datum ad temperandas formandaſque Familias hominum Religioſorum; in quo quidem tanta prudentia fuit, tanta aequitas, ut hodie ſtet Alexiana Familia, ſtent multae aliae (2) Lupi Inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo tanta Monaſtica laus non exſpectabatur, qui adoleſcentiam omnem in forenſi opera conſumpſerat; et tamen, vix abdicatis humanis rebus omnibus, ſe ſe Deo devoverat, adeo virtute prudentiaque profecit, ut dignus ſit habitus, ad quem Ordinis gubernacula deferrentur; cui quidem Ordini ita praefuit, ut non modo opinionem vicerit omnium, quae de virtute ejus erat, ſed

(1) Venerabilis Viri Lupi de Olmeto Hiſpalenſis, Hieronymianae Familiae olim inſtauratoris ac Abbatis Generalis perpetui, Vitam Italico & Latino idiomate primum conſcripſit ac edidit noſter P. Abbas D. Pius Rubeis, vir pietate, doctrina, pluri miſque editis ingenii ſui monumentis clariſſimus, & ſupremi apud nos moderatoris officio perfunctus.

(2) Familiae Monachorum Hieronymiani Inſtituti, a Ven. Lupo olim inſtaurati, plures ſunt non Italiae modo, ſed Luſitaniae, ac Hiſpaniarum in Regnis adeo feliciter propagatae, ut Monaſteria amplius octoginta nunc vigeant; prae quibus celebriora ſunt: in Italia Coenobium S. Petri de Hoſpitaletto provinciae Laudenſis: in Portugallia S. Mariae de Bethlehemo Uliſſiponenſe ſuburbanum: in Hiſpaniis S. Laurentii *de Eſcuriali* a Philippo II. magnificentiſſime exſtructum, atque inter artis prodigia merito adſcribendum.

Digitized by Google

ſed etiam gloriam ſuperiorum. Mox ex Operibus S. Hieronymi in librum unum (3) noſtrae Familiae Diſciplinam ita redegit, ut ſanctitatem omnes admirarentur, prudentiam agnoſcerent. Tantum ergo virum & in omni laudis genere excellentem delegit Alphonſus, maximeque idoneum judicavit, qui jacentem Alexiani Templi dignitatem religionemque excitaret. Ergo Martinum V. Pontificem Maximum adit, eique demonſtrat, quid facto opus eſſe judicet, ad reſtituendum decus antiquiſſimi Templi. Laudat Martinus ſanctiſſimum Cardinalis conſilium, eique dat ampliſſimum Diploma, quo Praemonſtratenſes alio amandantur, atque in Templi Coenobiique poſſeſſione Lupus, atque omnis Hieronymiana Familia collocatur. Neque vero maximae Alphonſi exſpectationi non reſpondit vir ſanctiſſimus. Nam Coenobium ipſum Alexianum delegit, in quo habitaret, omiſſis aliis, quae

 Hie-

(3) De hoc libro, qui Regulae Monachorum titulo praenotatus legitur tomo nono Operum S. Hieronymi, audiendus Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus, qui ibidem haec habet: „ Hanc Regulam Monachorum ex veris Divi Hieronymi ſententiis collectam . . . ita apposite congruenterque in unum *Lupus* de Olmeto connexuit, ut non aliter, quam hic legis, fudiſſe eas Hieronymum exiſtimare poſſis . . . . . Multis igitur laudibus dignus eſt *Lupus*, qui ad hominum vitam recte ſancteque inſtituendam, & Monachorum profeſſionem ſervandam, haec ipſa ex Hieronymo, quem Monachum fuiſſe nemo eſt, qui ignoret, docte appoſiteque collegit „ . Eandem Regulam nobis obſervandam propoſuit Martinus Papa V. geminiſque Litteris Apoſtolicis comprobavit, Dat. Romae apud SS. Apoſtolos, altera Idus Martii Pontificatus anno XII. altera VI. Idus Julii Pontif. an. XIII. quarum utraque legi poteſt in Bullario Hieronymiano, quod ex autographis, hac illacque per Monaſteria Inſtituti noſtri diſperſis, non ſine moleſto labore collegimus, & Deo adjuvante in publicam lucem proferemus. Regulam vero ipſam in multis reſtituit, & propriis ad ſingula quaeque capita allegationibus illuſtravit, ac edidit Comi praelaudatus noſter P. D. Pius Rubeus Anno 1621. ſub hoc titulo; *Flores S. P. Hieronymi*.

Digitized by Google

Hieronymianae Familiae, propter hominis famam ſanctitatis, Apoſtolica de Auctoritate fuerant attributa (4). Illic ſedem fixit ſuam, illic diem ſupremum obiit, illic ſepulcrum habet, & exſculptam marmoreo ſepulcro (5) anagliptici operis effigiem, cui circumundique inciſa fuit Inſcriptio clariſſimae vitae teſtis, quae eſt hujuſmodi:

HICACET REVERĒDVS IN XPO PATER FRATER
LVPPVS DE OLMETO NACIOÑ ISPANVS RESV-
SCITATOR ET REFORMATOR AC PRIMVS GENERALIS
PREPOSITVS ORDINIS MONACHORVM HEREMITARVM
SCĪ IERONIMI PRIORQVE HVIVS MONASTERII QVI
OBIIT DIE III. APRILIS . A. D. MCCCCXXXIII. PONT.
DÑI. EVGENII. PPE. IIII. ĀNO. TERTIO.

Non eſt hic tamen debito laudis teſtimonio privandus Alphonſus Cardinalis, ſiquis alius optime meritus de Alexiano Templo, deque Hieronymiana Familia, cui Templum idem Coenobiumque adminiſtrandum curavit eo Diplomate Martini V. Pontificis, de quo ante diximus, & quod hic afferimus.

MAR-

(4) Nomina Monaſteriorum, quae nobis Hieronymianis obtinuit Ven. Lupus, haec ſunt: In Hiſpaniis Monaſteria S. Hieronymi de Caſalla, S. Mariae de Barameda, S. Michaelis de Colle, S. Mariae de Valle, S. Annae de Tendilla, atque S. Iſidori prope Hiſpalim: in Urbe Monaſteria duo, S. Petri ad Vincula, & SS. Bonifacii & Alexii: Florentiae in Suburbiis Mon. S. Mariae de Campora: & Mediolani in Suburb. S. Hieronymi de Caſtellatio. Vide in Bullar. Hieron. Bull. Martini V. & P. D. Pium Rubeum in Vita Ven. Lupi.

(5) Vid. Tab. IX.

Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google

## *MARTINUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI*

„ Dilecto Filio Alfonſo S. Euſtachii Diacono Cardi-
„ nali ſalutem & Appoſtolicam Benedictionem .

*INjunctum nobis deſuper Apoſtolice ſervitutis officium , quo univerſis orbis eccleſiis & monaſteriis preſidemus , nos excitat & inducit , ut ad ea , per que eccleſiarum & monaſteriorum eorumdem , in ipſiſque divinis deditarum laudibus perſonarum ſtatus proſpere dirigi , Religionis ubertas procurari , & divinus cultus adaugeri , per noſtre proviſionis miniſterium , paternis & ſollicitis ſtudiis intendamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat , tu provide attenteque conſiderans , quod Monaſterium SS. BONIFACII & ALEXII de Urbe Premonſtratenſis Ordinis ſub Regula S. Auguſtini conſtitutum , quod in Commendam ex diſpenſatione Sedis Apoſtolice obtines, a longis retroactis temporibus perſonis in Regulari Obſervantia viventibus caruit , & eodem cultu penitus quaſi remanſit deſtitutum ; et propterea pro cultus & Religionis hujusmodi inibi propagatione felici Monaſterium ipſum , dicto Ordine ac Abbatialis Dignitatis titulo in illo ſuppreſſis, Dilectis Filiis Luppo de Olmeto Prepoſito Generali , & ejus ſucceſſoribus , aliiſque Monachis & Profeſſoribus Ordinis Monachorum Heremitarum S. Jeronimi, ſub dicta Regula S. Auguſtini viventibus, de ſua ſub debita Regulari Obſervantia vita devota laudabiliter commendatis, pro eorum uſu & habitatione perpetuis concedi & deputari*

*tari concupiſcas, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis tuo propoſito benigne annuere, aliaſque oportune providere de benignitate Appoſtolica dignaremur.*

*Nos igitur pium & ſincerum tuum in hac parte propoſitum condignis in Domino laudibus commendantes, ac de premiſſis eiſdem, tam tuis, quam veris aliorum & fide dignis relatibus certam habentes notitiam, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Ordinem Premonſtratenſem, ac Abbatialem Dignitatem predictos in prefato Monaſterio, Auctoritate Apoſtolica tenore preſentium, penitus ſupprimimus & extinguimus; ipſumque Monaſterium, etiamſi Patri Abbati dicti Ordinis Premonſtratenſis, aut eorum Capitulo, ſeu cujuſvis alteri hactenus ſubjectum fuiſſet, cum omnibus bonis mobilibus et immobilibus, aliiſque juribus et pertinentiis ſuis, cujuſcumque ſint valoris ſive redditus, quem preſentibus haberi volumus pro expreſſo, ad Ordinem Monachorum S. Jeronimi eadem Auctoritate transferimus; nec non Luppo Prepoſito, ejusque ſucceſſoribus, ac Monachis et Profeſſoribus prefatis, eorumque Ordini pro ipſorum uſu et habitatione hujusmodi, juxta dictam Ordinis Monachorum Regulam, conſuetudines, et Inſtituta, que nunc ſeu pro tempore habuerint, gubernandum, tenendum, atque regendum Auctoritate prefata tradimus, conferimus, et concedimus. Et inſuper Priori et Monachis in ipſo Monaſterio pro tempore moraturis, ut omnibus et ſingulis exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus, & indultis prefato Ordini Monachorum, ejuſque Monaſteriis, domibus, et perſonis, ac Monaſterio hujuſmodi quomodolibet conceſſis, uti et gaudere conjunctim vel diviſim poſſint et valeant, harum ſerie in-*

*dulge-*

*dulgemus Auctoritate predicta, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum et Ordinum predictorum, etiam juramento, confirmatione Appoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, et quibusvis aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, et Litteris Appoſtolicis Monaſterio et Ordini Premonſtratenſi predictis, ſpecialibus, vel generalibus, ſub quavis verborum forma conceſſis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum plena et expreſſa in preſentibus mentio facienda foret, ceteriſque contrariis quibuſcumque.*

*Datum Rome apud Sanctum Petrum V. kal. Maji Pontificatus Noſtri Anno Nono.*

Hactenus Litterae Martini V. Pontificis Optimi Maximi, qui noſtros Hieronymianos jam Coenobium S. Petri ad Vincula in Urbe poſſidentes auxit Alexianis Aedibus; in quarum poſſeſſione cum Venerabilis Lupus, tum reliqui ſemper Abbates ad hunc uſque Annum MDCCLII. fuerunt, quos ego ex oblivionis tenebris eductos, atque ad rationem temporis ordinate deſcriptos, afferendos exiſtimavi. Sunt autem

*Alexiani Coenobii Abbates*

A. D.

1426. Ven. P. D. Lupus de Olmedo Dioeceſis Hiſpalen.

1431. P. D. Henricus de Alemania.

1433. P. D. Lupinus Hiſpanus, electus in primis Comitiis Generalibus Italiae habitis in Monaſterio S. Hieronymi de Caſtellatio Mediolani ſuburbano.

1444. P. D. Gaſpar de Paſqualibus.

1451.

A. D.

1451. P. D. Bonifacius Aegidius.
1452. P. D. Antonius de Cuſano confirmatus.
1455. P. D. Aegidius de Flandria confirm.
1462. P. D. Gherardus de Alemania.
1463. P. D Sylvanus.
1464. P. D. Matthias de Lignano.
1465. P. D. Matthaeus de Gromo.
1466. P. D. Thomas Gadicenſis Hiſpanus.
1467. P. D. Bartholomaeus de Gromo.
1468. P. D. Thomas Gadicenſis iI. confir.
1470. P. D. Bartholomaeus de Gromo iI.
1471. P. D. Benignus de Graſſis Mediolanen. confir.
1473. P. D. Calixtus de Petra Sancta Mediolanen.
1474. P. D. Benignus de Graſſis iI. conf.
1476. P. D. Calixtus de Petra Sancta iI.
1477. P. D. Cyrillus de Baſilica Petri Mediolanen.
1478. P. D. Benignus de Graſſis iiI.
1479. P. D. Bonifacius de Alemania.
1480. P. D. Thomas . . . . . . . de Mediolano.
1481. P. D. Calixtus de Petra Sancta Mediolan. iiI.
1482. P. D. Deſiderius de Romeriis.
1483. P. D. Salomon della Porta Mediolanen. conf.
1486. P. D. Thomas de Canali Mediolanen.
1487. P. D. Bartholomaeus. . . . . . de Novaria.
1488. P. D. Balthaſſar de Pergamis Mediolanen.
1489. P. D. Dionyſius Terzaghi Mediolanen.
1490. P. D. Bernardus de Concoregio.
1491. P. D. Felicianus.
1492. P. D. Sigiſmundus Vicomercati Mediolanen. confirmatus.

1495.

A. D.

1495. P. D. Balthaſſar de Pergamis Mediol. iI. conf.
1497. P. D. Sigiſmundus Vicomercati iI.
1498. P. D. David.
1499. P. D. Benedictus de Nova Mediolanen.
1500. P. D. Balthaſſar . . . . . . de Mediolano.
1501. P. D. Donatus . . . . . . . confirmatus.
1504. P. D. Benedictus de Pizleone.
1505. P. D. Dionyſius Terzaghi Mediolanen. iI.
1506. P. D. Eliſeus de Cribellis Mediolanen. conf.
1509. P. D. Gaudentius . . . . . . . . . . confirmatus.
1512. P. D. Albertus de Ottatiis . . . . confirmatus.
1514. P. D. Pacificus . . .
1515. P. D. Bernardinus Landinellus de Pontremulo confirmatus.
1519. P. D. Gaſpar de Baſilica Petri.
1520. P. D. Cyprianus . . . .
1521. P. D. Albertus . . . . . Papienſis confirmatus.
1525. P. D. Paſtor de Gambaris.
1526. P. D. Cyprianus . . . .
1528. P. D. Gregorius . . .
1529. P. D. Bartholomaeus de Feſtis Novarien. conf.
1532. P. D. Felicianus . . . . confirmatus.
1533. P. D. Barnabas de Siporigio.
1534. P. D. Benedictus . . . .
1535. P. D. Hieronymus de Vitalibus de Pizleone.
1536. P. D. Barnabas de Siporigio iI.
1537. P. D. Claudius de Federicis de Trivilio Mediol. confirmatus.
1539. P. D. Paulus . . . . confirmatus.
1541. P. D. Coſmas . . . .



Digitized by Google

A. D.
1542. P. D. Barnabas de Siporigio III.
1543. P. D. Claudius de Federicis de Trivilio II.
1546. P. D. Balthaſſar de Serenio Mediolanen. conf.
1548. P. D. Claudius . . . . confirmatus.
1550. P. D. Bartholomaeus . . . .
1552. P. D. Claudius de Federicis III.
1555. P. D. Placidus de Criſpis Mediolanen.
1556. P. D. Claudius de Federicis IV.
1558. P. D. Cherubinus . . . . .
1560. P. D. Felicianus de Correggiis Mediolanen.
1562. P. D. Nicolaus Boſſius Mediolanen.
1563. P. D. Lucius de Paraboſchis Placentinus.
1564. P. D. Joannes Baptiſta . . . de Placentia.
1568. P. D. Hieronymus de Cremaſchis.
1569. P. D. Bernardinus Braſca Mediolanen.
1570. P. D. Proſper Bononienſis.
1571. P. D. Aloyſius de Cumo.
1574. P. D. Hieronymus de Cremaſchis II. & confirmatus ob graſſantem peſtem.
1579. P. D. Urbanus Ripa.
1580. P. D. Hieronymus de Cremaſchis III.
1582. P. D. Leander Dulcianus Placentinus.
1584. Idem confirmatus. *Hoc anno Gregorius Papa XIII. Pontificio Diplomate ſanxit, non amplius in ſingulos annos Comitia Generalia a nobis habenda, ſed tertio quoque anno.*
1587. P. D. Cornelius . . . .
1590. P. D. Virgilius de Renatis Mantuanus.
1593. P. D. Mutius de Securis Placentinus.
1596. P. D. Gregorius Lucianus Cremonenſis.

1599.

Digitized by Google

A. D.
1599. P. D. Julius Zanelli Cremonen.
1602. P. D. Julius Moriggia Mediolanen.
1605. P. D. Petrus Porrus Placentinus.
1608. P. D. Balthaſſar Sudati Mediolanen.
1611. P. D. . . . . Sertorius.
1614. P. D. Deſiderius Piola Mediolanen.
1617. P. D. Michael Angelus Moloſſus a Pontremulo.
1620. P. D. Horatius Maghenzanus a Cremona.
1623. P. D. Deſiderius Piola Mediolanen. iI.
1626. P. D. Pacificus Cocchus Cremonen.
1629. P. D. Horatius Maghenzanus Cremonen. iI.
1633. P. D. Sebaſtianus a Lauda.
1636. P. D. Damianus Rivoli Mediolanen.
1639. P. D. Hieronymus Figginus Mediolanen.
1642. P. D. Petrus Franciſcus Solarius Pedemontanus.
1645. P. D. Paulus Antonius Ranzeus Mediolanen.
1648. P. D. Euangeliſta Commendullus Cremonen.
1651. P. D. Hieronymus Figginus Mediolanen. iI.
1654. P. D. Paulus Camillus Reverta Mediolanen.
1658. P. D. Euangeliſta Commendullus Cremonen. iI.
1661. P. D. Timotheus Sclafinati Mediolanen.
1664. P. D. Hippolytus Franciſcus Beccaria Mediol.
1667. P. D. Deſiderius Ambroſini Cremonen.
1670. P. D. Paulus Camillus Galerani Mediolanen.
1673. P. D. Angelus Franciſcus Porrus Mediolanen.
1676. P. D. Idem confirmatus.
1679. P. D. Sigiſmundus Brumanus.
1682. P. D. Idem confirmatus.
1685. P. D. Coſmas Monforti Mediolanen.
1688. P. D. Angelus Franciſcus Porrus Mediolan. iI.

A. D.

1691. P. D. Sigiſmundus Politius Placentinus.
1694. P. D. Coſmas Monforti Mediolanen. iI.
1697. P. D. Franciſcus Hieron. de Capitaneis Mediol.
1700. P. D. Euangeliſta Biſſus Cremonen.
1703. P. D. Petrus Hier. Coquius de Cumis Mediol.
1706. P. D. Carolus Antonius Bonvini Mediolanen.
1709. P. D. Gabriel Maria Caſali Placentinus.
1712. P. D. Carolus Antonius Bonvini Mediolan. iI.
1715. P. D. Leonardus Riccordi Mediolanen.
1718. P. D. Joan. Antonius Navaroli Cremonen.
1721. P. D. Julius Franciſcus Balletta Mediolanen.
1724. P. D. Caſimirus Merini Mediolanen.
1727. P. D. Valerianus Dordoni Placentinus.
1730. P. D. Caſimirus Merini Mediolanen. iI.
1733. P. D. Paulus Alexander Serponte Mediolanen.
*Bellorum cauſſa, qui tum ſupremus erat Familiae noſtrae moderator* Rmus P. D. Auguſtinus Marliani Mediol. *Comitia Generalia diſtulit in An.* 1737.
1737. P. D. Theophilus Seraphinus Grandi Cremon.
1740. P. D. Joſeph Antonius Bolognini Mediolanen. *obiit Romae* 31. *Julii* 1742.
1742. P. D. Caeſar Ludovicus Sartirana Mediolanen.
1743. P. D. Jacobus Muttoni Mediolanen.
1746. P. D. Theodoſius Maria Veggi Placentinus, nunc Abbas Generalis.
1749. D. Felix Maria Nerinius Mediolanen. qui haec ſcribebam III. Non. Januarii MDCCLII.

Haec ſunt noſtrorum Abbatum nomina. Sed & Alexianarum Aedium adminiſtrationem ab iis geſtam, & res memoria ac ſcriptione dignas ſecundus, ut ſpero, liber perſequetur.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT XXI.

## *Jacentium in Alexiano Templo Epitaphia, quae ſuperſunt.*

NEmini dubium debet eſſe, quin ad Alexiani Templi exiſtimationem quamdam pertineat honorifica eorum hominum, quorum illic ſepulcra exſtant, commemoratio. Eo enim ſtudioſius convenire ſolemus, ubi plura ſunt monumenta illorum, quos antiquis temporibus vel probitate morum, vel doctrina, vel genere, vel dignitate, vel rebus praeclare geſtis magnos & nobiles fuiſſe accepimus. Tanta vis admonitionis, ut ajebat Cicero (1), ineſt in locis ipſis & ſepulcris Majorum, ut, quoties illic verſamur, toties ipſos quaſi ante oculos habere videamur. Quamobrem, ne hac in re quidquam diligentiae noſtrae deſideretur, ſingula, quae ſuperſunt Epitaphia, hic in unum collegimus, & ad rationem temporum diſpoſuimus, ſimulque Templi locum ipſum indicavimus, in quo ante ejuſdem inſtaurationem poſita jacebant.

Antiquior itaque, quae nobis viſa ſit Epigraphe ſepulcralis, Diaconiſſae cujuſdam eſt, quam in pavimento ſiniſtrae navis, qui templum ingrediebatur, legebat inſculptam marmore. Hoc ab artificum imperitia in partes diffractum iterum compoſuimus, ſed mancum & mutilum, uti hic apponimus.

. . . . RTE

(1) M. Tullius Cicero lib. v. de Finibus ad Brutum §. 2.

## I.

. . . . RTE SEVA NVLLI QVI PARCERE NESCIT
. . . . DAT. LAMENTVM FATIGAT.
. . . . RI LOCATA MEBRA IOHIS.
. . . . TIMO. POLLENS CVRRIT EVO:
. . . . RI ET CARVS VALDE AMICIS.
. . . . ROFEC . . A . DIACONISSA ERAT.
. . . . SIC SIC STEPHANIA SORORE
. . . . DIE VNDECIMO:
. . . . EDIC . . . . PAPA INDICTIONE SEPTENA.
. . . . SCE . . . . . NIS ALEXI.
. . . . VVL . . . . OMENDAMINI SEPER:
. . . . ENIAM . . . . . . O POSCITE.
. . . . VALEAT S . . . . . TES CANDERE CAELI.

Hanc Inſcriptionem mihi primum legenti fateor in mentem veniſſe Stephaniae illius ſororis Joannis Graeci, de qua fit mentio in Litteris Caeleſtini Papae III. *Dat. Laterani XVIII. Kal. Januarii Pontificatus Anno Quinto* (2). Sed, ut ne falſae opinioni facile aſſentirer, fecit adjecta ſignificatio temporis, hoc eſt, *Benedicto Papa Indictione ſeptena*. Etenim ab A. D. 1033. uſque ad A. D. 1303. nemo unus Pontificum Romanorum fuit, qui hoc nomine appellaretur. Caeleſtinus vero annum agebat quintum Pontificatus ſui A.D. 1195. Quare

(2) Caeleſtini Litteras affert Marius Creſcimbenus ſub finem libri 3. Hiſt. S. Joan. ante Por. Lat. pag. 218. & ſeq. Vid. ſupra pag. 257. not. (38).

re ſuſpicor, ad Benedicti VII. annum quartum, qui congruit cum Indictione ſeptima A. D. 979. Epigraphen hanc rejici oportere, praeſertim quum eo tempore Stephanias fuiſſe duas, & quidem clariſſimas feminas, Urbiſque, uti vocabant, Senatrices compererim; altera, quae poſt mortem Aldae filiae Ugonis Regis Italiae (3) ſecunda conjux fuit Alberici II. Comitis Tuſculani, qui prope Monaſterium Alexianum in Aventino habitabat (4); altera vero, quae Benedicti Comitis uxor fuit, Alexianiſque Monachis praedia quaedam donavit ad Aſturam (5). Utra harum ſit, cujus in Inſcriptione mentio fit, non poſſum ſtatuere; ſed alterutram fuiſſe, nullus dubito. Accedit, quod forma ipſa litterarum, quae inciſae lapide leguntur, ſaeculum decimum certe indicant. Quid vero quod Diaconiſſae officium (6) in Roma-

(3) In coronide columnarum S. Euſtachii Kircherius abs ſe viſam refert hanc Inſcriptionem: EGO STEFANIA PRO ANIMA MEA ET VIRI MEI ET FILIORVM AD DVAS COLVMNAS ERIGERE FECI. Poſtmodum vero haec ſubdit: *Albericus Marchio & Comes Tuſculanus ex Theodora genuit Albericum II. Comitem Tuſculanum . . . . Albericus II. frater Joannis uxores binas habuit, Aldam Patriciam Romanam filiam Ugonis Regis Italiae, & Stephaniam Senatricem Romanam Anno 991. atque haec eſt religioſa illa Stephania, quae fieri juſſit partem columnarum in dicta S. Euſtachii eccleſia &c.* Vide Athanaſ. Kircher. Hiſt. Euſtachio-Marian. par. 5. cap. 2. & Zazzeram.

(4) *Albericus Romanorum Princeps Glorioſus propriam domum, in qua natus fuerat, Romae in Aventino monte poſitam conceſſit ad Monaſterium conſtituendum.* Ex M. S. Farfenſi. Vide ſupra Cap. VIII. pag. 64. & ſeq.

(5) Vide ſupra Cap. IX. §. III. pag. 92. & infra in Append. num. III.

(6) Diaconiſſarum officia exponit S. Epiphanius de Haereſ. haereſ. 79. his verbis: *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur, ſive ut Baptiſmi tempore adſit, ſive ut, quum nudandum eſt mulieris corpus, interveniat, ne virorum, qui Sacris operantur, aſpectui ſit expoſita, ſed a ſola Diaconiſſa videatur, quae Sacerdotis mandato mulieris curam.*

Digitized by Google

Romana Eccleſia poſt X. ſaeculum antiquatum fuiſſe, Celebres eruditione ac doctrina Viri oſtendunt (7). Ad decimum igitur ſaeculum revocari omnino debet haec Inſcriptio, in qua quum Alexii appellatio inducatur, illud fit, quod ad antiquitatem religionis erga B. Alexium valet plurimum, vel eo tempore magno jam in honore fuiſſe memoriam Sanctiſſimi Viri.

Sed alias incerti temporis Inſcriptiones perſequamur.

II.

FORTVNVLA QVE VIXIT ....

QVI VIXIT ANNOS XXXV QVI....

VIXIT SVP..R. CONPARIN....

Illud SVPER CONPARIN conjugem ſuperſtitem ſignificat. Sic enim Creſcimbenus (8) Epigraphen, in qua legitur: *vixit cum compare ſua annos XXVI.* cum conjuge ſua interpretatur.

FLO-

*ram agit &c.* Dominicus Macri in Hierolexico Diaconiſſarum quamdam ſpeciem apud Mediolanenſes noſtros adhuc ſervari autumat, inquiens: „ In Eccleſia Metropolitana „ Mediolanenſi adhuc durat hoc Dia„ coniſſarum officium, & ſunt ma„ tronae aliquae, quas *vetulones* vo„ cant, quae in Miſſa Cantata juxta „ Ambroſianum Ritum ad Offerto„ rium ferunt panem & vinum pro „ Sacrificio „. Verum quid hujuſmodi *vetulonibus* commune ſit cum antiquis illis Diaconiſſis, quas ſolus certiſſime ordinabat Epiſcopus, plane non video. Conſulatur Thomaſſinus Vet. & Nova Eccleſ. Diſciplina par. 1. lib. 3. capite 50. Graeci autem διακόνισσαν vocant Diaconi uxorem. Ceterum plura ſuppetunt antiqua Diaconiſſarum Epitaphia, prae quibus apud Murator Nov. Theſ. Vet. Inſcript. claſſ. v. occurrunt pag. CDXXIV. 6. THEODORA DIACONISSA, quae Ticini ſepulta fuit in templo Sanctiſſimae Trinitatis, & pag. CDXXXVII. 1. DACIANA DIACONISSA QVE V. AN. XXXV. &c. Vide ibidem.

(7) Cabaſſutius in Notitia Eccleſiaſtica diſſert. de Diaconiſſis pag. 25. Thomaſſinus ubi ſupra, cap. 49. pag. VIII. & cap. 51. aliique.

(8) Marius Creſcimbenus Hiſt. S. Jo. ante Portam Latinam lib. II. cap. 4. pag. 101. num. 26.

Digitized by Google

## III.

FLORENTIA VIRGO
QVAE VIXIT
ANN. XVIII.
DEPOSITA V. IDVS
SEPT. PARENTES
BENE MERENTES

## IV.

FLORENTIVS QVI BIXIT
ANNOS ☧ LXVIIII. MESES
III. DIES XX. IN PACE

Duo haec Epitaphia noſtris in Aedibus jam legerat Doctiſſimus Joſeph Blanchinius, & quod Celeberrimi Praeſulis Blanchinii fratris filius eſt, & quod plurima ſui ingenii monumenta emiſit, omnium ſermone celebratus, mihique amiciſſimus. Is illa abs ſe accurate deſcripta miſit ad Virum Clariſs. Ludovicum Muratorium, qui ea illico edidit in Novo Theſauro Veterum Inſcriptionum (9). Nemini autem ignotum arbitror, niſi ſiquis in lectione veterum Inſcriptionum plane hoſpes ſit, ab Antiquis B. pro V. ſaepiſſime uſurpatum, ut in Gruterianis legitur *abe*, *atabis*, *biolare*, *berecunda*, *conſecraberunt*, *Octabius*, *probincia*, *bibo*, *bixit &c.*



(9) Murator. Nov. Theſaur. Veter. Inſcript. tom. 4. Inſcript. Chriſtian. pag. MDCCCLXXV. num. 3. & 5.

pro ave, atavis, violare, verecunda, conſecraverunt, Octavius, provincia, vivo, vixit &c. Nec abſimiliter N. ſaepenumero omiſſum; unde apud eundem Gruterum habetur *meſes*, *meſor*, *impeſa &c.* pro menſes, menſor, impenſa &c.

V.

SVSCIPE ME SOCIAM TV . . . . . . .
CVI MORS EST TECVM . . . . .
HIC MEA MENS SIMVL EST . . . . .
MORTEM FERRE TVĀ . . . . .
SANGINE FORTVNS ANI . . . . .
ET QVANTVM IN THAL . . . . . . .
PVBLICA CVRA TVAE F . . . . .
ILLVSTREM TRIBVIT . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . .

Fragmentum Lapidis mutilamque Inſcriptionem afferimus exſpectantes, ut, quidquid diſperſum eſt, aliquando recolligatur.

VI.

HIC REQVIESCIT COR
PVS DOPÑI LEONIS
CONSVL' ROMANORVM

Ex Alexianis ruderibus in aedes Hoſpitii noſtri ad clivum Capitolinum translatus hic lapis quadratus, nunc cooperiendae ciſternulae inſervit. Quis autem Leo Con-

Conſul ſub ipſo ſepultus fuerit, deficiente temporis notatione, plane ignoro. In Litteris Caeleſtini Pontificis Dat. An. 1194. Ind. 13. Decemb. die 12. legitur: *Ego Dominus Leo Frajapani Dei gratia Romanorum Conſul &c.* Videſis Hiſtor. Terracinae lib. II. cap. 2. pag. 170. Auctore Dominico Contatore, & ſuperius Cap. XI. pag. 192. not. (8).

Sed certi temporis Inſcriptionum antiquiſſima illa eſt Sergii Damaſceni Antiſtitis, quae ad Coenobii parietes nunc affixa, olim medio in Templo legebatur.

## VII.

✠ SERGIVS HIC RECVBAT METROPOLITA SEPVLTVS

QVI QVONDAM FVERAT DAMASCI TEMPORE LONGO:

NVMINE PERDVCTVS &c. *Vide pag. 68.*

Hic eſt ille Sergius, de quo multa ſuperius commemoravimus(10). Sed & illud ſilentio praetereundum non eſt, vetuſtiſſimam B. M. Virginis Effigiem, lignea in tabula depictam, quae Edeſſae in Syria, miras voces edidiſſe, atque ALEXIUM Hominem Dei indicaſſe fertur, quo a ſaevientium Saracenorum injuria eriperetur, huc aſportatam opera ejuſdem Sergii: quod ex Inſcriptione intelligitur, quae ſiniſtrorſum ad Sacellum Virginis affixa eſt.

Rr 2 DOM

(10) Vide ſup. Cap. VIII. pag. 67. & ſeq. atque Cap. IX. §. I. pag. 80.

Digitized by Google

D O M

VENERANDA . HÆC . MARIÆ . VIRGINIS . VETVSTISSIMA . EFFI (GIES
CLARVM . ABAGARI . REGIS . MONIMENTVM
QVA . MONSTRANTE . EDITA . IN . MIRACVLVM . VOCE
ALEXIVS . HOMO . DEI . IN . EDESSA . SYRIÆ . PRÆNVNCIATVS
TANDEM . RELICTA . ILLA . PROPE . MILLENARIA . SEDE
FORTE . SARRACENORVM . NEQVITIÆ . CASIBVS . PER . ID . (TẼPORIS OBIECTATA
HVC . PIO . SERGII . ARCHIEPISCOPI . DAMASCENI . STVDIO . (ACCERSITA
VT . QVEM . IN . VITA . DEO . PRÆDESTINATVM
EVNDEM . FLORENTE . POST . FATA . GLORIA . COELO . RECE- (PTVM
CONTESTARETVR
EGREGIVM . SANCTVARII . ISTIVS . PROPVGNACVLVM
EXCELSO . IN . MARMORE
DECORVM . REFVLSIT

Antiquiſſimam hanc Imaginem repraeſentat Tabula X. At de illa redibit ſermo, quum de ipſius Aedicula ſeu, ut vocant, *Cappella* ab Angelo Franciſco Porro Alexiano Abbate A. D. 1674. exaedificata, deque reliquis Templi Sacellis agemus altero Libro. Illud tantum hic commemorare praeſtat, quod ex Turrigio intelligimus in notis mſs. in margine ad librum Pancirolii *de Theſauris Urbis abſconditis*, quem librum ſua ex bibliotheca mihi perhumaniter communicavit Clariſſ. Eques Victorius. In eo igitur ad-

Digitized by Google

Tab. X. Pag. 316.



IMAGO·MIRACVLOSA·VIR·MARIÆ
IN·ECCLESIA·S·ALEXII·

Digitized by Google

Digitized by Google

adnotatur, olim apud eandem Virginis Imaginem hanc fuiſſe Inſcriptionem: *Haec eſt illa Imago digna B. Mariae ſemper Virginis, quondam exsiſtens in eccleſia eidem B. Virgini in civitate Edeſſa, ubi B. ALEXIUS peregrinus degebat, & coram qua ſemper volebat orare, nec permittebatur. Unde ipſa Beatiſſima Virgo bis miraculoſe loquuta, dixit cuſtodi eccleſiae: fac introire Hominem Dei, ideſt ALEXIUM, qui ſedet foris in oſtio, qui dignus eſt Regno caelorum.* Sed ego ahenea in lamina, quae eandem Imaginem circumveſtit, haec ſculpta animadverti:

HEC. EST. VERA. IMAGO. ILLA. B. MAR. V. EDESSE
QVE. A. S. LVCA. IN. HAC. TABVLA. MANV. PROP.
DEPICTA. SANCTITATEM. D. ALEXII. PREDICENDO
CVSTODI. ECCLESIE. BIS ALLOCVTA EST.

VIII.

* CORPORE HIC RECVBAT CRESCENTIVS INCLI
TVS ECCE: EXIMIVS CIVIS ROMANVS
DVX QVOQ; MAGNVS: EX MAGNIS MAGNA
PROLES GENERATVR ET ALTA: IOH PATRE
THEODORA MATRE NITESCENS &c. *Vide pag.* 84.

De hoc Creſcentio Theodorae filio, qui primum Dux Romanorum fuit, deinde Monachus Alexianus, abunde ſuperius egimus (11). Sed hic tacitus praeterire nolo Creſcentium & Theodoram illos, quorum filius Nicolaus per ea ferme tempora domum conſtruxit, quae vulgo dicitur *palatium Pilati* (12), prope tem-

(11) Vid. ſup. Cap. IX. §. II. pag 83. & ſeq.

(12) Palatium Pilati ſic forte vocatum, quod quis Pilati nomine illud olim poſſederit, aut incoluerit. Profecto hanc fuiſſe originem deno-

templum S. Mariae Aegyptiacae, olim Fortunae Virilis ad Tyberim. Eorum memoriam prodit Epigramma quoddam ſane barbarum, at Antiquitatis amatoribus, ut auguror, non injucundum. Hoc arcui marmoreo ejuſdem domus inſculptum eſt; quod, quia a nemine, quem ego ſciam, editum fuit, iccirco hic affero.

L.C.L.T.N.R.S.O.C.N.S.T. N.T.S.C.L.P.T.F.G.R.S.

T.R.S.H. NIC. D.
P.N.T.T. ✠ NON FVIT IGNARVS CVIVS DOMVS HEC NICOLAVS. D. T.
R.S.H.P. QVOD NIL MOMENTI SIBI MVNDI GLORIA SENTIT. D. D.
VERVM QVOD FECIT HANC NON TAM VANA COEGIT
R.T.G. GLORIA QVAM ROME VETEREM RENOVARE DECOREM. E. S.
V. B. ✠ IN DOMIBVS PVLCRIS MEMORESTOTE [a] SEPVLCRIS.
CONFISIQVE TIV [b] NON IBI STARE DIV.
MORS VEHITVR PENNIS. NVLLI SVA VITA PERHENNIS.
MANSIO NOSTRA BREVIS CVRSVS ET IPSE LEVIS.
SI FVGIAS VENTVM SI CLAVDAS OSTIA CENTVM.
LISGOR [c] MILLE IVBES NON SINE MORTE CVBES.
SI MANEAS CASTRIS FERME VICINVS ET ASTRIS.
OCIVS INDE SOLET TOLLERE QVOSQVE VOLET.
✠ SVRGIT IN ASTRA DOMVS SVBLIMIS. CVLMINA CVIVS
PRIMVS DE PRIMIS MAGNVS NICHOLAVS AB IMIS
EREXIT PATRVM DECVS OB RENOVARE SVORVM.
STAT PATRIS CRESCENS MATRISQVE THEODORA NOMEN.
✠ HOC CVLMEN CLARVM CARO PRO PIGNERE GESSIT.
DAVIDI TRIBVIT QVI PATER EXHIBVIT.

a *Sic*
b *Forte* θεȣ̃ *more Graeco*
c *Sic*

In

minationis alterius aedis Aretii in Hetruria, quae pariter palatium Pontii Pilati & appellabatur & credebatur, nuperrime ex Aretini Tabularii chartis oſtendit P. Bernardus Veſtrini, quem videſis Epiſt. Theol. par. 2. epiſt. 37. Vide etiam Hiſtor. Litterar. Italiae lib. 1. cap. 2. n. 2. cujus Auctor fertur P. Zacharias Societ. Jesu.

Digitized by Google

In altero ex arcubus ejuſdem domus inſculptum deprehendi verſiculum hunc:

ADSVM ROMANIS GRANDIS HONOR POPVLIS.

Sed Theodorus Amidenus aliud quoque diſtichon, quod ibidem legebatur, hoc affert:

*Vos, qui tranſitis ſecus optima tecta Quiritis,*
*Hac penſate domo* (13), *quis Nicolaus homo.*

## IX.

✱ XPE DS RERV PVLCHERRIME FACTOR ET AVCTOR
SVSCIPE ME INDIGNV SALVS ET OME BONVM &c. *Vide p.* 144.

Hic eſt Joannes Caneparius, Vir in Urbe Celeberrimus, & Alexianus Abbas, qui An. 1004. ſupremum diem obiit, & Majoris ad Arae dextram noſtro in Templo humatus eſt, ut ante diximus (14).

MA-

(13) Theodorus Amidenus (a) domum hanc pertinuiſſe putat ad Nicolaum illum (*Cola di Rienzo*), qui audacia ne an virtute inſignis Urbis dominatum occupavit Clemente VI. Pontifice? ſed oppido fallitur. Nam hujuſmodi aedium dominus Creſcentio & Theodora parentibus natus eſt, uti ex ipſa Inſcriptione patet; Nicolaus autem ille Laurentii & Magdalenae filius fuit, ut legitur in ejus Vita (b). *Cola de Rienzo fo de vaſſo lennajo: lo patre ſio fo tavernaro: habbe nome Rienzo: la matre habbe nome Matalena, la quale viveva de' panni lavare, e d' acqua portare: fo nato ne lo rione della Reola: ſio havitatio fo canto de fiume fra li mulinari nella via, che vao a la Reola dereto de Santo Tomao ſotto lo tempio de' Giudei &c.*

(14) Vid. ſup. Cap. IX. §. IX. pag. 134. & ſeq.

(a) Theod. Amidenus de Rom. Familiis §. 100. ex cod. ms. biblioth. Caſanatten. num. 283.

(b) Vitam Nicolai Laurentii, quae Neapolitana dialecto conſcripta circumfertur ſub nomine Thomae Fortifioca, denuo ex codice Eſtenſi edidit Muratorius tom. III. Antiqu. Ital. medii aevi pag. 399.

Digitized by Google

## X.

MAXIMVS HINC SVRGET GEMINA CVM PVBE SVORVM:
ET NATA. SVPERIS. DANDVS HONORE PIO:
QVOS SERGESTVS ACER PATRV̄ LONGO ORDINE SEVM:
ILLVSTRES ANIMAS. PERQVE DVCV̄ GENERA:
MITE GENVS HOMINV̄ SAPIENS INSIGNE DECORVM:
NOMINIS ANTIQVI CONSEPELIT TVMVLVS:
STEPHANE POST PATRIS INTERITV LEO CONCIDIT IMVS:
POSTQVE TVVM LAPSV̄. ATQVE SORORIS ITER:
EXTRANEO NVLLI LICEAT SVPERADDIER ISTIS:
AVT SIQVIS VIOLANT. SINT ANATHEMA DEO:
X̄PE DECVS MVNDI. SEMPER MISERERE SEPVLTIS:.
ET LOCA FER PACIS QVI BONA CVNCTA FACIS:
OBIIT DOMS LEO DE MAXIMVS. M̄. AP̄REL. D. XXIII. INDIC. (XI. ANN. DŌM.
ĪNC. M̄IL.XII. EGO DŌM MARIA PRO MAGNO AMORE (FIERI IVSSIT

Lapis hic in Templo ante fores ad noſtros uſque dies exſtabat, novi autem aedificii cauſſa ſublatus, opportuniore loco reponetur. Sed hic Leo Maximus quis fuerit, & qua nobiliſſima familia procreatus, fateor equidem hauſiſſe me ex ms. codice Panvinii (15), qui dolet primum, negligentia hominum, & gentium eluvione barbararum interiiſſe memoriam Illuſtrium Familiarum

(15) Ex codice Vatic. n. 6168. Onuphrii Panvinii lib. 2. de Gente Maxima.

Digitized by Google

rum,& praeſertim *Maximae*, cujus apud Veteres ſumma dignitas & magnum nomen; deinde ait: „ Poſt Ma-
„ ximum igitur Senatorem, cujus Procopius in Bello
„ Gothico commeminit, per quadringentos continuos
„ annos nulla amplius alicujus Maximorum mentio eſt,
„ uſque ad Annum Humanae Salutis milleſimum, quo
„ tempore in Urbe vixit Leo Maximus, Vir per ea
„ tempora Clariſſimus, Stephani Maximi filius, qui
„ moriens, in media Eccleſia Sanctorum BONIFACII
„ & ALEXII, quae eſt in monte Aventino, ſepultus
„ fuit; cujus tumulo ſuperpoſitus eſt lapis magnus,
„ longus pedes decem, latus pedes quinque, cum elo-
„ gio, quod Hominis & Familiae nobilitatem & an-
„ tiquitatem praeſefert. Eſt autem hoc: *Maximus*
„ *hinc ſurget &c.* Hic Panvinius Inſcriptionem affert eandem prorſus & omnino, quam nos attulimus; poſtmodum haec ſubdit: „ Hanc autem Inſcriptionem ita
„ deſcripſimus, ſicut in ſaxo inciſa eſt, ubi aliquot
„ ſunt fabrili errore menda. Primi autem verſus,
„ quoniam valde obſcuri videntur, ſic interpretari
„ cenſerem: Ex hoc loco Maximus cum duobus filiis
„ & filia ſurget dandus, ideſt praeſentandus Deo cum
„ honore pio, quorum ſtemmatis, ſcilicet Maximi &
„ filiorum Sergeſtus (hoc nomen eſt viri proprium)
„ acer, ideſt maximus ſeu nobiliſſimus, patrum longo
„ ordine, illuſtrium animarum & Ducum auctor fuit.
„ Nam Domus haec Maximorum ab hoc Sergeſto ma-
„ navit, quae uſque ad ipſius Maximi tempora illu-
„ ſtriſſimis hominibus & maximis Ducibus per ſingu-
„ la ſaecula referta fuit. Quis autem hic Sergeſtus
„ fuerit, eſt incertum, niſi Aeneae comitem intelli-

Ss gat,

„ gat, de quo Virgilius libro Aeneidos primo men-
„ tionem facit, quum ait:

*Anthea, Sergeſtumque videt*. Item libro quinto:
*Sergeſtusque, Domus tenet a quo Sergia nomen*.

„ Sed quid huic cum Maximis negotii unquam „ fuerit, ingenue me neſcire fateor „. Haec Panvinius (16); ſed illud addo, huic Leoni Maximo conjugem fuiſſe Mariam nomine. Hoc enim intellexi ex ms. Vaticano (17), in quo legitur Dominicus Sutrinenſis Eccleſiae Epiſcopus, *aquimolum in flumine Tyberis Romae ad Cattum ſecuta* (forte *in Cantu ſecuto* (18), ubi nunc

(16) Panvinius ubi ſupra lib. 2. cap. VI. de *Leone Maximo Stephani filio*, *&* *Pentio Leonis filio*.

(17) Ex ms. cod. biblioth. Vaticanae num. 7059. pag. 343. Colligitur etiam ex Chron. Farfenſi apud Murator. Rer. Ital. tom. 2. part. 2. pag. 559. ubi narratur, Benedictum VIII. Farfenſibus conceſſiſſe *ad Gattum ſecuta novem uncias principales de aqua alvei Tyberis ad aquae molum conſtruendum*.

(18) In Litteris Eugenii Papae IV. legitur: *Quum Monaſterium S. Blaſii in Cantu ſecuto, alias della Pagnotta, Ordinis S. Benedicti jam vigintiquinque & ultra elapſis annis Abbate & Monachis penitus deſtitutum remanſerit &c.* Vide in Bullar. Vatican. Bullam Eugenii IV. Dat. 21. Octobris An. D. 1439. Hoc Monaſterium olim connumerabatur inter XX. Urbis Abbatias ſub nomine *S. Blaſii inter Tyberim & pontem S. Petri*, ut ex Joanne Diacono apud Mabillon Mus. Ital. tom 2. pag. 574. ſeu *S. Blaſii in Cantu ſecuto*, ut legitur apud Bollandianos tom. VII. mens. Junii pag. 51. num. 139. Ejus antiquitatem prodit Tabula marmorea in ipſo Templi ingreſſu parieti affixa, ex qua intelligitur, Alexandro II. P. A. D. 1072. fuiſſe reſtitutam Sacram Aedem, quam deinceps reficiendam curarunt Canonici Vaticanae Baſilicae, quibus addicta fuit A. D. 1439. ut ex Litteris Eugenii IV.

Cur autem Monaſterium illud appellaverint *in Cantu ſecuto*, *pluribus inquirere noſtri non eſt otii*, inquiunt Adnotatores ad hunc locum Bullae Eugenii IV. Ego vero ſuſpicor, vel praeferendam lectionem illam ad *Gattum ſecuta*, ut not. (17), forte ad *Gatam ſecatam*, ut not. (19), vel ſi mavis legendum in *Cantu ſecuto*, Italis *canto ſeguito*, ſic appellatum putarem a *cantu continuo*, ſiquidem unum fuit ex tribus illis Monaſteriis, quibus ſancitum erat, ut duo Monachi laudes divinas ſedulo cantu perſolverent, quemadmodum & de Templo Vaticano decretum fuit ab Hadriano I. qui *ſtatuit, ut ſedulas laudes in Ec-*

nunc eſt aedes S. Blaſii, quae dicitur *della Pagnotta* (19), in via Julia ab Julio II. R. P. adaperta & complanata) *ex hereditate Leonis de Maximo & Mariae conjugis ejus, Monaſterio Farfenſi dediſſe anno* I. *Pontificatus Benedicti VIII. Indict. XI.* nempe A. D. 1012. quem annum Leonis vitae poſtremum fuiſſe, revocari in controverſiam non poteſt.

Hinc non poſſumus, non valde mirari, quot quantosque in errores vel unica ſyllaba, ex noſtro marmore minus accurate deſcripta, induxerit Viros ceteroquin Eruditionis laude commendatos Volaterranum, Bardum, Wionium, Seifridum (20), aliosque, qui pro nota temporis



*Eccleſia S. Petri perſolvant, ſicut & cetera tria Monaſteria, ut duo Monachi pro latere ipſius Eccleſiae Deo noſtro canant laudes &c.* Ita ex codice ms. biblioth. Barberinae, quo uſi ſunt Baronius & Binius. Vide Oldoinum in notis ad Ciacconium tom. primo in Vita Hadriani I. Rom. P. pag. 556. lit. C.

(19) S. Blaſii *della Pagnotta* ſic vocatur a panis diſtributione, quae ibi aliquando fiebat; & hic ritus noſtra etiam aetate ſervatur die feſto S. Blaſii. Vide Martinell. Rom. Sac. pag. 81. Ab antiquiſſimis autem usque temporibus ibi factam fuiſſe panis diſtributionem, conjicio ex altera denominatione ad *Gattum ſecuta* not. (17), quae forte ſignificat *gatam ſectam*. Nam *gata* placenta dicitur apud du-Freſnium du-Cangium, qui chartam refert An. 1195. Hiſt. Harcur. tom. 3. p. 125. ubi legitur: *ad faciendum gatas ad mandatum coenae*. Hinc ad *Gattum ſecuta* interpretarer ad placentam ſecatam, quae ſcilicet in partes ſecabatur, ut quota cuique pauperum pars contingeret.

(20) Raphael Volaterranus Commentariorum Urbanorum libr. 23. pag. 250. edit. 1552. haec habet: „Apparet enim, Maximilianum (*Auſtriacum*) Romanos habuiſſe progenitores olim Perleones Comites montis Aventini; cujus Familiae nonnullae ſunt Romae reliquiae prope Sabelliorum aedes, quae prius Perleonum fuere, quibus cognomen dedit Petrus Leonis filius, Stephani nepos, Maximi pronepos; quorum memoria ſepulcri pro foribus Templi S. ALEXII adhuc cernitur. Is An. 1170. magna in Urbe potentia auctoritateque ſub Paſchali II. fuerat; cujus nepotes &c. Subſcribit Joannes Seifridus Sileſius, qui in Arbore Aniciana ſeu Genealogia Auguſtiſſimae Domus Auſtriae Principum lib. pr. cap. VIII. edit. Viennae

Digitized by Google

poris MIL.XII. ut eſt in lapide, exſcribentes MCLXII. quid non turbarunt? Primum commenti ſunt, Leonem Maximum A. D. 1162. obiiſſe, atque adeo aetatem illius annos fere 150. protraxerunt; deinde falſam huic Leoni perſonam imponentes, fecerunt ipſum Petri Leonis filium, cujus magna fuit ſub Paſchali II. in Urbe potentia, patremque Perleonum illorum, qui in Germaniam commigraſſe dicuntur; unde Maximilianus & Auſtriaca Domus originem duxerit: quod omnino falſum eſt; propterea quod Familiam de Maximis a Perleonia diverſam fuiſſe ſatis conſtat. Perleoniam autem ab Anicia proficiſci, merum ſomnium. Hoc autem non eo dico, quo mihi diligentiae laudem arrogem (etſi odioſa ingenii & doctrinae arrogantia eſt, non item diligentia), ſed ut intelligat quiſque, & accuratiſſime vetera monumenta legi oportere, &, quum fontes videre ipſos poſſumus, non rivulos eſſe conſectandos. Facile enim & decipi ſe patitur, & alios in errorem inducit, qui alterius vel exſcriptoris vel lectoris fidem ſequitur, non ſuam.

HEV

nae 1613. de noſtro Leone Maximo haec refert: „ Porro Leo filius Pe-
„ tri Leonis, & pater Perleonum,
„ qui in Germaniam commigrarunt,
„ obiit Romae poſt Chriſtum na-
„ tum 1162. die 23. Aprilis, & prae
„ foribus Eccleſiae S. ALEXII in
„ monte Aventino ſepultus fuit,
„ ut videre eſt ex ejus Epitaphio,
„ quod ibidem exſtare refert Vola-
„ terranus, Bardi, Antonius Vacca
„ J. C. Romanus, & Arnoldus Wion.
„ Eſt autem hujuſmodi: *Maximus*
„ *hinc ſurget gemina cum pube ſuo-*
„ *rum &c. Obiit Dominus Leo de*
„ *Maximis An. D. ñri MCLXII.* Ha-
„ buit autem Leo de Maximis prae-
„ ter Stephanum, Leonem, & fi-
„ liam, cujus nomen ignoratur, qua-
„ tuor alios filios, nempe duos illos
„ fratres, qui patrium vertere
„ ſolum in Germaniam commi-
„ grarunt &c. Sed quam falſo & praepoſtere haec omnia conficta ſint, vel ex ipſo lapide patet, in quo Leo de Maximis obiiſſe legitur non *An. Dom. noſtri MCLXII. ſed* ANN. DOM. INC. MIL. XII.

Digitized by Google

## XI.

HEV SCELVS ELVSÆ VERBIS FALLACIBVS EVAE.
QVO QVASI FERMENTO SOLVITVR OMNIS HOMO:
FORMA VENVSTA NIMIS. PVTRIS EST SVB MARMORE PVLVIS:
SQVALET IN HIS TENEBRIS FORMA VENVSTA NIMIS.
DVM STETERAT SOLIDO. PRODVCTA GENIMINE CLARO.
CLARIOR IPSA QVIDEM. VICERAT ORE DIEM.
FEMINA DIVES OPVM DIVES QVOQVE FEMINA MORVM.
VBERTIM BINIS ACCVMVLATA BONIS.
QVAE MISERENS MVLTIS MVLTVM DISPERSIT EGENIS.
NON ABIGENS XPI MEMBRA MINORA DEI.
FLORVIT INGENIO CORREPTA TIMORE SVPERNO.
QVI DOMINVM METVIT. TAM BENE NEMO SAPIT.
HÆC O ALEXI TIBI. TIBI CREDITVR ET BONIFATI.
POSSIBILE EST VOBIS. EIVS OBESSE MALIS.
ET TE SVMME DEVS. PIETAS CLEMENTIA TOTVS.
MIZINA SERVA TVI SIT PETO IVNCTA TIBI:
OBIIT AVT MENSE FBR DIE XIII. ANN. DNIC INCARNT MILLESIMO:
( XXXIIII. INDICT. II:

Hac in Epigraphe primum animadvertendum eſſe arbitror, quod cultus erga S. ALEXIUM undecimo ſaeculo ineunte quam maxime vigebat, cujus ſe precibus Mizina commendabat. Haec autem *femina dives opum, dives quoque femina morum,* illa eadem eſt, ut mea fert opinio, Senatrix, uxor quondam Horatii in Urbe Conſulis, quae Creſcentium filium ſibi morte prae-

reptum

reptum (21) *X. Kal. Septembris An.MXXVIII.* flebili proſequuta eſt carmine,quod ad ejus ſepulcrum in Aracaelitano templo legebatur; quodque ab Anonymo bibliothecae Chiſianae (22) deſcriptum Pio V. Pontifice, hujuſmodi eſt:

HOC IACET IN PARVO MAGNVS CRESCENTIVS ANTRO
QVI FVIT INSIGNIS NOBILITATE NIMIS
NOMINE PRÆCLARO PATER EIVS HORATIVS EODEM
REBVS QVI MISCVIT CONSVL IN VRBE FVIT
QVA NIMIVM GENITRIX MIRO SERMONE SENATRIX
MIZINA DICTA FVIT MAXIMA CVM FVERIT
HÆC VIVAM PROLEM SVMMO DILEXIT AMORE
PLANXIT ET HANC OBITAM SEMPER EAM MEMORANS
HANC DOLOR HOC SAXVM FACIEBAT ADIRE VENVSTVM
ET FVNCTÆ PROLI TALIA VERBA LOQVI
O MIHI CARE NIMIS FILI LAVDATE DECORE
SANGVINE FORTVNA MORIBVS ATQVE TVIS
ECCE CINIS PVLVISQVE IACES DVLCISSIME NATE
SPES PATRIS ATQVE DECVS MATRIS ET APTA SALVS
FILI MI TECVM DVM NON SIT CORPORE MECVM
FERRE TVVM FINEM NEC MIHI MORTE LIBET
CVI LVCTVS CIBVS EST ET POTVS CAVSA DOLORIS
SVNTQVE DIES TENEBRÆ CAVSA MESTITIÆ
O TELLVS CÆLVM FRETA CVNCTA PLANGITE MECVM
VEL MIHI IAM GEMITVM DEMITE TAM VALIDVM
AVT CESSENT OCVLI SOBOLEM LACRYMANDO DOLERE
SEV MEA NE RIDEANT LVMINA DEFICIANT
FLENS EGO TANTA TIBI DESCRIBI MIZINA FECI
VT NOSTRI LACHESIS STAMINIS ARTE RVAT
ANNO MILLENO BIS DENO BISQVE QVATERNO
CHRISTVS VT EST DOMINVS VIRGINE PROGENITVS
CVRRERET VNDENA CVM TVNC INDICTIO PLENA
HIC IVSSV DOMINI CARNIS ONVS POSVIT
SEPTEMBRIS DECIMA CVM LVX FORET ANTE CALENDAS
DIC LEGVLE PRECIBVS HVIC MISERERE DEVS
HIC VIXIT QVANTVM SI QVIRET VIVERE TANTVM
QVINQVIES ADIVNCTO MONADE CENTVM DARET ANNOS
AT NVNC PESTE CARET VIVERE SEMPER HABET
HOC NECTAT MVLTVM QVI VVLT RESERARE SEPVLCHRVM
SIT IVDÆ FVNEM MOX ANATHEMA REVM.

Sed

(21) Vide Caſimir. Memorie Iſtoriche della Chieſa e Convento di S. Maria d' Araceli cap. 8. pag. 272. §. 3.

(22) Vide Ms. Veterum Inſcript. ab Anonymo collect. ſub Pio V.R.P. quod exſtat in bibliotheca Chiſiana, & Creſcentium Monachum noſtrum de Nobilitate Italiae tom.2. pag. 64.

Digitized by Google

Sed A. D. 1035. hoc ipſo in Templo ſepultus eſt Petrus Sylvae Candidae (23) Epiſcopus prope Marozziam matrem, ut ante diximus (24); cujus Epitaphium marmore inſculptum, quod injuria temporum intercidit, Ughellius deſcripſit, & ſic incipit:

## XII.

*Lector ad hunc tumulum lacrymantia lumina ſolve,*
*Natus cum cara matre ſepultus ubi.*
*Infelix planctu non poſſum dicere totum,*
*Illa Marozza ſolo, nomine Petrus ego &c.* *Vid. ſup. p. 177.*

## XIII.

. . . . . VS. TVMVLVS DE MARMORE FACTVS ∴
. . . RRA SVAM . QVOD FVIT ANTE REDIT ∴
ITE PIE IVVENES ET PLANGITE PECTORA TRISTES .
MORS IVVENEM TOLLIT TRISTIA CORDA FACIT .
OPTIMA QVEQ; PRIMO MANIBVS RAPIVNTVR AVARIS .
IMPLENTVR NVMERIS DETERIORA SVIS .
VLTIMA LVX VENIT . NON EXIBITVRA SEQVENTEM .
APTA QVIDEM DÑO . SED MINVS APTA MIHI . ET
EGO ADELGERVS C̄FVGIO AD ORATIONĒ C̄GREGATIONIS P̄TIOSI M̄R
( BONIFATII QVI HOMINĒ EXIVI IN TRANSITV SC̄I BENEDICTI

Ex

(23) Sylva Candida a Saracenis deſtructa ſaec. X. ut legitur in Sergio III. R. P. apud Ughellium Ital. Sac. tom. 1. col. 107. Vide ſupra Cap. X. §. V. pag. 175. not. (3) & (4).

(24) Vid. ibid. pag. 177. not. (8).

Digitized by Google

Ex hoc Epitaphio conſtat, Aldigerium juventutis ſuae flore, eo die mortem obiiſſe, quo die S. Benedictus ex hac humana vita in Divorum domicilium commigravit. Fuit autem dies vel vigeſimus primus, ſi Mabillonio, vel vigeſimus ſextus menſis Martii, ſi Pagio fidem adhibeas. Hoc idem Epitaphium ex pavimento noſtri Templi deſcripſit Turrigius (25), ſed mendoſe admodum ac turpiter. Scripſit enim *fictus* pro *factus*, *adDominum ivi* pro *hominem exivi*, ideſt exui &c. Praeterea Aldigerium ſepultum A. D. 1217. ſtatuit, ſed nulla cauſſa probabili; quinimmo forma ipſa litterarum, quibus Inſcriptio continetur, undecimum ad ſaeculum referri debere tutius indicat. Alia enim erat ſaeculo XIII. litterarum ratio formandarum: quod ex Epigraphe Petri Sabellii, quae conſequitur, & annum praeſefert 1288. abunde colligitur.

## XIV.

HIC. IACET. DNS. PETRVS. DE. SABELLO.

TESARARIVS. TVRON. QVI SEPVL

TVS. EST. HIC. ANNO. DNI. M. CC.

LXXXVIII. MSE DECEB. DIE. VLTIMA

Petrus Sabellius, cujus effigiem marmorea in Tabula impolite expreſſam, ſiniſtrorſum ad Aram Maximam in pavimento intueri quiſque poteſt, & nos exhibemus Tab. XI. primum Canonicus Remenſis ab Urbano IV. electus eſt, ut ex ejuſdem Urbani

(25) Franciſcus Turrigius in Cryptis Vaticanis part. 2. cap. 8. pag. 330.

Digitized by Google




Tab. XI. Pag. 328.

Digitized by Google

Digitized by Google



CARE IOSEPH BRIPI · CVI SEMPER CARMIA CVRAE

Digitized by Google

bani Commentariis ſeu, ut ajunt, Regeſto, quod vidit Panvinius (26), ſatis conſtat; poſtmodum vero apud Turones, ut noſtro ex marmore patet, Theſaurarius conſtitutus fuit, quo de munere conſulendus Iſidorus lib. 2. de Eccleſiaſt. Officiis cap. II.

## XV.

CARE IOSEPH BRIPI . CVI SEMPER CARMĪA CVRAE
ACIPE NV̄C TVMVLO CARMĪA DIGNA TVO
PONTIFICV̄ STVDIIS . STVDIISQVE EXERCITE SACRIS
INSIGNES TITVLOS NACTVS ES VNDE TIBI
QVI SENIOR TENERIS SEMPER SERVARIS AB ĀNIS
NVNQVAM LAESA TVAE DONA PVDICITIAE
NEC VERO QVAE SV̄T VIVĒTVM PABVLA TANTV̄
NV̄C INSTEM RELIQVIS LAVDIBVS IP̄E TVIS
AT PLACIDA HOC OP̄TE MAGIS VT CV̄ PACE QVIESCAS
VERA HAEC DEFV̄CTOS QVAE BONA SOLA IVVĀT
QVAE TIBI VIVENTI FVIT OPTATISSIMA SEMPER
SIT QVOQVE DEFV̄CTO PAX REQVIESQVE TIBI
ET QVV̄ LEGERIT HAEC. BENE TV̄C TIBI QVISQVE PAECETVR
VT CLEMENS ANIMAE SIT DEVS IP̄E TVAE
OBIIT ROMAE . XI. KAL. SEPT. ANNO DN̄I
MCCCCLVII. VIXIT. AN̄OS . 79

Etſi de Joſepho Brippio, deque aliis hoc in Templo ſepultis poſt Annum Domini 1426. nullus

T t eſſet

(26) Ex cod. ms. Famil. Roman. in biblioth. Frangipan. Vide etiam Zazzeram de Nobilitat. Italiae.

eſſet hic dicendi locus, propterea quod ad ea tempora pertinent, quae Liber alter complectetur; tamen, ne aliquo cum legentium ſive incommodo ſive ſtomacho, Inſcriptionum continuatio ſerieſque abrumperetur, optimum factu exiſtimavimus, ſi eas omnes ipſas hunc unum in locum collectas afferemus.

Hujus igitur Joſephi e Brippiorum Familia, quae in noſtra Mediolani civitate antiqua in primis & nobilis habita eſt, exſtat in Alexiano Templo ſepulcrum; & ſepulcro imminet marmoreum ejuſdem ſimulacrum anaglyptice exſculptum cum ſtola & ornatu Sacerdotali, ut in Tab. XII. Nam Sacerdotem & Canonicum Mediolanenſem ex ampliſſimo eorum, quos Ordinarios vocant, Collegio, tum etiam Virum ſane doctum fuiſſe, & Poetica laude florentem, ſatis conſtat. Etſi autem illius Opera in lucem minime prodierint; tamen in bibliotheca Ambroſiana diligentiſſime ſervantur, & declarant ingenium atque artem Hominis in Humanioribus Litteris, quae tunc primum ex illis barbariae tenebris lucem reſpicere coeperant. Ejus doctrinae & ingenii monumenta refert is liber, qui Scriptores Mediolanenſes omnes deſcripſit (27). Nos autem,

(27) In Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium quatuor tomis diſtributa a Philippo Argellato & Mediolani edita tom. 1. pag. 338. & ſeq. plura habentur de Ioſepho Brippio; prae quibus narratur, delectum fuiſſe ab Univerſitate Ticinenſi, ut coram Summo Pontifice Martino V. dum Papiae morabatur A. D. 1418. publico Doctorum & Civitatis nomine debitum Vicario Chriſti obſequium & obedientiam profiteretur; quod praeſtitit Brippius eleganti Sermone habito die Martis XI. Octobris, in quo Martini ſimul & urbis Ticinenſis laudes immiſcuit. Sed & illud animadvertendum eſt, Brippium obiiſſe An. 1457. ut in ipſo lapide legitur, non autem Anno 1450. ut ſcripſit Argellatus his verbis: *Romam ſenex profectus Joſeph*

autem, quod in illo ipſo libro ſilentio praetermiſſum eſt, quodque ad argumentum noſtrum pertinere maxime videtur, ex Georgio Mathia Konigio (28) intelleximus, videlicet Joſephum Brippium copioſo & eleganti Carmine complexum eſſe B. ALEXII laudes; quod Carmen in bibliotheca Hallenſi inter mſs. codices exſtare ajunt. Quum autem Joſephus Romam ſenex venerit, ac ibi tandem diem ſuum obierit, equidem non dubito dicere, iccirco hominem ad Urbem religionis cauſſa veniſſe, ut antiquiſſimum Templum, ubi Sanctiſſimae B. Alexii Exuviae ſervantur, viſeret, ac pie caſteque veneraretur.

## XVI.

HVGO DALVETI TVLLEN. ET
VIRDVNEN. ECCLESIARVM
CANONICVS SACRIQ. PALATII CAM. APOST.
AC AVDIENTIAE CONTRADICTARVM PROCVRATOR
IN SOLA DEI MISERICORDIA
SPERAT SALVARI.

Hoc Epitaphium injuria temporis deperditum ex mſ. codice bibliothecae Albanae (29) deſcripſimus, quem Doctiſſimus Praeſul Antonius Baldanus mihi perhumaniter commodavit.

 DOM

*ſeph Brippius, ibidem vivere deſiit Anno* 1450. *tumulatus in Aede S. Alexio ſacra &c.*

(28) Georgii Mathiae Konigii Bibliotheca Vetus & Nova edit. Altdorfi An. 1678. *Brippius Joſeph Poema de laudibus S. Alexii compoſuit: exſtare ajunt in bibliotheca Hallenſi inter manuſcripta.*

(29) In bibliotheca Albana to. 1. collectionis ms. Inſcriptionum Urbis, cujus titulus: *Epitafj delle Chieſe di Roma. S. Aleſſio &c.*

## XVII.

D O M
IO. VINC. CARDINALI. GONZAGAE
VIRO. AD BENEFICENTIAM. NATO
GENERIS. NOBILITATE. ATQVE
ANIMI. DOTIBVS. PRAECLARO
MAIORVM. SVORVM. AEMVLO
H. P. C
VIXIT. ANN. LI. DIES. XV
OBIIT. XXII. DECEMB
MDLXXXXI.

Medio in Templo humatus fuit Joannes Gonzaga (30) Hieronymianae Familiae noſtrae olim apud Apoſtolicam Sedem Patronus. Is primus fuit, qui Titulo SS. BONIFACII & ALEXII Presbyter S.R.E. Cardinalis inſigniretur. Etenim Sixtus V. hoc primum honore auxit Templum noſtrum, ut & alia quaedam Urbis templa, hoc eſt, S. Auguſtini, S. Mariae de Populo, S. Blaſii &c. quemadmodum patet ex Diplomate ipſo ejuſdem Pontificis, quod incipit: *Religioſa Sanctorum Pontificum &c.* (31) *Dat. Romae apud*

(30) De Jo.Cardinali Gonzaga plura legeſis apud Ciacconium in Vitis RR.PP. tom.4. in Vita GregoriiXIII. ad An. 1572. §. XIII. col. 67.

(31) Exſtat inBullario Romano Sixti V. Conſtitutio 81. qua Tituli S. R. E. Cardinalium ad certum numerum praefiniuntur & augentur his verbis: Habita cum Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Card. „ deliberatione matura, de eorum „ conſilio & aſſenſu ſtatuimus & „ ordinamus, in poſterum perpetuis „ futuris temporibus Presbyteris „ Cardinalibus has tantum, quae in- „ fra deſcriptae ſunt, eccleſias, neque alias

Digitized by Google

*apud S. Petrum die* 24. *Aprilis A. D.* 1587. Verum de his agemus altero Libro.

## XVIII.

D O M

SEMPER IN CHRISTO VIVENTES

MONACHI S. HIERONYMI QVIESCVNT

MDXCIII.

Quum jam pridem in area clauſtri ſub dio ſepelirentur noſtrorum cadavera Monachorum, ut Chartuſiani in more habent, tandem A. D. 1593. in Templo ipſo humari coeperunt. Quare ſepulcrum illis poſitum eſt ad mediae navis latus dexterum ante Aram Maximam. Suſpicor autem, ſepulcrum iccirco translatum, quod in area clauſtri Anno MDLXX. magno ſumptu ciſterna aedificata eſt, iis locis, ubi aeſtate aquarum inopia eſſe maxima ſolet, omnino neceſſaria. Id ex Inſcriptione intelligitur, quae in altera ex duabus marmoreis columnis ad ipſius ciſternae puteum inſculpta eſt.

CISTERNAM HANC IMPENSA SCVT. TRIVM MILLIVM

AERIS NON ALIENI MONACHI S. HIERONYMI

AB IMO LAPIDE CONSTRVXERVNT A. D. MDLXX.

At

„ alias in Titulos aſſignari debere, „ videlicet ex antiquis S. Crucis in „ Hieruſalem, SS. Marcellini & Petri &c. ex poſterioribus vero „ SS. Quirici & Julittae &c. necnon „ quas ſupradictis antiquis & poſterius inſtitutis addimus, & ex nunc „ in Titulos Presbyterorum Cardinalium &c. cum honoribus, inſignibus, privilegiis &c. perpetuo „ erigimus & inſtituimus, ac Titulorum nomine & dignitate inſignimus & decoramus &c. S. Auguſtini, S. Mariae de Populo, „ S. ALEXII IN AVENTINO, „ S. Blaſii &c.

Digitized by Google

At aere non certe noſtro, quae felicitas fuit temporum illorum, ſed alieno, & quidem multo, Coenobium nos jam fere dirutum reſtituendum atque exaedificandum curavimus; cujus aeris alieni modum aut finem nullum eſſe video, niſi ſiquis nos Deus reſpiciat, atque eam mentem Principi alicui viro immittat, ut Cardinalis Quirini magnitudinem animi, liberalitatem, religionem imitetur; quem Cardinalem ampliſſimum Templi Alexiani Parentem atque Auctorem nunc veriſſime poſſumus appellare: ſed mira eſt inopia hujuſmodi hominum.

## XIX.

D. O. M

OCTAVIO PARAVICINO. S. R. E. PRESB. CARD

SPECTATAE PROBITATIS ET

PRVDENTIAE VIRO

LEGATIONE APVD HELVETIOS

GERMANIAE PATROCINIO

ALIISQVE PRAECLARIS MVNERIBVS

EGREGIE FVNCTO

ERASMVS. ALEXAND. EPISCOPVS

ET FRATRES

PATRVO B. M. PP.

OBIIT III. NON. FEBR.

ANNO SALVTIS M.DCXI.

AETATIS SVAE LIX

Pro-

Digitized by Google

Prope ſepulcrum Jo. Card. Gonzagae ſepultus fuit Octavius Tit. S. Alexii Presbyter Card. Paravicinus (32), cujus hoc eſt Epitaphium inſculptum lapidi una cum Inſigni antiquiſſimae Familiae. Utrumque de Alexiano Templo benemeritum fuiſſe, alibi oſtendemus.

XX.

D O M

METELLO. BICHO. PATRITIO. SENENSI

TIT. S. ALEXII. CARD. AMPLISSIMO

CVIVS PAR NOBILITATI VIRTVS

PAVLI. V. PONT. MAX. BENEFICIO

E. SVANENSI. EPISCOPATV. AD. ROMANAE. PVRPVRAE. LVCEM

AD. SENENSIS. ARCHIEPISCOPATVS. EVECTA. FASTIGIVM

ILLVSTRISSIMA. SED. BREVISSIMA. EFFVLSIT

VINCENTIVS. ET. BERNARDINVS. PRAEREPTO. FRATRI

MOESTISSIMI. POSVERVNT.

HOC. TAMEN. VNO. TRISTE. MITIGANT. DESIDERIVM

QVOD. VIRTVTIS. ILLVSTRISSIMAE. EXTINCTAE

CINIS. ETIAM. PVRPVRAT.

OBIIT. ANNOS. NATVS. LX.XVIII. KAL. IVLII

CIƆ.IƆC.XIX.

Hoc Epitaphium inciſum legitur ſub effigie Cardinalis e marmore excitata ad ipſius Coenotaphium, quod exſtat ad ſiniſtrum Templi parietem, ele-

(32) De Octavio Cardinali Paravicino vide apud Ciaccon. in Vita Greg. Pap. XIV. ad An. 1590. §. 11. col. 228.

Digitized by Google

elegans admodum, & columnis lapidibuſque peregrinis ornatiſſimum. At cadaver ipſius humi conſepultum eſt ibidem, uti Monumentum indicat, quod eſt hujuſmodi:

## XXI.

D. O. M.

OSSA METELLI

BICHII S. R. E. CARDINALIS

SENENSIS

De hoc Cardinali (33) Presbytero Tit. S. Alexii ſuus erit dicendi locus altero Libro.

## XXII.

D O M

HIC . IACEO . MAGNI . FAMVLVS . POSTREMVS . ALEXI

QVO . NVLLVS . POTVIT . CHARIOR . ESSE . LOCVS

NAM . QVAS . VIVVS . ADHVC . SCALAS . PATRONVS . HABEBAT

HAS . CVPIO . VITA . FVNCTVS . HABERE . CLIENS

FVNDE . PRECES . HOSPES . SCALAS . MIHI . VT . ILLE . PER . ISTAS

AD . SVA . QVÆSITVM . SYDERA . MONSTRET . ITER

TV

SALVE . ÆTERNVM

E T

ÆTERNVM . VALE

M.D.C.XXXIX. DIE. XVIII. MAII

Lapis

(33) De Metello Bichio S. R. E. Cardinali vide Oldoinum apud Ciaccon. in Vita Pauli PP. V. ad An. 1605. §. XXII. col. 424.

Digitized by Google

Lapis, in quo inciſum legitur Epigramma hoc, Hominis, cujus nomen ad nos minime pervenit, pietatem erga B. Alexii memoriam indicat. Ad parietem haerebat affixus Sacelli, quod ante diximus (34) obtinuiſſe appellationem *Scalae* S. ALEXII; propterea quod ibi oſtendantur lignei gradus, ſubter quos Sanctiſſimus Vir diu ignotus cuique vixiſſe, ac tandem obiiſſe fertur, uti ex vetuſta Epigraphe ibidem appoſita intelligitur.

SVB GRADV ISTO IN PATERNA DOMO BEATVS
ALEXIVS ROMANORV̄ NOBILISS.[VS] NON VT FILIVS,
SED TANQVAM PAVPER ADVENA RECEPTVS, ASPERĀ
EGENAMQVE VITAM DVXIT ANNIS XVII; IBIQVE PVRISSIMĀ
ANIMĀ CREATORI SVO FELICITER REDDIDIT, ANNO
D̄NI CCCCXIIII. INNOCENTIO P.[O] PAPA ET HONORIO,
ET THEODOSIO SE.[DO] IMPERANTIBVS

Ad augendam autem erga Beatum Alexium religionem Urbanus VIII. hoc ipſo in Templo *Stationes*, quas vocant, habendas ſancivit in ſingulos annos feria IV. Cinerum, ut ex appoſito Monumento.

VRBANO . VIII. PONT. OPT. MAX.
QVOD . VETVSTAM . SANCTAE. SABINAE. STATIONEM
ECCLESIAE . SANCTI . ALEXII . COMMVNICAVERIT
MONACI . HIERONYMIANI
GRATI . ANIMI . MONVMEN. P. P.



(34) Vide ſupra Cap. XVII. p. 258. & ſeq.

Digitized by Google

Sed magnificentiſſimum omnium in Alexiano Templo ſepulcrum illud eſt, quod exſtat ad eam tranſverſae navis partem, quae ad Occidentem ſpectat. Hoc ſolido ex marmore in formam rotundi cujuſdam ſacelli a ſolo fecit, ſibique poſuit Jo. Franciſcus de Balneo, quum adhuc viveret, ac Titulo Presbyteri Card. S. Alexii inſignitus eſſet (35). Habet muſivo opere concameratam, & multa laqueatam arte teſtudinem. Habet mediam & undequaque ſpectabilem mira pulchritudine ſtatuam Cardinalis ipſius, in Pontificalem figuram habitumque formatam, ſed lectulo & pulvinaribus jacentem, niſi quod ſiniſtro innixum cubito caput videas: opus a Dominico Guidio ſcite factum & venuſte. Legitur in ipſa fronte ſepulcri laus Cardinalis inciſa marmore, quae eſt hujuſmodi:

XXIII.

IOANNES FRANCISCVS EX COMITIB. GVIDIIS DE BALNEO
FABRITII MARCHIONIS MONTISBELLI
ET LAVRAE COLVMNAE EX DVCIBVS ZAGAROLAE FILIVS
TIT. S. ALEXII S. R. E. PRESB. CARD
VIVENS SIBI POSVIT
QVI CVM ALIQVOT DITIONIS ECCLESIASTICAE VRBES
ET PROVINCIAS CLEMENTE VIII
LEONE XI. ET PAVLO V. PONT. MAX
ADMINISTRASSET

A GRE-

(35) De Jo. Franciſco S. R. E. Cardinali de Balneo vide apud Ciaccon. in Vita Urbani VIII. ad An. 1623. §. XXVII. col. 571.

Digitized by Google

A GREGORIO XV. EXTRA ORDINEM LEGATVS IN GALLIAM
ET PAVLO POST AD ORDINARIAM BELGII LEGATIONEM
RVRSVSQ. E BELGIO AD IDEM MVNVS AB VRBANO VIII
IN GALLIAM REVOCATVS
ITA VBIQVE SE GESSIT
VT CVM IDEM VRBANVS TAMQVAM DE APOST. SEDE
PRAECLARE MERITVM CARDINALEM CREAVERIT
EO IN HONORE CVM DVODECIM ANNOS ASSIDVAM REIP. CHRIST
NAVASSET OPERAM
ET REATINAM POST CERVIENSEM ECCLESIAM
REXISSET EPISCOPVS
MORTE SVBLATVS
MAGNVM VRBI BONISQ. OMNIBVS SVI DESIDERIVM RELIQVIT
ANNO D.MDCXLI. AETATIS SVAE LXIII.

Adverſus hoc ſepulcrum affixa parieti eſt Inſcriptio Aegidii de Veruy Leodienſis, Nobilis Viri, quae erga Cardinalem, cui famulatus fuerat, pium Hominis & gratum animum declarat.

## XXIV.

D. O. M
ÆGIDIVS DE VERVY NOBILIS LEODIENSIS
EGREGIAS ANIMI SVI DOTES TVNC MAGIS OSTENDIT
CVM IMPATIENS A DNO SVO IO. FRANC. CARD. A BALNEO MIRE IN
( SE BENEFICO



Digitized by Google

VEL MORTE SEIVNGI HOC IPSO IN TEMPLO VBI ILLE CONDITVS EST SE
TVMVLARI MANDAVIT LEGANS PATRIBVS HVIVS COENOBII
DVO S. BONAV. MONTIV̄ LOCA VT IN DEPOSITIONIS DIE PRÆD. D. ET SVÆ.
DVPLEX QVOTANNIS ANNIVERSARIV̄ CELEBRETVR SIQ. MONTIV̄ REDDITVS
AD DVO HÆC SOLEMNIA NON SVFFICIANT
TOT MISSÆ SINE CANTV QVOT EORVM PROVENTVS SVSTINEANT
IN VTRIVSQ. ANIMÆ SVFFRAGIVM ÆQVALITER AMBABVS
DIVIDENDÆ RECITENTVR
ET AD HOC POSITVM MARMOR
PER GODEFRIDVM LVFFIVM ET HVBERTVM FABRI
EXECVTORES TESTAMENTARIOS
OBIIT ANNO DOMINI MDCLXXX
DIE VIII SEPTEMBRIS SEPTVAGENARIO MAIOR

Sed & Fabritii ex Comitibus Guidiis de Balneo Monumentum ibidem legitur, Italico ſermone lapidi inſculptum.

XXV.

D. O. M

FABRITIO FIGLIOLO DI NICOLO DE
CONTI GVIDI DI BAGNO MARCHESE
DI MONTE BELLO ET DELLA
MARCHESA THEODORA GONZAGA

CA-

Digitized by Google

CAPITANO D. VNA COMPAGNIA
DI CAVALLI SERVENDO IL CATOLICO
RE. FILIPPO QVARTO MORI LI. XIIII.
DI SETTEMBRE M. D. C. XLVI. NELL.
ETA. DI. XXIX. ANNI NELLA CITTA
DI BRVGES VOLSE ESSER SEPOLTO
NELLA CHIESA DE PADRI DELLA
COMPAGNIA DI GESV NELLA
MEDEMA CITTA APPRESSO L.AL
TARE DELLA BEATISSIMA VERGINE
L. ANNO M. D. C. L.IIII IL PADRE DIEDE
L. ELEMOSINA DI VNA MESSA
PERPETVA DA CELEBRARSI ALL.
ALTARE PREDETTO OGNI SABBATO
PER L. ANIMA DEL DEFONTO E SI
CONSERVA LA SCRITTVRA IN ROMA
NELL. ARCHIVIO VRBANO

In hoc quoque Templo ſepulcrum ſibi deligendum exiſtimavit Clariſſimus olim Praeſul Jacobus Sylva Mediolanenſis, cujus Elogium marmori in pavimento ad dexteram Templi inciſum hoc eſt:

D. O. M

## XXVI.

D. O. M
IACOBVM SILVAM
QVEM DEDERAT MEDIOLANO NATIVITAS
EQVITEM LAVRETANVM VIRTVS SVA
PROTONOTARIVM APOSTOLICVM PIETAS
PRO CATHOLICA MAIESTATE TABELLIONVM PRÆFECTVM
SVA PRVDENTIA SVA PROBITAS FECERAT
MORTALIVM CONDITIO
EXIGVVM HIC IVSSIT IN CINEREM
CAECA MORS EST
AVDITA IACOBI FAMA
VIRTVTE SVA IN SENVM VICES SVFFECTI
DECREPITVM CREDIDIT IMMATVRE NIMIS EXCIDIT
VBI CONSVEVERAT VIVERE MORTVVS EXCIPITVR
QVIETEM SIBI
AMICIS MOERORFM
MEMORIAM OMNIBVS IMMORTALEM
RELINQVENS
DECESSIT DIE VIII. AVGVSTI
ANNO AETATIS XLIX. SALVTIS M.DC.LXXIX.

Nuper autem Ricciardus Guido Balneus, Praeſul vere pius, prope tumulum Cardinalis Jo. Franciſci gentilis ſui Sacellum eleganter ornavit, Deoque Patri dicavit; & ſibi ſuiſque ſepulcrum ibidem faciendum curavit, hoc appoſito lapide:

DEO

Digitized by Google

## XXVII.

DEO PATRI OPTIMO MAXIMO
PRIMO RERVM. AVTHORI MODERATORIQVE
SACELLVM. HOC
RICCIARDVS GVIDOBALNEVS PATRICIVS MANTVANVS
VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIVS
EXTRVXIT ORNAVIT DICAVIT
AC SIBI SVISQVE SEPVLCHRVM
AD IOANNIS FRANCISCI S. R. E. CARD. GENTILIS SVI TVMVLVM
AERE SVO FACIVNDVM COERAVIT
ANNO POST. CHRISTVM NATVM CIƆIƆCCLI

Sed in ambitum ſepulcri legitur firma illa Regis Davidis aeternae vitae exſpectatio ex Pſalm. XXVI.

℣. CREDO VIDERE BONA DOMINI IN TERRA VIVENTIVM

CA-

Digitized by Google

# CAPUT XXII.

## *Inſcriptiones Profanae.*

HUjus loci, ubi Alexianum Templum & Coenobium ſitum eſt, vetuſtiſſimam frequentiam & dignitatem indicant non ea modo, quae diximus Capite I. ſed alia quoque permulta Antiquitatis veſtigia, & praeſertim profanae quaedam Inſcriptiones cum eae quidem, quae jam pridem emiſſae ſunt in manus hominum, tum illae ſimul, quae nunc primum e ruinis aedificii erutae in lucem proferuntur. Haſce autem omnes hic edendas curavi, quo gratiam inire aliquam poſſem, ſiquidem poſſem, ab eruditis illis beneque intelligentibus viris, qui ſuam in Veterum Lapidum obſervatione induſtriam locant.

### I.

IOVI. OPTVMO
MAXIMO. DO
LICHENO. T.
FLAVIVS. COS
MVS. IVSSV DEI
FECIT.

Ex cippo marmoreo, qui apud nos adhuc exſtat, ediderunt Mazzochius (1), Smetius (2), Gruterus (3), alii-

(1) Mazzochius Jacobus Epigram. Antiquae Urbis pag.xv.

(2) Martinus Smetius Inſcript. Antiq. Ord.2. pag.xviii. 9.

(3) Janus Gruterus Theſ. Vet. Inſcript. pag.xx. 6.

Digitized by Google

aliique; ſed & Abraham Ortelius in Theſauro Geographico V. *Dolichena* alteram huic parum diſſimilem refert, ad ſe Roma miſſam a Philippo Winghio, quae legitur etiam apud Reineſium (4).

IOVI OPTIMO MAXIMO DOLYCHENO
VBI FERRVM NASCITVR . C. SEMPRO
NIVS RECTVS CENT. 7 FRVMENTARIVS *
DD

Samuel Pitiſcus (5) Jovem Dolichenum Romanis dictum putat παρὰ τὸν Δόλιχον, *vel quia ſolemnis illi thenſarum pompa quotannis e Capitolio in Circum duceretur, vel quod Latin. feriis quadrigae certarent in Capitolio*. Alii autem (6) a loco ſic nominatum exiſtimant; nam Δολίχη oppidum eſt Epiri, ubi ferrum & alia metalla effodiuntur. Δολιχηνὴ urbs Comagenae regionis memoratur a Stephano; et Hercules ad Dolichen inſulam delatus, Icari corpus humat ex Apollodoro lib. 2. c. 6. §. 3. Conſulatur Sponius (7), qui ex Cimeliarchio Ducis Wittembergici Ectypon affert Dei Dolicheni, ſtantis ſupra dorſum tauri, ad cujus pedes aquila, & in baſi Inſcriptio DEO DOLICHENO.

Xx *Ex*

(4) Thomas Reineſius in Syntagmate Inſcriptionum Antiquarum claſſ. 1. pag. 34. n. xv.

* Frumentarii non modo dicebantur rei frumentariae negotiatores, ſed milites etiam ſingulis legionibus certo numero adſcripti, ut oſtendit Salmaſius in notis ad Spartianum in Hadriano cap. 2.

(5) Samuel Pitiſcus in Lexico Antiquitatum Rom.

(6) Reineſius ubi ſupra &c. Abraham Ortelius Theſaur. Geograph. V. *Dolichena*.

(7) Jacobus Sponius in Miſcellaneis Eruditae Antiquitatis ſect. 111. p. 80.

Digitized by Google

## II.

*Ex praecepto. I.O. M. D. Aeterni. Conſervatori. totius. poli. & Numini. Prae eſtantiſſo. Exibitori Invicto. L. Tettius. Hermes. Eq. R. & Kandidatus. & Patronus. H. V. I. V. S. loci. pro. ſalute. ſua. & Aur eliae Reſtitutae. conjugis. & Tettiae. Pannuchiae. filiae ſuae Et ſuorum. & Aureli. Lampadi. fratris. cariſſimi. & pro. ſaloute Sacerdotum. & Kandidatorum. & Colitorum. hujus. loci. Tabula Marmorea. cum. Proſc*AENIO. ET. COLV*mnis. D.D. quos elexit I.O.M. ſibi. ſervire. M.* AVREL. OENOPION*e. Oneſimum. ſignum. Acaci... Notarium. & Septimiu*M. ANTONIVM*. ſignum. Olympi. patre. Kandid Patronos. fratres. cari*SSIMOS. ET COLL*egas. Hon. Aur. Magneſium Aur. Serapiacum. Anto*NIVM. MARIANV*m. Jul. Florentinum. Principe Hujus. loci. & Aur. Sev*ERVM. VETERANV*m. Curatorem. Templi. & Aur. Antiochum. Sacer*DOTE .. GEMI. FE*lix. & Vibius. Eutuchianus Lecticari. Dei. Co.. centianus*

*Romae in porticu hypaethra Monaſterii Sancti Alexii Tabulam minutatim conciſam e ſchedis* ſuis edidit Cl. Muratorius (8). Sed nunc unicum vix nobis reliquum eſt hujus Tabulae fragmentum, quod hic litteris majuſculis edidimus, cetera ſupplentes charactere inclinato: quod quidem dolemus; nam menda, quae irrepſerunt, ad fidem Lapidis exigere, atque emendare non poſſumus.

*L. Tettius Hermes*, qui *ex praecepto* I. O. M. D. hunc Lapidem erexit, alterum poſuit *ex juſſu* I. O. M. D. qui legitur apud Smetium (9), Gudium (10), & Gruterum; quique hujuſmodi eſt (11):

EX

(8) Murator. Nov. Theſaur. Vet. Inſcript. tom. I. claſſ. 2. pag. cxxvi.

(9) Smetius Inſcript. Antiq. Ord. 2. pag. xvii. 14.

(10) Gudius claſſ. I. pag. x. 9. Florentiae in aedibus Riccardiorum eandem refert, ſed legit L. TEITIVS.

(11) Gruterus tom. I. pag. xvi. 12. ex baſi rotunda Romae, olim in foro Trajani.

Digitized by Google

EX IVSSV I. O. M. D.
L. TETTIVS HERMES
CVM CONIVGE SVA ET FILIIS
CANTHARVM CVM
* VASE SVA POSVERVNT.

* *Vaſe* pro *Baſe* paſſim

*Cum conjuge ſua*, nempe Aurelia Reſtituta, ut noſtro ex Lapide intelligitur, in quo Lecticarios Dei Muratorius cenſet quam diligenter obſervandos; quod munus in Sacris nunc primum ex hoc perraro Lapide deprehenditur. Aurigae enim ſignificantur, qui Deorum ſtatuas in *lectica* compoſitas, praeſertim in Ludis Circenſibus circumferebant. Lecticae *thenſae* appellabantur; hinc apud Feſtum *thenſa* vocatur *vehiculum, quo Exuviae Deorum Ludicris Circenſibus in Circum ad Pulvinare vehuntur*.

Sed & *Candidatorum & Colitorum* nomina explanari debent. *Colitores* ſeu *Cultores* ſingulare Sacerdotum genus erat, qui ſic dicebantur a cultu, ſeu honore, & reverentia, quam Diis exhibebant; hinc Cultores *Jovis Praeſtitis, Triplicis Dianae, Herculis, Domus Auguſtae &c.* (12). Praeterea Cultores Imaginum Domus Auguſtae, & Curatores, qui ſub Magiſtro Larum erant, videſis apud Gruterum pag. CCXXXVIII. 12. *Candidati* ii & dicebantur & erant, qui candida veſte, quoad Comitia haberentur, induti, certas quaſdam Diis preces adhibebant, ut, quos peterent, Magiſtratus conſequerentur (13). Horum auſpicia Candidatorum ſic de-



(12) Vide Burchardi Struvii Antiquitatum Romanar. Syntagma cap. 12. de Sacerdotiis Romanorum p. 636.

(13) Vide Urſat. de Not. Roman. in Theſaur. Ant. Rom. Graevii tom. XI. pag. 791.

Digitized by Google

deſcribit Dionyſius (14): *Candidati ſedem capiunt, & ſub crepuſculum matutinum ſurgunt, & quaſdam preces ſub dio peragunt.*

III.

... RDOTES ET CANDIDATI

TVLERVNT. IN FABRICA. TEMPLI

... S. DOMITIVS. SEVERVS. ALEXANDER

Ex ruderibus Alexiani Coenobii, VII. Kal. Octobris A.D. 1750. eruta haec marmorea Tabula, nunc primum prodit, ſed manca & mutila, uti eſt. Qui in ea leguntur *Sacerdotes & Candidati*, ſuſpicionem movent, ad unum & eundem locum pertinuiſſe, quo vidimus num. II. L. Tettium Hermetem Lapidem poſuiſſe pro ſalute *Sacerdotum & Candidatorum*. Sed quis fuerit *Domitius Severus Alexander*, plane ignoro. Neque enim illius nomen legitur apud Antiquarum Inſcriptionum Collectores, quos conſului, Smetium, Gudium, Reineſium, Gruterum, Fabrettum, Donium, Maffejum, Muratorium, & Glandorpium (15).

IV.

IN . HONOREM . DOMVS . AVGVST

TI. CLAVDIVS. SECVNDVS. COACTOR. CVM. TI. CLAVDIO. TI. QVIR.

(SECVNDO F. VIATORIBVS. III. VIR. ET. IIII. VIR

SCHOLAM. CVM. STATVIS. ET. IMAGINIBVS. ORNAMENTISQVE

(OMNIBVS SVA. IMPENSA. FECIT

Exſtat adhuc haec Inſcriptio praegrandi in marmore, quod ad S. ALEXII exteriorem portam in uſum zo-

(14) Dionyſius apud Pitiſcum Lexic. Ant. Rom. V. *Candidati*.

(15) Ioannis Glandorpii Onomaſticon Hiſt. Romanae Francofurti 1589.

Digitized by Google

zophori ſuperpoſitum eſt. Illam ediderunt Smetius (16), Gruterus (17), aliique. Sed Lapis alter haud editus, ex adverſo poſitus ad vineae portam, attendendus eſt, in quo item grandioribus litteris ſculptum legitur ..... ESID . CLAVDIO . PRI . A ... Quare conjicio, magnificum ſane Scholae aedificium hic a Gente Claudia exſtructum fuiſſe. Ad Scholam Caſſii, quam in Aventino ſtetiſſe conſtat, haec referenda putat Paulus Merula, ſed immerito, ut recte obſervat Nardinus (18), qui etiam, quid Scholae fuerint, ſatis explicat lib. III. cap. X.

Ex Muſeo Kircheriano Muratorius (19) Inſcriptionem refert poſitam TI . CLAVDIO PRISCO SECVNDIANO COACTORI &c. Sed vereor, hanc ad alterum Claudium, qui *Priſcus* nominabatur, pertinere, non ad Claudium Secundum. *Coactor* autem is erat, qui ex auctionibus pecunias cogebat ſive colligebat; hinc apud Gruterum *Coactor Lanarius*, *Coactor a Portu Vinario*, & apud Muratorium (20) *Coactor Argentario*, & *Coactor Vinarius* (21).

V.

.... EPS VRBANA

.... N REGIONE

...... O VICORVM

...... CAESARI

...... PRINCIPI. IV

...... ONTIE COS

...... AERE CON

Eſt

(16) Smetius Ord. prim. pag. XII. 6.
(17) Gruterus pag. CLXIX. 5.
(18) Nardinus Rom. Ant. lib. VII. cap. IX.
(19) Murat. claſſ. XIII. p. CMXLV. 10.
(20) Ibid. pag. CMLXXV. 3.
(21) Ibid. pag. CMXLII. 8.

Digitized by Google

Eſt apud nos hujuſmodi fragmentum, quod olim parum accurate exſcripſit Donii Amanuenſis apud Gorium (22). Quis autem fuerit hic Caeſar, Princeps Juventutis, Pontifex, & Conſul, omnino obſcurum, niſi divinare velimus. Fortaſſe ille eſt Druſus, aut Germanicus; nam Anonymus Chiſianus (23) duas affert Inſcriptiones, quae iam ſubter Alexianis Aedibus fuiſſe dicuntur eo loci, qui nominatur *la Salara*, & quidem omnino ſimiles, niſi quod altera Druſi, altera Germanici Caeſaris nomen habet; utramque vero poſuerat Plebs Urbana hoc modo:

PLEBS . VRBANA . QVINQVE . ET
TRIGINTA . TRIBVVM
* GERMANICO CAESARI
TI. AVG. F.
DIVI . AVGVSTI . N.
AVGVRI . FLAMINI . AVGVSTALI
COS. ITERVM . IMP. ITERVM
AERE . CONLATO.

* in altera DRVSO . CAES.

VI.

. . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . ONI H. MAXIMO
. : . . . AVII. IMP. III. COS. IIII.
C. AVILIVS LICINIVS
TROSIVS. CVRVL. CVR. II.
DEVOTVS NVMINI
MAIESTATIQVE EIVS

Hanc

(22) Anton. Franc. Gorius in Inſcript. Antiq. Donianis claſs. III. num. 36. pag. 121. edit. Florentiae 1731.

(23) Ex mſ. codice biblioth. Chiſianae ſignato 1097.

Digitized by Google

Hanc Inſcriptionem, qualiſcunque eſt, quum inveniſſet Didacus de Revillas Abbas e noſtra Familia, in Archigymnaſio Romano Matheſeos Profeſſor, qui annum agens LVI. ſupremum diem obiit XII. Kal. Septembris A. D. MDCCXLVI. & in Alexiano Templo ſepultus eſt, hanc, inquam, quum inveniſſet Homo Studioſus Rerum Antiquarum, miſit ad Muratorium, qui eam edidit in Claſſe Auguſtorum (24), quaſi pertinere poſſit ad Neronem Auguſtum; ſed formula *Devotus Numini Majeſtatique ejus* mihi quidem videtur eſſe hujuſmodi, ut in aetates multo poſteriores rejici omnino debeat; quod Muratorius ipſe ſuſpicatur.

## VII.

C. VETTIO. C. F.
COL. NIGRO
DOMO. ANTIOCHIA
SYRIA. VETERANO
LEG. XI. FVLMINAT.
MIL. ANN. XXVI.
VIXIT. ANNIS. LVII.
EX TESTAMENTO

Ex ara candidi marmoris ad S. Alexii ediderunt Mazzochius (25), Boiſſardus (26), Smetius (27), & Gruterus (28). Sed iſte ex hortis Ludoviſiis ſub parva ſtatua

(24) Murat. Nov. Theſ. Vet. Inſcript. tom. 1. claſs. 4. p. CCXXVII.
(25) Mazzochius Jac. Epig. Urbis pag. XXVII.
(26) Boiſſardus pag. XC. 15.
(27) Smetius Ord. 4. num. 15. pag. XCI. 4.
(28) Gruterus pag. DLXVII. 10.

Digitized by Google

tua militis ſagati, alterius *Vettii Veterani* Inſcriptionem hanc affert (29):

Q. VETTIO. INGENVVO. VETERANO
EX CHO. III. PR. EX. PROVINCIA
GERMANIA. INFERIORE. FELICIVS
MARCVS. EVOKATVS. ERES. ET
CIVES. BENEMERENTI. FECIT.

## VIII.

METTIO MESSORI
MIL CHO III PR 7 AV
DACIS CLAVDIVS
RVFIANVS CONM
ANIPLO. B. M. F.

A. D. MDCCXXXVI. quum ad Alexianam Bibliothecam exſtruendam fundamenta jacerentur, hanc Inſcriptionem invenimus urnulae marmoreae inſculptam, quam noſtra manu deſcriptam miſimus ad Muratorium, qui primus eam edidit, atque ita illuſtravit (30): „ Metius iſte Meſſor fuit miles Cohortis ter„ tiae Praetoriae in Centuria Audacis, & fuit com„ manipularis Claudii Rufiani, qui titulum poſuit. „ Manipulus autem in re militari minor fuit Cen„ turia, Ammiano teſte lib. 17. Ab hoc vocabulo de„ ſcendit miles manipularis, ſi modo foeni faſcicu„ lum

(29) Ibidem pag. DLXVII. 9.
(30) Murat. tom. 2. Vet. Inſcript. claſſ. XI. pag. DCCCXXXV.

Digitized by Google

„ lum intelligas , qui haſtae imponebatur , ut ait
„ Ovidius Faſtorum lib. 3.

*Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos;*
*Inde maniplaris nomina miles habet.*

## IX.

FLAVIO . PLAVDIO
SEVERO . V. C. PRO. COS. ORI
ENTIS. V. S. IVDICANTI . PROCONS. PR
PROV. AFRICAE. ET. V. S. IVDICANTI
PRAEF. VRBI. ET. V. S. IVDICANTI. ITE
RVM. COMITI. ORD. PRIMI. INTRA. PA
LATIVM. PRAEF. PRAET. CONSVLI. ORD
PLAVDIVS. SEVERVS V. C. FILIVS. PATRI. RELIGIOSO
ET. ANTONIA. MARCIANILLA. C. F. NVRVS
SOCERO. SANCTISSIMO.

Lapidem hunc ante portam Alexiani Coenobii olim jacentem exſcripſerunt Anonymus bibliothecae Albanae (31), & Theophilus Gallacinus (32), ſed tribus mutilatum prioribus lineis, quas Gruterus e Cittadini ſchedis ſupplevit, & ex integro edidit (33).



(31) Anonymus in ms. codice bibliothecae Albanae, qui inſcribitur: *Epitafj delle Chieſe di Roma. A S. Aleſſio.*

(32) Theophilus Gallacinus in ms. codice 970. pag. 100. Exſtat Romae in bibliotheca Chiſiana.

(33) Gruterus pag. MXCIV. 6.

Digitized by Google

## X.

C. PLOTIO SALVIO PATRONO
C. PLOTIO. C. L. SALVIO
C. PLOTIO SALVIO
L. PLOTIAE. C. C. L.
HELENAE CONLIB
ARBITRATV. C. PLOTI. SALVI LIB
EX TESTAMENTO HS. II
C. PLOTI SALVI PATRONI
SIBI ET. C. PLOTIO SALVIO PATRONO
ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERIBVSQVE EORVM
ET AMPLIVS IN EO MONVMENTO
IMPENSA ADIECIT DE SVO HS. VI
ET PLOTIAE. C. L. TERTIAE

Deſcripſit primus omnium Mazzochius (34) in Epigrammatis Urbis; ſed Gruterus (35) immutatam forte ſeriem linearum apte reſtituit, quemadmodum hic attulimus.

## XI.

VMBRICIAE
SEVERAE
VENVSTI

Hic

(34) Mazzochius Jacobus pag. XXVII. (35) Gruterus pag. DCCCCLI. 2.

Digitized by Google

Hic quoque linearum ordinem reſtituit Gruterus (36), quem forte immutaverat Mazzochius (37).

XII.

D. M

C. NOVIO. C. FIL. IVCVNDIANO

NOVIA. RVFINA. FRATRI. B. M. F

Erat hoc Epitaphium inſcriptum urnae marmoreae ped. 7. quae VII. Kal. April. A.D. 1751. effoſſa fuit, quum Alexiani Templi nova porticus exaedificaretur; noſque ipſi illud deſcripſimus. Et Familia quidem Novia celebris jam fuit apud Romanos (38), multaeque Inſcriptiones hujuſmodi nomen praeferunt (39), quas ſilentio praetereundas arbitramur, ne (in quo errant Antiquarii ſane multi) temere omnia, vel quum minime opus eſt, obtrudamus.

XIII.

A. SERGIVS APELVS F. S.

ERIAE IONIAE

CONIVG. B.

Exſcripſit ad S. Alexium Anonymus bibliothecae Albanae (40). Plurimi autem apud Gruterum occurrunt, quorum nomen Sergius.



(36) Gruter. pag. DCCCCXXVI. 16.

(37) Mazzochius pag. XXVII.

(38) Vid. Io. Glandorpii Onomaſticon Hiſt. Romanae Francofurti 1589.

(39) Vid. Gruterum, & Murat Nov. Thes. Vet. Inſcript. claſs. XXII. pag. MDCI. 4. & pag. MDCCXVII. 10.

(40) Vide ſupra not. 31. pag. 353.

Digitized by Google

## XIV.

SERGIVS
N. MEMORIA
CAVSA.

Ex cippo ſepulcrali, qui apud nos adhuc exſtat, edidit Maffejus (41), ſed omiſſa littera N. quae fortaſſe ſignificat *Noſter* vel *Nepos*.

## XV.

D. M
M. LICINI
MAXIMI. ET
EFFICACI. FIL
FLAVIA. COETONIS
CONIVGI. B. M. F.

Edidit idem Maffejus (42), ſed & ante ipſum exſcripſerat Anonymus biblioth. Albanae, qui tamen legit FLAVIA ACETONIS.

## XVI.

D. M.
CAELIO
POLYCARPO
LIB. PIISSIMO
PROBVS
PATRONVS

Ex

(41) Muſ. Veronen. Inſcript. Var. pag. LXXXVIII.
(42) Ibidem.

Digitized by Google

Ex eodem Maſſejo in Muſeo Veronenſi ad S. Alexium.

## XVII.

M. AEMILIVS. M. F. IANVARIVS CA
TILIAE MARCIANAE CONIVGI IN
COMPARABILI DVLCISSIMAE PI
ENTISSIMAE CASTISSIMAE: QVE
VIXIT ANNIS XXXII. MENS. VI.
DIEB. V. ET CVM QVA VIXI ANN.
XIII. CVM MAGNA DVLCITVDI
NE SOMNO AETERNALI SACR
VM FECER. ET FIL. M. AEMILIVS
AGATHEMER ET. M. AEMILIVS
MARCIANVS ET AEMILIA INGE
NVA QVAE ET MARCIANAE MA
TRI PIENTISSIMAE DVLCISSI
ME SANCTISSIME
ΟΥΧΙ ΤΕΚΟΥΣΑ ΟΥΔΕΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΣ
SOMNO AETERNALI SACRVM
FECERVNT LIBER. LIBERTABVS
QVE POSTERISQ. EORVM
INVIDE QVID GAVDES ILLA HIC
MIHI MORTVA VIVET:
ILLA MEIS OCVLIS AVREA SEM
PER ERIT.

---

ET. Q.Q. MVCI EVTACTI ET TVLIANI LIB. LIBER
TABVSQVE POSTERISQVE EORVM

Ex

Ex baſi marmorea olim apud nos exſcripſit, mox edidit Mazzochius (43), atque ex eo Gruterus (44). Sed & Raphael Fabrettus aliam affert Inſcriptionem in immodicas mortuorum laudes effuſam, atque hujus adeo ſimilem, ut una ex altera expreſſa videatur, ſcilicet: AVRELIAE . VICTALI . AVG. LIB. CONIVGI . INCOMPARABILI . DVLCISSIMAE . CASTISSIMAE . PIENTISSIMAE . SANCTISSIMAE . B. M. FECIT . QVAE VIXIT . ANNIS . XXXII. ET . CVM . QVA . VIXI . ANNOS . XVIII. NON . CORRVPTO . MATRIMONIO &c. (45). Formula illa SOMNO AETERNALI, quae noſtro in Lapide exprimitur, haud infrequens eſt in Gruterianis, ubi legitur: SOMNO . AETERNALI . LVCRETIAE . HILARAE . COIVGI &c. (46), SOMNO AETERNALI . VLPIAE . EVTERPE . MATRI &c. (47), D. M. ET . SOMNO . AETERNALI . SECVRITATI . MEMORIAE . PERPETVAE &c. (48).

## XVIII.

APPVLEIA
FELICLA
VIX. AN. IIII

Ex parva urnula.

## XIX.

D. M
RVTILIAE
M PELIDI
ATTICVS
B. M. F

Ex Tabula marmorea.

Utraque Alexianis in Aedibus adhuc exſtat.

....PA-

(43) Mazzochius pag. XXVIII.
(44) Gruterus pag. DCCLII. 3.
(45) Ex Fabretto Inſcript. cap. IV. pag. 250.
(46) Gruter. pag. DLXXXIX. 4.
(47) Idem pag. DCCXLVII. 9.
(48) Idem pag. DCCLI. 3.

Digitized by Google

## XX.

.... PACVVIA . QVAE
.... YCHIA . SIBI . ET
... AE. TYCHE FILIAE . SVAE
... POLI. NEPTI. ET
.... RTAEVS . POSTERISQVE . EORVM
.... E. P. XII. IN. AGRO P. XIV..

Muratorius ſuis e ſchedis edidit hoc modo:

ACCYA . QVAE ET EV
TYCHIA . SIBI . ET EV
TYCHE FILIAE SVAE &c. (49).

At in ipſo Lapide legitur PACVVIA, non ACCYA, TYCHE, non EVTYCHE.

## XXI.

MORS . VITAE
CONTRARIA. ET
VELOCISSIMA
CVNCTA. CAL
CAT. SVPPEDI
TAT. RAPIT. CON
SVMIT. DISSOL
VIT. MELLIFLVE
DVOS. MVTVO
SE. STRICTIM. ET

AR-

(49) Murat. Vet. Inſcr. tom. 2. pag. MCXXIII.

ARDENTER
AMANTES. HIC
EXTINCTOS
CONIVNXIT.

Ex cippo ſepulcrali, qui apud nos amplius non exſtat, primus omnium edidit Petrus Appianus Mathematicus in libro, cujus titulus: *Inſcriptiones Sacroſanctae Vetuſtatis* p.CCLXXXVI. edit. Ingolſtadii An. MDXXXIIII. Legitur etiam apud Theophilum Gallacinum in mſ. codice bibliothecae Chiſianae num. 970.

## XXII.

DIOCLETIANASC

Hoc initium magnificae Inſcriptionis vix nobis reliquum, litteris grandioribus inſculptum eſt marmori, cujus pars, & quidem minor ad portam Alexiani Templi in uſum liminis converſa diu fuit. Suſpicor autem, e Diocletiani Thermis illuc fuiſſe tranſlatum; nam Diocletiani aedificia ulla in Aventino fuiſſe, nuſquam legi.

## XXIII.

Quinque laminas plumbeas (50) fiſtularum variae craſſi-

(50) *Fiſtularum*, quae aquam deducerent, duplex erat genus; aliae enim erant aeneae, quae ſtatuebant aquae modum, quae derivanda erat, & appellabantur vel calices, vel moduli, vel pro varia capacitate quinariae, denariae, vicenariae, & ſic deinceps; aliae fiebant ex plumbo, per quas aqua ad certa loca deducebatur; & per hujuſmodi fiſtulas partem aquae Claudiae *in Palatium*, AVENTINVMQVE, *& regionem Tranſtyberinam* corrivatam fuiſſe, narrat Frontinus de Aquaeduc. Urb. Rom. Comment. art. XX.

Digitized by Google

craſſitudinis (51) ad S. ALEXII, ut fertur, erutas, & adhuc apud nos exſiſtentes, hic apponimus aeri inciſas, quo accuratius ipſa litterarum forma pateat oculis omnium.




(51) *Variae craſſitudinis* hae fiſtulae parietes habebant ſuos, quorum amplitudo ad aquae dimenſionem, quae deducenda erat, omnino accommodabatur juxta leges, quas praeſcribunt Vitruvius lib. VIII. cap. 7. Plinius lib. XXI. cap. 6. & Palladius lib. VIII. de Re Ruſtica tit. 12. Atque noſtra aeta-

Prima *Theatri Trajani Nervae* nomen praeſefert, atque adeo nos inducit, ut ſuſpicemur, Theatrum Trajani aliquod in Aventino fuiſſe, vel ſaltem illius aedes in Theatri formam conſtructas, ad quas fiſtula haec ipſa aquam derivaret.

Et quidem Trajanus in Aventinum rivum aquae Martiae deducendum curavit; quae propterea Trajana dicta fuit, ut jam ſatis conſtat (52) vel e fiſtula altera plumbea in hortis Aventini verſus portam Hoſtienſem inventa, quam afferunt (53) Donatus, Nardinus (54), aliique, ſic inſcriptam:

AQVA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIAN
CVR. THERMARVM. VARIANARVM.

Publius Victor collocat in regione XIII. ſeu in Aventino *Privata Trajani*, quae Panvinius, & plures alii (55) interpretantur Balnea privata, Domum, Thermas a Trajano fortaſſe ante exſtructas, quam fieret Imperator. Ergo in uſum hujuſmodi Thermarum aquam Trajanam in Aventinum corrivatam nemo erit, qui

aetate defuerunt, qui eaſdem leges & illuſtrarent, & accuratius traderent. Fuerunt autem Mariottus, Romerius, & Hermannus, quorum poſtremus in Phoronomia ſua rem generatim atque univerſe complectens, hoc poſuit Theorema: *Reſiſtentiae ſeu firmitates tuborum ſunt in compoſita ratione ex ratione tenacitatis materiae unius ad tenacitatem materiae alterius tubi, ex ratione craſſitiei ad craſſitiem, & denique ex altitudinis tubi unius ratione ad altitudinem alterius*. Fatetur autem Polenus Mathematicorum Italiae facile princeps, in tubis ſeu fiſtulis non ad perpendiculum poſitis, ſed ad planitiem ferme directis, alia aliqua adhuc obſervatione opus eſſe. Vid. Jo. Poleni adnotationes ad Frontinum de Aquaeductibus art.20. §.IV.

(52) Vide Panvinium Reipub. Rom. Commentar. lib. I. reg. XIII. pag. 104. Nardinum Rom. Ant. lib.VIII. cap.4.pag.518.

(53) Alexander Donatus de Urbe Roma lib.3. cap.XIX. pag.413.

(54) Nardinus lib. VII. cap. VIII. pag. 454. Panvinius ubi ſupra.

(55) Panvinius ibidem pag. 100. Donatus ubi ſupra, & Fabrettus de Columna Trajani cap.VI. pag.172.

Digitized by Google

qui neget (56). Quid igitur prohibet, quominus & in uſum domeſtici cujuſdam Theatri, quod forte ibidem Trajanus haberet, deductam fuiſſe exiſtimemus? Hujuſce rei indicium aliquod oſtendere videtur fiſtula, de qua ſupra diximus, ſiquidem in Aventino reperta eſt. At negant Rerum Antiquarum Periti, Maffejum ſi excipias (57), Trajanum vel in Aventino, vel alicubi Theatrum unquam habuiſſe; nam quae narrat Spartianus (58) de Hadriano, qui *multas provincias a Trajano acquiſitas reliquit, & Theatrum, quod ille in Campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit*, ad illius Amphitheatrum referenda putant, quod Pauſanias (59) ita deſcribit: θέατρον μέγα κυκλοτερὲς πανταχόθεν, *Theatrum magnum undique circulare*. Quis igitur uſus fuit ejuſmodi fiſtulae *Theatri Trajani*? Num aquam deducebat ad illius Amphitheatrum in Campum uſque Martium? At ex Aventino in regionem quidem Tranſtyberinam; non autem in Campum Martium aqua demittebatur, teſte Frontino (60). Reliquum igitur eſt,



(56) Vide Nardinum lib. VIII. cap. 4. pag. 518.

(57) Cel. Scipio Maffejus de Amphitheatro lib. 1. cap. 6. animadvertit, quod nondum ea aetate confundi coeperant nomina Theatri & Amphitheatri. Quare ergo Theatrum diceretur non a Pauſania ſolum, ſed etiam a Spartiano, qui proprio deſignat nomine, ſi forte res poſtulet, in eadem Vita Amphitheatrum? Vide etiam *Montfaucon l'Antiquitè expliquèe liv. 2. chap. 7. & Memoires de Literature tom. 2. diſcours ſur la forme & la conſtruction du Theatre des Anciens, où l'on examine la ſituation, les proportions, & les uſages des toutes ſes parties. Par. M. Boindin a la Haye* 1719.

(58) Spartianus cap. 8.

(59) Pauſanias Eliacorum lib. priori, cujus auctoritate utuntur Donatus lib. III. cap. 7. pag. 286. Nardinus lib. VI. cap. VII. pag. 363. & Piticus in Lexico V. Amphitheatrum, ubi ait: *ne moveat quemquam, quod id Theatrum a Spartiano appelletur, nam Amphitheatrum fuiſſe, prodit Pauſanias &c.*

(60) Sex. Julii Frontini de Aquaeduct. Urb. Rom. Comment. art. XX. Vide ibidem adnotationes Jo. Poleni edit. Patavii 1722.

Digitized by Google

ut, quemadmodum Balnea, Thermas, & Domum privatam Trajanus in Aventino habuit, ſic Theatrum aliquod habuiſſe, non plane quidem, ſed ita affirmem, ut Eruditiorum Hominum judicio multo ſtare malim quam meo.

Altera ex Aventini fiſtulis nomen refert *Sexti Cornelii Repentini Praefecti*, ut arbitror, alicujus Provinciae, de quo fortaſſe meminit Lapis apud Gruterum (61), ita inſcriptus:

SILVANO
SANCTISSIMO
CORNELIVS RE
PENTINVS
V. C. FECIT.

In tertia legitur *Sabidius Dionyſius fecit*. Quis ille autem fuerit, prorſus ignoro. *Flavio Sabidio* Monumentum poſuit Artemiſius apud Gruterum (62), quod eſt hujuſmodi:

D. M.
T. FLAVIO
SABIDIO. AMI
CO. BENEME
RENTI. ARTEMI
SIVS. CAESARIS
FECIT.

Quarta eſt *M. Valerii Braduae Maurici Curatoris* fortaſſis aquarum; quorum Curatorum ſeriem deſcribit

(61) Gruterus pag. LXV. 5. (62) Idem pag. MXXXIII. 12.

Digitized by Google

bit Sextus Frontinus (63), qui & ipſe creatus fuit Curator aquarum ab Imperatore Nerva Coccejo An. Urbis Cond. 848. Is eſſe videtur Bradua Mauricus Proc. Africae ſub Severo & Antemio, quorum ad eum Reſcriptum exſtat leg. 1. digeſt. de ſuſpect. Tutor. & Curat. Lapidem refert Gruterus (64), in quo legitur: M. VALERIVS . BRADVA MAVRICVS (65) PONTIF. ET ANTONIA VITELLIA AMICI &c.

Poſtrema demum celebrem illum *Cecinam Decium Maximum Baſilium Virum Illuſtrem* commemorat, cujus exſtat apud Caſſiodorum Epiſtola a Theodorico Rege conſcripta: *Decio Viro Illuſtri Theodoricus Rex &c.* (66); ex qua liquet, Decio noſtro campum Terracinenſem, quantus aquis obrutus erat, & a duobus Senatoribus circumſcriptus, immunem ex Theodorici Reſcripto fuiſſe conceſſum. Et quidem ſtagnantem ibi paludem Pontinam (67) exſiccavit Decius, homo navus ac diligens, & Appiam reſtituit: cujus rei adhuc exſtat Anxuri Monumentum marmoreae columnae inſculptum, quod afferunt Gruterus, Corradinus, aliique paſſim; ex quo facile intelligitur, per plurimos, qui ante non erant, alveos deductam in mare aquam, NAVITER INSVDANTE . . . . . EX PROSAPIA . DECIORVM . CAEC.

(63) Sex. Jul. Frontini de Aquaed. Com. art. CII. pag. 181. edit. Poleni 1722.

(64) Gruter. pag. CCCLVI. 1.

(65) Urſinus legit *Mauritius*, ſed vel ex ipſo tubulo noſtro *Mauricus* legendum eſſe patet.

(66) Caſſiod. lib. 2. Variar. Epiſt. 33.

(67) Pontina palus inter Appii Forum, Terracinam, & Circejos olim adeo late patens erat, ut illam viginti tres urbes circumſtarent, teſte Plinio lib. III. cap. 5. Per hanc Trajanus viam ſaxo ſtravit ingenti ſumptu, ut idem Plinius narrat lib. 26. cap. 4. quam poſtea *Caecina Maximus* reſtituit, exſiccata palude. Et illius quidem etiamnum veſtigia ſuperſunt, quae ego ipſe maxima cum animi oblectatione contemplatus ſum, quum Neapolim pergerem IV. Kal. Maji A. D. 1751.

CAEC. (68) MAV. BASILIO . DECIO . VC . ET . INL. EXPF. VRB. EXPPO . EXCONS. ORD. PAT. (69) &c.

Et niſi quae me forte fugerint, hae ſunt fere omnes profanae Inſcriptiones, quae ad S. ALEXII inventae dicuntur. His autem adjicere lubet, vetuſti muſivi operis Ectypon ex eorum genere, quae minima vermiculata vocabantur; propterea quod minutis adeo lapillis conſtabant, ut vermium dorſum (quod variegata macularum ſerie, tot veluti punctis, depictum eſt) oculis hominum repraeſentarent. Illud exhibemus Tabula XIII. cujuſmodi edidit Doctiſſimus Ciampinus (70), qui meminit, primum jacuiſſe in Templi pavimento, mox ad illius parietem affixum fuiſſe, quo loci nos ipſi non ſemel illud contemplati ſumus. Sed quis erit infinitae hominum cupiditati atque avaritiae modus? In hoc tanto novi aedificii tumultu nobis indigniſſime ablatum & ſurreptum nunc dolemus.

HActenus de Inſcriptionibus, quae nos tamen commonefacere videntur, ut, antequam finem Liber inveniat, &, unde orſus eſt, eo terminetur, minime praetereamus Inſcriptiones omnium ſane digniſſimas, quae commendentur memoriae hominum ſempiternae. Sunt autem illae ipſae, quae declarant, poſteriſque produnt ſumma in nos beneficia Ampliſſimi Cardinalis Qui-

(68) CAEC. MAV. BASILIO DECIO legitur apud Gruterum, Corradinum, alioſque. At noſtro in tubo viſitur diſtinctim CECINE DECI MAXIMI BASILI VI; hinc ſuſpicor, vel MAX. non MAV. ſculptum eſſe in Anxuris columna, ubi, detrita forte infima parte litterae X, littera V pro X exſcripta ſit, vel ſi MAV. ibi ſculptum eſt, lapicidae mendum fuiſſe.

(69) Gruter. pag. CLII. 8. Corradini Vetus Latium Profanum lib. II. cap. XVII.

(70) Ciampinus Vet. Monum. part. prima cap. X. tab. XXXII. n. 4.

Digitized by Google

Tab. XIII. Pag. 366.



Digitized by Google

Digitized by Google

Quirini, qui non hac ſolum exigua praedicatione, ſed plena hiſtoria dignus eſt, atque omni genere ornamentorum. Prima igitur ad abſidem novi Templi legenda occurrit:

ANGELO MARIÆ QVIRINO
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO BRIXIENSI
VATICANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO
HIERONYMIANÆ FAMILIÆ
PROTECTORI PATRONO CONSERVATORI
BENEFICENTISSIMO
MAGNIFICI BRIXIANI TEMPLI
CELEBERRIMAS ROMANAS GRÆCASQ: MOLES
ÆMVLANTIS
CONDITORI
ET PRÆTEREA ROMÆ ET BRIXIÆ
PLVRIVM SACRARVM ÆDIVM
INSTAVRATORI
QVOD
HVIVS ETIAM PRINCIPEM PARTEM
DVM TITVLVS ISTE MISERE VACARET
LARGO PROFVSO ÆRE
REPARAVERIT AVXERIT ORNAVERIT
D. IOH. CAROLVS GALIMBERTI
ABBAS GENERALIS
ET MONACHI HIERONYMIANI
ÆTERNI OBSEQVII MONVMENTVM PP
A. D. CIƆIƆCCXLIV

Al-

Digitized by Google

Altera ſuper ejuſdem Alexiani Templi portam interius affixa eſt:

TEMPLVM. S. BONIFACII. MARTYRIS
AB. AGLAE. MATRONA. ROMANA. CONDITVM
INNOCENTIO. I. PONT. MAX. S. ALEXII. NOMINE. AVCTVM
SOLEMNI. CAERIMONIA. AB. HONORIO. III. DEDICATVM
ANG. M. QVIRINVS S. R. E. CARD. BIBLIOTHEC.
VETVSTATE. CORRVPTVM
DE. SVO. RESTITVIT. EXSTRVXIT. ORNAVIT
ANNO. IVBIL. CIƆIƆCCL.

Poſtrema demum ſub ipſa Templi porticu inſculpta legitur marmoreae baſi, quae ſuſtinet ſignum Benedicti XIII.

STATVAM. HANC
BENEDICTO. XIII. VRSINO
BENEFACTORI. SVO
VERE. MAXIMO. VERE. OPTIMO
ANG. MAR. CARDIN. QVIRINVS
BIBLIOTHECAR. S. R. E. EPISC. BRIXIEN.
PONENDAM. CVRAVIT
VICE. ILLIVS
QVAM. SIBI. IPSI. HOC. EODEM. LOCO
BENEVOLE. SANXERANT. ERIGENDAM
MONACHI. CONGREGAT. HIERONYMIANAE
ANNO. CIƆIƆCCLII.

Faxit

Digitized by Google

Faxit itaque omnis egregiae voluntatis, omnis efficiendae rei auctor, moderator, perfector Deus, ut, quae tanta magnitudine animi ad Alexianum Templum reſtituendum ornandumque complexus eſt Munificentiſſimus Sanctae Romanae Eccleſiae Princeps, ad optatiſſimum ea finem perducantur, ampliſſimumque Quirini nomen immortalitati conſignent. Atque hic Libri primi finis eſto.

Digitized by Google

# APPENDIX
## Actorum Veterum Alexiani Coenobii,
### *Quae nunc primum in lucem prodeunt.*

QUum ſive impudentia Scriptorum, qui plerumque ea temere obtrudere non dubitant, quae omnino falſa eſſe deprehenduntur, ſive difficili legentium natura, quae, niſi quod oculis perſpicitur, probant nihil, ſive utraque re ſimul illud ſit jam in more poſitum, ut cujuſque rei, quae ſcribitur, teſtimonia afferantur, nos quoque hanc ipſam conſuetudinem tenebimus, & Tabulas ac Documenta, quibus Liber noſter innititur, afferemus; quae vel legat quiſque, ſi velit, vel ii tantum, qui hujuſmodi Antiquitatis reliquias & libentiſſime colligunt, & diligentiſſime perpendunt.

Et quidem vetera Pontificum Romanorum Diplomata, quae ad Alexiani Templi & Coenobii dignitatem pertinere videbantur, jam nos e domeſtico Tabulario deprompta, ſuis quaeque locis ſuperiore Libro appoſuimus. Sed latent adhuc plura hujuſmodi Acta vetera, quae ampliſſimi Monaſterii antiquitatem, opulentiam, praerogativas demonſtrant; quae Urbis etiam & agri Romani Topographiam illuſtrant; quae plurium nobiliſſimarum Familiarum nomina, affinitates, officia declarant; quorum nonnulla ad publicam utilitatem hic in lucem proferimus.

Primum autem omnium quaſi familiam ducet Ottonis III. Diploma; cujus exemplum, quod ex vetuſta membrana hic apponimus, etſi certi temporis notatione deſtituatur, Autographum tamen datum crediderim A. D. 996. quo anno Romae verſabantur nedum Otto III. qui a Gregorio V. R. P. Imperii Inſignia accepit, ſed & Notkerius Epiſcopus, atque Abbas Leo, qui in eodem Diplomate commemorantur. Ille ſiquidem B. Adalbertum ex Alexianis Aedibus in Bohemiam reducem tum comitatus eſt (*). Leo vero ex Gallicana Legatione ad Monaſterium noſtrum jam fuerat regreſſus (**).

(*) *Vide pag. 108. not. (15)*

(**) *Vide pag. 57.*



OT-

# I.

# OTTO III. IMPERATOR

Precibus motus Notkerii Leodienſis Antiſtitis, & Leonis Abbatis, Alexiani Coenobii bona, jura, & immunitates Imperialis auctoritate Diplomatis confirmat.

*IN nomine Sancte & Individue Trinitatis. Octo* (1) *divina favente clemencia Romanorum Imperator Auguſtus. Si ea, que pie deſiderantur a Fidelibus, jugiter adimplenda ſunt; quanto magis illa, que pro ſtabilitate Sancte Eccleſie petuntur, omni ſtudio concedenda ſunt. Idcirco omni Fidelium noſtrorum, preſentium ſcilicet & futurorum, noverit univerſitas, qualiter Leo* (2) *Venerabilis Abbas Monaſterii Sancti Martiris BONIFACII atque ALEXII, quod ſitum eſt in Aventino, per interventum Notcherii* (3) *Epiſcopi Leodienſis Eccleſie, Noſtram adiit Clemenciam, deprecans, ut omnem pertinentiam ipſius Monaſterii, & etiam illa, que ipſe legaliter acquiſivit ſive infra Urbem, ſive extra Urbem, eidem Monaſterio S. BONIFACII atque ALEXII per noſtrum Preceptum perpetualiter confirmaremus & corroboraremus; cujus dignis precibus per noſtrum Imperiale Preceptum concedimus & confirmamus jam dicto Monaſterio S. Martiris BONIFACII & ALEXII, imprimis infra Urbem ante portum ipſius Monaſterii vineam*

(1) *Octo*, ſcilicet Otto III. Imperator, qui a Gregorio V. Pont. Romani Imperii Inſignia accepit A.D. 996. & ſupremum diem obiit Paterni A.D. 1002. 23. Januarii. Ex Lamberto Scafnaburgenſi, Annal. Saxonic. & Muratorio tom. v. Annal. Ital.

(2) De Leone Abbate Alexiano vide, quae ſuperius diximus Cap. IX. §. III. pag. 91.

(3) *Notkerius*, de quo ſup. p. 108. not. (15), Leodienſis Epiſcopus electus eſt A. D. 971. obiit autem A.D. 1008. Ex Sigeberto apud Mabillon. ſaec. V. Bened. tom. VII. ad An. 909. pag. 22. num. 20. Nominis etymologiam explicat Gherardus in Vita B. Notkerii Balbuli; ex quo Papebrochius *Noth ghere* ait ſignificare deſiderium, ſeu deſiderantem rerum neceſſariarum.

Digitized by Google

*neam, & ex altera parte ejuſdem Monaſterii ortos duos* (4), *ſimulque & domum Eufirmiani* (5) *cum vineis, terris, atque oliveto, & diverſi generis arboribus, ſicuti antiquitus prefato Monaſterio pertinuit, & ſicuti poſtmodum idem Venerabilis Abbas Leo in preſentia Patris mei* (6) *legaliter acquiſivit, nec non & cellam in honorem*

(4) *Hortos*, quos deinde commemoravit Honorius III. in Diplomate, quod attulimus Cap.XV. pag. 225. Vide ibidem not. (2) & (3).

(5) *Domum Euphemiani*, de qua diximus Cap. IV. pag. 30. & cap. XV. p. 225. not. (3). *Eufirmiani* legitur cum in Diplomate Ottonis, tum in Bulla Honorii III. At *Euphemianus* dicitur in Actis apud Bolland. 17. Julii. *Fuit Romae, vir magnus & nobilis, Euphemianus nomine, dives valde, & primus in Palatio Imperatoris &c.* In Diplomate autem Silveſtri II. Pont. habetur: *Euſumianus quondam urbis Romae Praefectus, & Venerabilis Sancti Chriſti Confeſſoris* ALEXII *genitor &c.* Vid. ſup. Cap. IV. p. 34. Nec quiſpiam reponat, Euphemiani nomen haud legi in ſerie Praefectorum Urbis. Nam primum nullus ignorat, ejuſmodi Praefectorum ſeriem, quae a Contelorio, ab Almeloveen, atque ab aliis deſcripta fuit, valde mancam eſſe & interruptam; deinde apud eundem Contelorium (a) & Gottifredum (b) occurrit: *Anno 407. SENATOR Urbis Praefectus.* Fortaſſis iſte erit Euphemianus, qui paſſim *Senator* nominatur in Actis S. ALEXII, & in Martyrol. ad diem 17. Julii. Et ſane Euphemianus Graecae originis eſt ab εὐφημία, quod bono omine, nomine praeditum ſignificat. An *Senator* nomen fuit, Euphemianus praenomen? Apud Antiquos certe nomen fuit. Hinc, qui *Caſſiodorus* vocatur, *Senator* & *Marcus Aurelius* nominandus eſt. *Senator* Conſul habetur in Donianis Inſcriptionibus (c), *Senator* Abbas, ad quem ſcripſit D. Gregorius Magnus (d). In Martyrologio die 28. Maji legitur: *S. Senatoris Epiſcopi Mediolani*, & die 26. Septembris: *Albani S. Senatoris &c.* Vid. Baron. in notis ad Martyrolog. & Clariſs. Equitem Victorium *Fiorino d'oro illuſtrato* pr. part. cap. 24. pag. 165.

(6) *Patris mei* Ottonis II. qui natus A. D. 955. teſte Reginone in Chron. lib. 11. Imperiali Diademate coronatus eſt ab Joanne XIII. Rom. Pont. A. D. 967. & obiit Romae die 7. Decembris A. D. 983. Vide Sigonium de Regno Italiae lib. VIII. Witichin-

(a) Felix Contelorius de Praefecto Urbis inquit: *An. 407. Senator, de quo L. Manichaeos 4. C. de Haereticis.*

(b) Gottifredus in Proſopographia Cod. Theodos. tit. 5. tom. 6. par. 2. pag. 85. ait: *Senator ſub Honorio An. 407. l. 40. de Haereticis, forte hic Senator, de quo Symmachus lib. 2. ep. ultima.*

(c) Claſſ. XX. num. 97. pag. 547.

(d) Epiſt. lib. XI. ep. X. tom. 6. Concil. pag. 1240.

*nomem Salvatoris* (7) *cum domibus, vineis, terris, & piſcariis, quemadmodum predictus Abbas in preſentia Patris mei legavit et acquiſivit. Itemque medietas porte Sancti Pauli cum omnibus ſuis pertinentiis, ſicut Gregorius Papa* (8) *per ſuum Privilegium conceſſit predicto Monaſterio Sancti BONIFACII atque ALEXII, domus etiam ſive terras, quantaſcumque habet dictum Monaſterium infra , ſive in Piſcinale* (9), *ſive in Aureaula, ſeu in rippa Greca* (10), *vel in Aventino, vel ubicunque intra Urbem*

tichindum Annal. lib. III. inter Scriptores Germanicos Henrici Meibomii tom. I. Panvinium Romanorum Principum lib. III. atque ex recentioribus *Hiſtoire Generale d' Alemagne par le P. Barre tom. III.*

(7) *Cellam Salvatoris*, ſeu ſacram aediculam Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, de qua ſup. pag. 238. not. (47).

(8) *Gregorius Papa*, forſan hujus nominis V. Ottonis Franconiae Ducis filius, electus Rom. Pont. menſe Majo A.D. 996. qui e vivis exceſſit XII. Kal. Martii A. D. 999. & ſepultus eſt in templo S. Petri; cujus Epitaphium etiamnum legitur in cryptis Vaticanis, & eſt hujuſmodi:

*✱ GREGORIUS*
*PP. V.*

✝ *Hic, quem claudit humus oculis vultuque decorum,*
✝ *Papa fuit Quintus nomine Gregorius.*
✝ *Ante tamen Bruno Francorum regia prole,*
✝ *Filius Ottonis, de genitrice Judith.*
✝ *Lingua Teutonicus, Vuangia doctus in Urbe;*
✝ *Sed juvenis Cathedram ſedit Apoſtolicam.*
✝ *Ad binos annos & menſes circiter octo,*
✝ *Ter ſenos Februo connumerante dies.*
✝ *Pauperibus dives per ſingula ſabbata veſtes*
✝ *Diviſit numero cautus Apoſtolico.*
✝ *Uſus Franciſca, Vulgari, & voce Latina*
✝ *Inſtituit populos eloquio triplici.*
✝ *Tertius Otto ſibi Petri commiſit ovile,*
✝ *Cognatis manibus unctus in Imperium.*
✝ *Exuit & poſtquam terrenae vincula carnis,*
✝ *Aequivoci dextro ſubſtituit lateri.*
*Diſceſſit* XII. *Kal. Mart.*

(9) *In Piſcinale*, hoc eſt, ad piſcinas Tyberis, de quibus diximus ſup. Cap. XV. pag. 226. not. (7), & Cap. XIX. pag. 289. & 293.

(10) *Ripa Graeca*, ſeu ripa Tyberis prope Scholam Graecam, nunc templum S. Mariae in Coſmedin, cujus deſcriptionem edidit Creſcimbenus. Vid. ſup. Cap. XV. pag. 226. not. (6).

Digitized by Google

*bem , que ſunt in Tiberi, ſeu cum omnibus ſuis pertinentiis infra Urbem, preſcripto Monaſterio concedimus & confirmamus. Similiter & extra Urbem unum de Penna, Centum Montes, & Caſtiniola (11), & Ciminuli, & Septem Pretas, & Turderolum, & Murem, & caſale de Quinto (12), & caſale de Centum Cellis (13), & caſale de Murano (14), & terciam partem caſalis Sancti Juliani, & caſale de Caſſanello, cum pratis, ortis, campis cultis & incultis per omnia, ſicuti continetur in monumentis cartarum ipſius prefati Monaſterii, ſic & Nos confirmamus & corroboramus eidem Monaſterio imperpetuum. Item concedimus & confirmamus preſcripto Monaſterio omnia, que ſibi pertinere videntur in territorio Albanenſi, & Aricienſi, videlicet medietatem de cella* Sancte Suſanne *cum ſuis caſalibus, cellam quoque* Sancti Blaſii *cum ſuis pertinentiis, cellam quoque* Sancte Marie de Veproſa (15) *cum ſuis caſalibus, & cum caſtro, quod modo noviter edificatur, cui vocabulum eſt Nave, cum omni ſua pertinencia, cellam etiam, que dicitur Aſcirca (16) cum ſuis pertinentiis, & caſale, quod dicitur Anniverii, cum cella* Sancti Georgii, *& medietatem caſalis, quod dicitur Caſamarus* (17), *& me-*

(11) *De Penna*, *Caſtaniola*, *Ciminuli*, *& Turderolo* vide ſup. Cap. XV. not. (9), (10), (13), & (28).

(12) *Caſale de Quinto* extra portam Flaminiam V. ab Urbe lapide, nunc *Torre di Quinto*, ubi latifundium rubl. 84. Gentis Burgheſiae. Nominis autem originem nonnulli deducunt a Quintio Cincinnato Urbis Dictatore, qui illuc una cum conjuge Racilia ſeceſſerat, otio & quiete fruiturus; de quo Livius Decadis primae lib. III. Vide Eſchinardum in Deſcriptione Agri Romani cap. I. pag. 197. edit. Romae 1750.

(13) *Caſale de Centum Cellis*, de quo ſupra Cap. XV. not. (31).

(14) *Caſale de Marano*, forſan ubi nunc *la Maranella* extra portam Capenam; & fundus eſt rubl. 53. pertinens ad Monachos Olivetanos Urbis Vid. Tab. Topograph. Agri Romani a Cingolano editam, & illuſtratam ab Eſchinardo Soc. Jeſu.

(15) *S. Mariae de Veproſa*, nunc *Bonriposo*, uti diximus Capite XI. pag. 198. & Cap. XV. not. (22) pag. 231. & 238.

(16) *Aſcirca*, forte *Aſtura*, ut ſup. Cap. XV. pag. 233. not. (27).

(17) *Caſamarus* in agro Verulano, ita nuncupatus a Cajo Mario Arpinate Rom. Conſule, qui ibi domum in deliciis habuit, ut tradit Clavellus lib. I. de Veteri Arpino. At A. D. 1036. coenobium a Verulanis ibi conditum eſt; quod Eugenio III. Pontifice Ciſtercienſe Inſtitutum arripuit

*& medietatem caſalis, quod dicitur Oliarium* (18), *& medietatem caſalis, cui nomen eſt Oppem, cum vineis, pratis, & arboribus, ſimulque cum omnibus ejus pertinentiis, ſicuti habetur in cartis ejuſdem Monaſterii. Inſuper & omnia, que pertinere videntur jam dicto Monaſterio in territorio Oſtienſi, Portuenſi, eccleſiam ſcilicet* Sancti Nicolay *cum terris, vineis, & criptis, & caſale de Tercio, & prata Papi. Concedimus etiam, & confirmamus ſepe dicto Monaſterio cuncta, que foris portam Beati Petri habere videtur. Item caſale Sancti Victerini* (19) *in integrum, & medietatem de burgo Sancti Laurentii, medietatem caſalis, quod dicitur Quartadecimo, & medietatem caſtri, quod dicitur Caſorti, & in Mauroro* (20) *cellam* Sancti Stephani *cum*

*ulano in integrum, ſeu caſale, quod dicitur Romano* (21),

*cum ſua pertinencia, & medietatem caſalis, quod dicitur Ircona, & tertiam partem caſalis, quod dicitur Anticiano. Item confirmamus & corroboramus jam dicto Monaſterio omnes res mobiles vel immobiles quaſcunque aliquo modo pervenerint Petro Veſterario* (22), *ſeu Stefano fratri ejus, hoc eſt, cortem, que dicitur Petrozano, & caſtellum, quod dicitur Sorbo* (23), *& Acirano, & Capraritam* (24) *cum molendinis ſuis, una & cum omni-*

puit, ſeu Regulam S. Bernardi Abbatis, quam etiamnum accurate obſervant quotquot ibi Monaſticam plane vitam agunt Religioſiſſimi Viri, quibus Abbas praeeſt Illmus Praeſul D.Placidus Pezzancheri Placentinus, Epiſcopus Tiburtinus, vir pietate doctrina, morumque ſuavitate ſpectatiſſimus, quem obſequii & amicitiae cauſſa nomino. Monaſterii de Caſaemario Hiſtoriam edidit Rondininus Romae A. D. 1707.

(18) *Oliarium*, de quo ſup. Cap. XVII. pag. 257. not. (38).

(19) *Caſale S. Victorini* in agro Tiburtino prope rudera villae Hadriani Imp. nunc ſpectat ad Excell. Dominos de Barberinis. Vide Topographiam diocceſis, & agri Tiburtini trigonometrice delineatam a noſtro P. Abbate D.Didaco de Revillas, & Romae editam A. D. MDCCXXXIX.

(20) *In Mauroro* vid. Cap. XV. p. 235. not. (34).

(21) *Caſale Romano*, nunc *Caſtel Romano* in diocceſi Hoſtienſi, quod pertinet ad Emum S. R. E. Cardinalem Julium Alberoni.

(22) *Veſterarius*, qui veſtium vel theſauri curam habebat. Hinc *Veſterarius Summi Pontificis &c. Veſterarius Ravennae &c. Caeſarius filius Pipini Veſterarii &c.* apud Carolum du-Freſne du-Cange in Gloſſario.

(23) *De caſtro Sorbi* vide, quae diximus Cap. XV. pag. 235. not. (35).

(24) *Capratita*, fortaſſe ubi nunc *Caprarola* Farneſiorum jam villa, quae

Digitized by Google

*omnibus, que jam dicto Petro Veſterario, & Stefano fratri ejus pertinere viſa ſunt ſive infra Urbem ſive extra Urbem, velut continetur in cartis prefati Monaſterii, nec non & omnia quecunque, que idem Monaſterium modo tenet, & que juſte & legaliter poteſt acquirere, cum caſtellis, ac cellis, terris, vineis, campis cultis vel incultis, paſcuis, ſilvis, aquis, molendinis, edificiis, ſeu cum omnibus rebus, que dici vel nominari poſſunt, ſibi pertinentibus in integrum, & per hanc noſtri Pragmatici paginam concedimus & confirmamus. Precipientes itaque jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, ſeu aliqua parva vel magna noſtri Regni perſona prenominatum Monaſterium Sancti BONIFATII atque ALEXII de omnibus prenominatis locis ſibi pertinentibus diſveſare, vel inquietare, ſeu per placitum fatigare audeat. Sed & hoc precipimus, ut nullus a ſepenominato Monaſterio quintum vel herbaticum, ſeu glandaticum (25), aliam aliquam dationem ad portam, ſed nec aliquam dationem de manibus ejuſdem Monaſterii, ſive de hominibus ejuſdem Monaſterii exigere preſumat; ſed ſit abſolutum tum idem Cenobium, quamque homines ipſius ab omni datione, ſicuti bo. me. Johannes Papa (26) illi conceſſit. Siquis vero hujus noſtre Auctoritatis violator extiterit, ſciat, ſe compoſiturum auri optimi libras ducentas, medietatem Camere noſtre, & medietatem pretaxato Monaſterio. Quod ut verius credatur, diligentiuſque obſervetur, hanc paginam noſtris manibus roborantes, ſigilli noſtri impreſſione inferius inſigniri precipimus.*

Abſit autem, ut ex hoc Ottonis Diplomate quicquid detractum putem de ſumma tunc Romanorum Pontificum in urbe Roma poteſtate, vel inde colligam ſuprèmum aliquod in eandem Imperatorum dominium, ut saepenumero contendit Doctiſ-



modo pertinet ad Carolum Borbonium, utriuſque Siciliae Regem, & Eliſabethae Farneſiae filium. Turrigius de Cryptis Vaticanis pag. 402. edit. *1639.* idem eſſe autumat *Caprarolam* ac *Capracorum*; ſed alii ſatius diſtinguunt. Vide notas ad Bullar. Vatican. tom. 1. pag. 33. edit. 1747.

(25) *Glandaticum*, vectigalis genus, quod pendebant, qui ſues immittebant in ſylvas, ut glande paſcerentur. Vid. Gloſſar. Caroli du-Freſne du-Cange verb. *glandaticum*.

(26) Joannes Papa hujus nominis XV. ut ego ſuſpicor, qui obierat menſe Majo A. D. *996*.

ſimus ceteroquin Muratorius (27). Nam, ut optime reſpondit Fontaninius (28), *tali Privilegj non introducevano ſoggezione verſo il concedente; perchè non erano altro, che aſſicuramenti per li beni particolari delle chieſe dalle altrui violenze nel paſſaggio degli eſerciti &c. Gl' Italiani anche non vaſſalli Imperiali, gli Abbati, le Abbadeſſe, e i Veſcovi per ſicurezza de' loro beni ſe li facevano fare dagli Imperadori, allorchè calavano armati in Italia, ſenza aver punto riguardo, che i medeſimi Diplomi foſſero poi concepiti con formole pregiudiziali o alla loro propria indipendenza, o all'altrui ſovranità; d'onde però a' giorni noſtri non può ritirarſi diritto alcuno, che levi il ſovrano dominio di chi ne è in poſſeſſo &c.* Hactenus Fontaninius. Sed cetera perſequamur.

## II.

### JOANNES *Eminentiſſimus Conſul & Dux* *, Demetrii filius, Sanctis BONIFACIO & ALEXIO offert ac dono dat inſulam ſub Aventino, una cum ſacra aede Servatoris noſtri Jeſu Chriſti.

A.D. 987. *IN nomine Domini Dei Salvatoris Jheshu Chriſti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Dni Johannis Summi Pontificis, & Uni-*

(27) Muratorius paſſim, & praeſertim *nella Piena Eſpoſizione dei Diritti Imperiali ed Eſtenſi ſopra Comacchio cap.* x.

(28) Fontaninius *Difeſa ſeconda del dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la città di Comacchio pag.* 25. *ediz. Rom.* 1711.

* De Conſulibus & Ducibus medii aevi fuſe agit Muratorius Antiq. Ital. tom. I. diſs. 5. & tom. 4. diſſert. 46. Vide quae ſuperius diximus Cap. V. pag. 40. Utrum autem ii Duces minores quampiam civitatem nomine Romanorum Pontificum regerent, an potius aliquod militare aut palatinum munus gererent ſub ipſis Pontificibus, aut membra forent Senatus Romani, nec ipſe Muratorius decernere voluit. Ad titulum Ducis conſueverunt adjungere titulum Conſulis. Sed neque unus erat Conſulum Ordo. Nam aliis, qui Majores Conſules appellabantur, ſupremum regimen politicum credebatur; minoribus vero Conſulibus committebatur cura judicandi lites civiles. Reſtituti in Urbe Conſulatus Majoris Epocham repetit Gravina ab A. D. 928. quo anno Albericus Hugonem vitricum ſuum Italiae Regem expulit, & Conſul creatus Romanae urbis Monarchiam ipſe tenuit. Ex Luitprando apud Baronium ad An. 933. Vid. Jo. Vinc. Gravin. lib. ms. *del Governo Civile di Roma* in bibl. Frangip.

*Univerſalis Quintidecimi Pape* (1), *in Sacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli ſecundo, Indictione quintadecima, menſis Aprilis die nona. Quoniam certum eſt, nos Johannes Eminentiſſimus* (2) *Conſulas & Dux, Demetrii quondam bone memorie filius, una .... & Theodora Nobile Femine, germane mee, in hoc earum conſen̄ Franco & Gregorius, Nobili Viri, & Viribus noſtris tota devotione ſuplicanda ........ Beatiſſimos Sanctos, qui Chriſti amore terrena deſpexerunt, & celeſtia regna cupientes, multa ſuſtinuerunt tormenta, quatenus pro illorum orati ....... de peccatis noſtris conſequi mereamur eterna; & ideo & ex noſtris facculatibus ibidem offerrimus, ut ſervitores, qui ibidem laudes red. .... corpora ſuſtentent, ut ipſos Sanctos apud Omnipotentem Deum de noſtris delictis interceſſores exiſtant; & ideo a preſenti die donamus, cedimus..... ſimulque offerrimus ex propria noſtra ſuſtantia, tam pro nobis, quam etiam & per remedium anime predicto noſtro genitore, Demetrius nomine, tibi, Beate BONIFATI Chriſti Martir, ſimulque & ALEXI Confexor Chriſti, ubi Sancte veſtre Corpora requieſcunt* (3), *in Monaſterio, quod ſitum eſt in Aventino, & per vos in veſtris ſervitoribus, Abbatibus, adque Monachis, in uſum & ſalarium ſemper exiſtant in perpetuum. Quia bonum nobis videtur eſſe negotium, qui de terrena emit celeſtia, & de rebus tranſitoriis premia mercatur eterna; proinde concedimus vobis inſula una in integrum, cum Eccleſia infra ſe ad honorem Salvatoris Domini noſtri Hieſu Chriſti, & cellas, vel omnia infra ſe habentes, ſicuti a fluminibus circumdata eſſe videtur,*

 *cum*

(1) Joannes XV. Leonis Presbii filius, Romanus Pontifex electus eſt menſe Decembris A. D. 985. obiit menſe Majo A. D. 996. Imp. Ottone III. Auguſto.

(2) *Eminentiſſimus*, quo titulo Romani olim Conſules, praeſertim X. ſaec. condecorabantur, ut diximus pag. 40. Eo Urbanus VIII. S. R. E. Cardinales ornatos voluit eſſe. Vide Ciaccon. in Urbano VIII. & Hieron. Platum, de Cardinalis Dignit. & Offic. cum notis Andreae Tria Archiep. edit. Romae 1746.

(3) Vel hinc diſcant intemperantiores Critici, quam conſtans jam ſaec. X. vigeret Traditio de Sacris Corporibus Beatorum BONIFACII & ALEXII noſtro in Templo quieſcentibus.

*cum piſcarie tres (4), que ſunt lecticarie in ipſis fluminibus poſite, una vero, que vocatur de Pecomaro, alia de Andreas Monachus dicitur, tertia de Merngnario vocatur, introitu namque & exitu ſuo, & licentiam habeas, veſtros piſcatores piſcare ubicumque voluerint, ſeu terram vacantem ad modiorum ſex ad vineam faciendum extra inſulam & juſta ſe, que eſt ex omni latere omnia de nos ſupraſcripti donatores, per hereditarie parentum noſtrorum ſicuti nobis obenit, & noſtris detinuit manibus, ita cum hanc ha die preſenti donationis cartulam vobis tradidimus, ut a preſenti die veſtris ſervitores habeant, teneant, poſſideant, ita ut nullus Abbas, neque Prepoſitus, aut Monachus a nullam qualibet perſona hominum alienare preſumat; nam qui talia preſumſerint facere, excepto caſu commutationis, maledictiones ab Omnipotenti Deo conſequantur, & cum diabolo in eterna dampnatione habeant portionem; inſuper hereditas ipſas in noſtra noſtriſque heredibus reddeant poteſtatem: pro quibus nunquam a nobis neque ab heredibus noſtris contra vobis vel veſtris ſervitores aliquam movere queſtionem aut calumpniam, ſet etiam ſtare nos una cum heredibus noſtris, & defendere promittimus vobis omni in tempore: in qua & jurati dicimus per Deum Omnipotentem, Sancteque Sedis Apoſtolice Dñi Johannis Pape, hec omnia, que preſens hujus donationis cartula ſeriem teſtus eloquitur, inviolabiliter conſervare adque adimplere promittimus. Nam, quod abſimus, & ſi contra hec, que ſuperius innotata ſunt, vel aſcripta leguntur, contra agere preſumpſerimus per quovis modum ingenii; tunc daturi nos promittimus una cum heredibus noſtris ad veſtros ſervitores auri ebritii (5) libras duo; & poſt ſolutam penam, hanc a die preſenti donationis cartulam in ſuam maneat firmitatem; quam ſcribendam rogavimus Benedictus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie (6) in menſe & Indictione quintadecima.*

*Johan-*

(4) *Eccleſia S. Salvatoris*, & *piſcariae tres*, quas deinceps poſt annos novem confirmavit & ratas habuit Otto III. App. num. I. pag. 374.

(5) *Auri ebritii*, ſcilicet *obryzi*, igne excocti & purgati. Sunt, qui hanc vocem ducunt ab *Ophir*, loco apud Indos, unde Salomoni, aliiſque Hebraeis Regibus aurum omnium optimum advehi ſolitum; atque ita, inquit S. P. Hieronymus, *dici potuit obryſſum, quaſi Ophiryzum*.

(6) Hic eſt ille Benedictus S. R. E. Scriniarius, qui poſtea rogatus ſcri-

Digitized by Google

† *Johannes in Dei nomine Conſulus & Dux in hanc cartulam manu propria ſubſcripſi.* † *Signum manus ſupraſcripta Boniza & Theodora, Nobila Femine, & germane ſorores, que hanc cartulam fieri rogaverunt, ut ſuperius legitur.* † *Franco* * *Nobili Viro in hanc cartulam conſenſi, & ſubſcripſi.* † *Gregorius in Dei nomine Conſul & Dux in hanc cartulam conſenſi, & ſupſcripſi.* † *Gregorius Seneſcalco teſtes ſubſcripſi.* † *Stefanus de Berardo* ** *teſtes ſubſcripſi.* † *Zacharias Nobili Viro teſtis ſupſcripſi.* † *Creſcentius da Sancto Adriano teſtis ſubſcripſi.* † *Stefanus Nobili Viro, de Numenculator filius, teſtis ſubſcripſi.*

*Ego Benedictus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie ſupraſcriptor hujus cartula, poſt teſtium ſubſcriptiones & traditionem factam, complevi & abſolvi.*

## III.

BENEDICTUS *Domini gratia Inclitus Comes*, & STEPHANIA Senatrix, illius uxor, Leoni Alexiano Abbati tantum agri donant prope Aſturam, quantum tria bovum juga arare poſſint.

IN nomine Domini noſtri Salvatoris Jheſu Chriſti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Dñi Johannis Summi Pontificis, & Univerſalis Quintidecimi Pape, in Sacratiſſima Sede Beati Petri Apo- A.D. 987.

pſit & ſubſcripſit Diploma Silveſtri Papae II. Vid. ſup. pag. 35. & 42. Scriniarii in Eccleſia Romana duodecim erant, qui ſcrinia publica ſcripturarum curabant, epiſtolas a Cancellario & Protoſcriniario dictatas ſcribebant, Inſtrumenta, donationes, & reliqua hujuſmodi conficiebant; quorum primus, ſeu qui aliis praeerat, *Primiſcrinius* dicebatur. Vid. Gloſſar. Caroli du-Cange V. Scriniarii.

* *Franco*. Nobilem jam in Urbe fuiſſe Franconum Familiam ſatis conſtat cum ex dictis pag. 135. de Francone Maringo Alexiano Monacho, tum ex ſchiſmate Franconis Ferutii filii, qui ſemel ac iterum Romanam Sedem invaſit ſub nomine Bonifacii VII. Ex Baronio ad An. 974. Vid. infra App. num. V. not. **

** *De Berardo*. Illuſtris olim fuit Rom. Familia de Berardis, ex qua originem duxerunt magni Marſorum Comites, de quibus vide Leonem Hoſtien. in Chron. Caſſinenſi, Theodor. Amidenum de Rom. Fam. §. xxxv. in ms. cod. Caſanattenſi n. 283. Pet. Anton. Corſignani in Regia Marſicana lib. 2. cap. 1. Marſorum autem Dioeceſim trigonometrice delineavit noſter P. Abbas D. Didacus de Revillas, & Romae edidit A.D. 1735.

Digitized by Google

*Apoſtoli ſecundo, Indictione prima, menſis Octubris die* XXIII. *Quoniam certum eſt, nos Benedictus, Domini gratia Inclitus Comes, ſeu Stefania, Illuſtriſſima Femina, Comitiſſa, Senatris, jugalibus, a preſenti damus, cedimus, tradimus, & irrevocabiliter largimus, ſimulque concedimus ex propria noſtra ſuſtantia, noſtraque ſponteque voluntatis, a vobis Domno Leo* (7) *Religioſus Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATI Martiris & ALEXII Confexoris, quod ſitum eſt in Aventino, dilecto & amabili ſpirituali patri noſtro, pro Omnipotentis Dei amore, & anime noſtre redemptione, noſtrorumque veniam delictorum, ut ante coſpectum Domini, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, pro veſtris ſacris orationibus inculpabilis fieri mereamur. Primum concedimus vobis, ut in eodem Venerabili Monaſterio perpetualiter ſit detinendum, ideſt terris ſementariciis quantum ad boves paria tres ſufficere poteſt pro ſingulo anno in loco, qui dicitur Aſtura* (8), *cum parietinis ſuis, in qua olim fuit Eccleſia Sancte Marie* (9) *ſeu Salvatoris, cultis vel incultis, & inter affines ab uno latere mare ſive pinetum, & ab alio latere via publica ſecus fluvium de inſula ſupraſcripti Monaſteri veſtri, a tertio latere*
*per cartule precepti ſicuti nobis evenit, & ad noſtris detinemus manibus, ita cum hunc a die preſenti donationis cartulam vobis contradidimus. Predicta namque terra ſementaricia, quantum ad boum paria tres ſufficere potuerit, juſta portum Aſture, cum parietinis ſuis, cultis vel incultis, & cum omnibus ad eas pertinentibus, a die preſenti pro remedio anime noſtre habeas, teneas, poſſideas; quia bonum nobis videtur eſſe negotium, qui de terrena emit celeſtia, & de rebus tranſitoriis premia mercatur eterna. Et non ſit vobis licitum ſive tuos ſucceſſores alienandi, vel relinquendi a nullam qualibet perſona hominum, niſi ſemper in eodem Monaſterio permanead in perpetuam; & nunquam a nos neque ab heredibus noſtris aliquam movere queſtionem aut calumpniam, ſet & ſtare nos una cum heredibus noſtris, & defendere pro-*

(7) Qui hic commemoratur Leo Religioſus Abbas, ille eſt, de quo diximus ſup. Cap. IX. §. III. pag. 91.

(8) Vid. ſup. pag. 92. & Cap. XV. pag. 233. not. (27).

(9) *Eccleſia S. Mariae*, quae & *Oratorium Sanctae Dei Genitricis* vocabatur. Vide ſup. pag. 170. & 238. not. (42).

*promittimus vobis veſtriſque ſucceſſoribus omni in tempore: in qua & jurati dicimus per Deum Omnipotentem, ſanctaque Sedis Apoſtolice Dñi Johannis Pape, hec omnia, que preſentis hujus donationis cartula ſeriem teſtus eloquitur, inviolabiliter conſervare adque adimplere promittimus. Nam, quod abſimus, & ſi contra hec, que ſuperius notata ſunt, vel aſcripta leguntur, contra agere preſumpſerimus pro quovis modi ingenium; tunc daturi nos promittimus, una cum heredibus noſtris, vobis veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium, pene nomine, auri ebritie libre due; & poſt ſolutam penam, hanc donationis cartulam in ſuam maneat firmitatem; quam ſcribendam rogavimus Benedictus Scriniarius Sancte Romane Ecclesie, in menſe & Indictione ſupraſcripta prima. ✠ Benedictus Comes hanc cartulam, a me factum in Leonem Abbatem ejuſque ſucceſſores in predicto Monaſterio, in perpetuum ſupſcripſi, & intraſcribere rogavi. ✠ Signum manus ſupraſcripta Stephania Iluſtriſſima Femina, que hanc cartulam fieri rogavi, ut ſuperius legitur. ✠ Johannes Conſul & Dux. ✠ Creſcentius Conſul & Dux. ✠ Leo Sancti Stati. ✠ Creſcentius Probe. ✠ Gopizus de Azo de Nova Coſto. ✠ Johannes de Arsbipresbiter. ✠ Johannes Nobili Viro, filio de Petrocio.*

*Ego Benedictus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie, poſt teſtium ſubſcriptiones & traditionem factam, complevi & abſolvi.*

## IV.

LEO *Illuſtris*, filius Joannis de Primicerio, ſex praedia vendit fundi, qui dicitur *Aprunianus*, in agro Albano; in cujus deinceps poſſeſſionem Alexiani Monachi venerunt.

*. . . . . . . . . . . . propitio Pontificatus . . . ohannisumi Ponti . . . .* A.D.
*in Sa . . . tiſſ . . . S . . . ati Petri Apoſtoli terti . . .* (10) *. . . . prima,* 988.
*menſe . . . . . Quoniam certum eſt, me Leo Illuſtris, filio quondam Jo-*

(10) Supplendum *tertio*, *Indictione prima*; ideoque annus tertius Pontificatus Joannis Papae XV. erit A.D. 988. cui congruit Indictio I.

Digitized by Google

*Johannis, qui vocatur de Primicerius* (11), *ba . . d . . . . ſi, atque tre-*

(11) *Primicerius*, primus cujuſque ordinis. Hinc D. Auguſtinus ſer. 21. de Tempore, Sanctum Stephanum vocat Primicerium Martyrum. Primicerius Aulae, Primicerius Fabricae, Primicerius Claſſis, Primicerius Auguſtalium, Primicerius Judicum, Primicerius Palatii paſſim leguntur. Videſis Gloſſar. Caroli du-Freſne du-Cange V. Primicerius.

Item Primicerius Dignitas Eccleſiaſtica. Nam apud eundem Ducangium occurrunt Primicerius Eccleſiae Neapolitanae, Primicerius Eccleſiae Tullenſis; & Primicerius Sedis Apoſtolicae legitur in Epiſt. 7. Joannis P. VIII. ex iis, quas Sirmondus edidit. Sed illud hic adnotandum eſt, quod neque Ducangius animadvertit, Primicerios Apoſtolicae Sedis olim uxorem duxiſſe, & filios procreaſſe; cujuſmodi fuit hic Leo noſter, filius quondam *Joannis de Primicerio*. Et quidem in Excerptis Archivi Sublacenſis apud Murator. Antiq. medii aevi tom. v. diſs. 68. pag. 769. legitur: *Tempore Joannis X. Papae, menſe Auguſto, Indict. XII. die XX. Sergius Deo amabilis Primicerius Sanctae Sedis Apoſtolicae, & Agatha Nobiliſſima Femina, jugales &c.* Hinc Clariſs. Vir Dominicus Georgius in notis ad Baron. ad An. 924. de hoc eodem Sergio inquit: *Sergius Primicerius, & Agatha Nobiliſſima, ejus uxor, donant & offerunt Floro Presbytero Religioſo, ejuſque ſucceſſoribus in Mon. S. Viti &c.* Itidem in biblioth. Vaticanae cod. ms. 7059. legitur, quod *Joannes Primicerius S. Apoſtolicae Sedis, conſentiente Setta Nobiliſſima Femina conjuge ſua*, portionem aquimoli & terrae in fiumine Tyberis obtulit Monaſterio Farfenſi Anno Pont. Benedicti P. VIII. I. Ind. XI. die 20. Aprilis, nempe A. D. 1012.

Atque etiam Secundicerii uxorem ducebant. Nam *Palumbus Venerab. Abbas Monaſterii S. Chriſti Martyris Eraſmi, ſiti in civitate Romana juxta S. Stephanum, qui ponitur in monte Caelio, Transſamundo Secundicerio Sanctae Sedis Apoſtolicae, & Philippae Illuſtriſſimae Feminae, jugalibus, concedunt in emphyteuſim &c.* Ex Archivo Sublacenſi ad An. 822. apud Murator. ubi ſupra, pag. 771. Ipſe idem Palumbus locavit *Tranſamundo Secundicerio S. Sedis Apoſtolicae, ſeu Philippae Illmae Feminae, jugalibus perſonis, fundum, qui appellatur ad Septem Arbores, poſitum via Tiburtina milliario ab urbe Rom. plus minus V. &c.* Ita ex Regeſt. Sublacen. ex quo haec deprompſit Georgius praelaudatus in not. ad Baron. ad An. 817.

Officium Primicerii & Secundicerii ex Panvinio ita deſcribit Caeſar Raſponus lib. II. de Patriarchio Lateranenſi cap. VIII. „ Primicerius & Secundicerius incedebant cum Pontifice, dexterum ejuſdem & laevum latus tegentes; eumque ita ſemper comitabantur in publicis ſupplicationibus, celebritatibus, & conventibus; atque iidem, diebus ſolemnioribus, dum Matutinum recitaretur, octavam lectionem perlegebant; horum vero munus nunc obeunt duo primi Cardinales Diaconi, qui aſſiſtentes nominantur; habebanturque primi & praecipui, qui Rom. Pontifici erant a Conſiliis, immo etiam Sedis Apoſtolicae Conſiliarii appellabantur &c.

Digitized by Google

*tradidi, nec non & venundavi, nullo mihi cogentem, neque contradic . . . . . facientem, ſet propria & ſpontaneaque mea voluntate, vobis Domno Leo at . . . hannes, Illuſtriſſimi Viri, atque germ . . . . veſtriſque heredibus, vel . . . . l. . . d. . . ger . . . . . . placueritis, ideſt terra vacante ad vineam paſtinandum peti . . . . . ab . . . em pu. . . . . . u . . . . petia in omni lato hordines quadraginta, cum verſulariis ſuis, & terra ad calcatorio ponendum* (12) . . . *reſidendum, cum introito & exoito ſuo a bia publica, & cum omnibus a ſupraſcripta terra bacante ad vineam pas. . . . . . petia numero ſex generaliter & in integrum pertinentibus, poſita territorio Albanenſe infra meo . . . ale, quod vocatur* Aprunianum (13), *inter affines a primo latere vinea de Stephanus de Gregorius. . . . . & a ſecundo latere, vel a tertio latere terra de me ſupraſcriptus venditore, & a quarto latere vinea ſub laco . . . . exiſtens: quem predicta terra petia ſex in integrum cum verſulariis ſuis, & terra ad calcatorio ponendum . . . . s . . d . . dum, ubicumque vobis placuerit, tollere a predicto meo caſale, quod vocatur* Aprunianum, *ibidem paratus ſum vobis dare abſque omni moleſtia, ſicuti mihi evenit per hereditaria quondam . . . . torum meorum, ita vobis concedo . . . . rado, & venundo. Unde & chartula vetuſtas, quas exind . . . habeo apud me meos . . . deſ. . . . . . . ad conſervandum, & ſalvas faciendum, pro aliis im . . . . loc . . . quas in eas . . . . . . ſet, quandoque vobis veſtriſque heredibus neceſſe fuerint, ſemper eas hoſtendere & demonſtrare promitto gratis abſque pretium. Accepi ego ſupraſcriptus venditore a vobis ſupraſcriptis emptoris coram preſentiam ſubſcriptorum teſtium, videlicet in argento. . . . . as numero ſex bonos, opt . . . . que peſantes, mihique placabiles, in o . . em verum deciſionem; & ab hodierna die licentiam habeatis, poteſtatem, in ſupraſcripta terra ad vineam paſtinandum petia ſex in integrum, ut ſuperius legitur, de preſenti introeundi, utendi, fruendi, poſſidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere ſive peragere volueritis, in voſtram veſtriſque heredibus ſit poteſtatem; & numquam . . . . . neque ab heredibus meis, aut*

Ccc *a me*

(12) *Calcatorium*, torcular, quo vinum ex uvis exprimitur. Vid. *Du-Gange*.

(13) *Aprunianum*, de quo vide ſup. Cap. XI. p. 189. not. (1), atque infra App. num. VII. not. (31).

*a me ſummiſſa magna parvaque perſona contra vobis veſtriſque heredibus aliquam aliquando habebitis queſtionem aut calumnia; ſet in omni tempore hab omni homines, & in omni loco, ubi vobis veſtriſque heredibus neceſſe . . . erint, ſtare me una cum heredibus meis, & defendere promittimus vobis veſtriſque heredibus: in qua & juratus dico per Deum Omnipotentem, Sanctamque Sedem Apoſtolicam Donni Johanni Sanctiſſimi Quintidecimi Pape, hec omnia, que hujus ceſſionis venditionis chartula ſeriempe textus eloquitur, inviolabiliter conſervare atque adimplere promitto. Si enim, quod abſit, & quoquo tempore ego vel heredibus meis contra vobis veſtriſque heredibus, aut contra hanc ceſſionis venditionis chartulam, qua ſponte fieri rogavi, agere, aut cauſare, vel litigare preſumpſero per quovis modum ingenii; tunc non ſolum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturo me promitto una cum heredibus meis, vobis veſtriſque heredibus, ante omnem litis initium pe . . . m nomine, ſupraſcripto pretium in dupplo; & poſt ſoluta pena, hanc chartulam in ſua maneat firmitatem; quam ſcribendam rogavi Petrus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie in menſe & Indictione ſupraſcripta prima.*

✠ *Theo.*

✠ *Leo Illuſtris, filius quondam Johannis, qui dicitur de Primicerius.*

✠ *Stephanus Dei providentia Primicerius.*

✠ *Leo Domini gratia Nomenclator* (14) *Sancte Apoſtolice Sedis.*

✠ *Guido Domini nutu Datibus Judex* (15).

✠ *Benedictus Datibus Judex.*

✠ *Adrianus Datibus Judex.*

✠ *Ego*

(14) *Nomenclator*, cujus officium erat convivas ad convivia vocare. Caſaubon. ad Sueton. & Henric. Valeſ. ad lib. xiv. Ammiani. *Nomenclator* ſeu *Nomenculator* Romani Pontificis, cujus munus, qui ad menſam Pontificis invitandi erant, vocare. *Nomenclatorum* Eccleſiae Romanae meminit Anaſtaſius in S. Agathone, & in Conſtantino. Vix autem dubitari poteſt, quin Nomenclator idem omnino fuerit, qui Notarius, ut multis probat Ducangius *V. Nomenclator*.

(15) *Datibus*, ſive Dativus Judex idem, qui datus, delegatus, cui litis cognitio vel pronunciatio, vel etiam utrumque committebatur. Ducangius V. *Dativus Judex*.

Digitized by Google

✠ *Ego Petrus Scriniarius Sacroſancte Romane Eccleſie tranſcriptor hujus chartula, poſt teſtium ſubſcriptiones & traditiones facta, complevi & abſolvi* (16).

## V.

### Pacta conventa inter PETRUM SS. BONIFACII ET ALEXII, & Benedictum SS. Andreae & Gregorii ad Clivum Scauri Abbates de quibuſdam fundis, quos Alexiano Coenobio dono dederat Petrus Epiſcopus Sylvae Candidae.

*IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jheſu Chriſti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Dñi noſtri Benedicti Summi Pontificis, & Univerſalis Noni Pape* (17)*, in Sacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli XI. Indictione ſimiliter XI. menſe Auguſto die viſceſima ſecunda. Si inter homines id conſuetudinis obſervatur, ut in eum, quem quemlibet amat, donum perpetuum faciat; quanto magis & inter ſacras eccleſias convenit obſervari, ut amoris cauſa hec eccleſia in illam transferat, quod ipſa in eternum poſſidere debeat: quod etiam concordat legibus mundanis, que licenciam tribuunt eccleſiis, contractus perpetuitatem inter ſe facere, & eterna rerum enphiteugin ab invicem transferre, ſicut in centeſimo octogeſimo octava capitulo prime partis Novelle ita promulgatur: ut liceat eccleſiis & aliis venerabilibus locis perpetuo inter ſe contrac . . . . . enphiteuſios facere. Quapropter placuit Dño Benedicto* (18) *Venerabili Abbati Monaſterii Sanctorum Andree Apoſtoli & Gregorii Confeſſoris Chriſti, quod nuncupatur Clivus . . . . . i, per conſenſu omnium Monacorum ejuſdem Mona-* A.D. 1043.



(16) *Petrus Scriniarius*, qui etiam ſcripſit Placitum Romae habitum coram Silveſtro II. Pont. & Ottone III. Imp. de cella Minionis, quae Monaſterio Farfenſi adjudicata fuit. Vid. ſup. Cap. V. pag. 36. & 42. De Scriniariis autem vide ſupra not. (6) pagin. 380.

(17) Benedictus IX. Alberici Comitis Tuſculani filius, ordinatus ante diem 17. Novembris A.D. 1033. Sede pulſus circa initium A. D. 1044. Conrado II. & Henrico III. Augg. Vid. ſup. p. 176. not. (5).

(18) *Benedicto Abbati* S. Gregorii, de quo ſup. Cap. X. pag. 175.

*ſterii, concedere & confirmare Petro (19) Abbati Monaſterii Sanctorum BONIFACII ET ALEXII, quod ponitur in Apentino, in loco, qui appellatur Baalcernans (20), ejuſque Confratribus, & ſucceſſoribus ibidem degentibus in perpetuum, ideſt illum in integrum caſalem, qui vocatur Tercius (21), quem Petrus bone memorie .... Sancte Silve Candide Eccleſie in puericia ſua acquiſivit per cartulam tercii generis ab Abbate ſupraſcripti Monaſterii Clivuſcauri; & antequam ex hoc ſecu .... ſiret, optulit illum predicto Monaſterio Sancto BONIFACIO & ALEXIO: cujus caſalis enphiteuſis ipſa, que dicitur tercii generis, quam habuit idem Petrus Epiſcopus .... machinatione in manu Johannis anteceſſoris predicti Benedicti Abbatis Monaſterii Quibuſcauri devenit, & perforata eſt. Unde poſtea ortum eſt litidium inter u . . que Monaſterium; ſet ante preſenciam Dni Gregorii Conſulis (22), ſupraſcripti Dni Benedicti Pape, & Sanctiſſimi Bartholomei, nec non Dni Johannis Archicanoci Sancti Johannis intra portam Latinum, qui fideicommiſſarius predicti Petri Epiſcopi exſtitit, & Petri Diaconi & Cancellarii Sancti Apoſtolice Sedis, a .... tephani primi Scriniarii, & Stephani Dativi Judicis ita determinatum eſt, ut ex conveniencia Monaſterium Sancti BONIFACII daret Monaſterium Clivuſcauri undecim libras denariorum, & Monaſterium Clivuſcauri Monaſterio Sancti BONIFACII redderet ipſam perforatam, ſicut reddidit, & confirmaret ita ſtabilem, hac ſi integrum eſſet, ſicut & confirmavit. Inſuper perpetuum enphiteuſin faceret de eodem caſale, qui dicitur Tercius, ſicut & fecit, & ex eo titulo perpetuitatis cum finibus, terminis, limitibuſque ſuis, & cum omnibus ſibi pertinentibus, poſitum juſta alium caſalem Sancti BONIFACII, qui dicitur Chiminuli (23), quem eciam ipſe Petrus Epiſcopus eiſdem SS. BONIFACIO &*

(19) De *Petro Alexiano Abbate* vide ſupra Cap. X. §. V. pag. 173.

(20) *Baalcernans* ſeu *Blacherna* frequenter vocatur hic *Aventini* locus. Vide ſup. Cap. V. p. 37. & infra in App. num. VI. XV. XVII.

(21) *Tercius*, de quo vid. Cap. X. §. V. pag. 175.

(22) *Gregorius Conſul*, Benedicti IX. Pontificis germanus frater, de quo paſſim loquitur Leo Hoſtienſis in Chronico Caſſinenſi, & praeſertim lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 19. & 60.

(23) *Chiminuli*, de quo vide Cap. XV. pag. 228. not. (13).

Digitized by Google

*& ALEXIO conceſſit , inter affines a duobus lateribus eundem ipſum caſalem Chiminuli , a tertio latere caſalis heredum Johannis filii Rainerii de Fulgamino , & a quarto latere ſilice antiqua cum monumento , juris tamen predictus caſalis Tercius prelibati Monaſterii Clivuſcauri , ita ut ſuo ſtudio ſuoque labore prephatus Petrus Abbas Monaſterii S. BONIFACII , ejuſque ſucceſſores eundem ipſum caſalem Tercius nomine , cum omni ſua pertinencia in omnibus tenere & poſſidere debeant in perpetuum : pro quo ſupraſcripto caſali, qui vocatur Tercius, cum terris ſuis, campis, & paſcuis , dare .......... ferre debeant Abbas Monaſterii S. BONIFACII , ejuſque ſucceſſores rationibus Monaſterio Clivuſcauri , ſingulis quibuſque annis , ſine aliqua mora vel dilatione , penſionis nomine , denarios argenteos quinque in Feſtivitate Sancti Gregorii : de qua re & de quibus omnibus ſupraſcripti jurantes dicunt utraſque partes , per Deum Omnipotentem , Sanctamque Sedem Apoſtolicam Dñi Benedicti Noni Pape , hec omnia, que in uſus perpetualem enphiteuſin cartule textus eloquitur , inviolabiliter conſervare adque adimplere promittunt . Quod ſi quiſquam eorum contra uſus perpetualis placiti convencioniſque cartule , in toto parteve ejus quodlibet modo venire temptaverit ; tunc daturos ſe ſucceſſoreſque eorum promittunt , pars infidelis parti fidem ſervanti , ante omne litis inicium , pene nomine duas optimi auri libras ; & poſt ſolutam penum , maneat hec perpetualis cartula in ſua nichilhominus firmitate . Has autem duas uniformes , uno tenore conſcriptas cartulas , mihi Serghio Scriniario ſcribendas dictaverunt ; pariter eaſque propriis manibus roborantes , teſtibus a ſe rogatis ſubſcribendam , & ſibi invicem tradiderunt , ſub ſtipulatione & ſponſione ſollempni interpoſita .*

*Actum Rome die , Anno Pontificatus , menſe , Indictione ſupraſcripta undecima .*

✠ *Ego Benedictus Abbas huic pagini ſubſcripſi .*

✠ *Ego Jaulinus , Indignus Presbiter & Monachus , huic pagini ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes , Indignus Presbiter , huic pagini ſubſcripſi .*

✠ *Ego Gregorius Conſul , frater ſupradicti Dñi Pape , interfui .*

✠ *Ego*

✠ *Ego Vulgaminus* * *de Longarius teſtis.*

✠ *Rainerius frater ejus teſtis.*

✠ *Gregorius de Imperato* ** *teſtis.*

✠ *Ego Sergius Scriniarius Sancte Romane Eccleſie, ſcriptor hujus cartule, conplevi & abſolvi.*

## V I.

BERNO, filius Creſcii *de Joanne Maniano*, paſcua quaedam *de Nucio Maria* Alexiano Coenobio, ejuſdemque Abbati Gebizoni pie liberaliterque donat.

A.D. 1072. *IN nomine Domini. Anno XII. Pontificatus Dñi Alexandri II. Pape* (24), *Indictione undecima, menſis Octubris die x. Dum vita mortalis preſenti curſu labatur, & infirmius teneri putatur; preterea oportet unuſquiſque, dum viget, dum gloriatur ea preparare, quaſi reddit urum rationem illi, qui renes & corda ſcrutatur; quoniam dies tuus, ſicud ſur, ita in nocte veniet; ad-*

* *Vulgaminus* ſeu *Bulgaminus*, fortaſſe ex Urbis Senatoribus aut Conſiliariis. Nam Muratorius Ant. med. aevi tom. 3. diſs. 42. chartam affert conſcriptam *Anno* XLVII. *Senatus*, hoc eſt, A. D. 1191. *juſſu Senatorum Conſiliariorum Jordani BULGAMINI.. Petri Saraceni, Petri de Romano... Stephani Rainerii de Marana, Petri Jo. Frangipani.. & juſſu Senatorum Jacobi Odonis Franconis, Petri Milonis... Nicolai Jo. Saxonis.. Philippi Jo. Aſtaldi &c.*

** *Gregorius de Imperato.* Petrus *de Imperato* legitur in Placito Benedicti PP. VIII. de caſtro Buciniani in Chron. Farfen. apud Murat. Rer. Ital. Script. tom. 2. part. 2. pag. 520. *Rurſus Domnus Praeſul .. per ſupraſcriptum Oddonem Comitem, & Creſcentium ... & Franconem, qui vocatur de Britto... & Petrum de Imperato iterum atque iterum vocavit eumdem Creſcentium ad Placitum.* Forte Petrus Frajapane, qui *de Imperator* vocatur in Inſtr. S. Mariae Novae, in quo legitur: „ Nobiliſſimi Viri Leo, „ Bernardus, & Bona, filii quondam „ Petri Frajapane *de Imperator*, ſpon- „ te donaverunt D. Paulo Archipre- „ sbytero Venerabilis Eccleſiae S. Ma- „ riae Novae terram vacuam juxta ar- „ cum majorem Templi, quod Domus „ Nova appellatur. Ex cod. ms. Dominorum de Aſtallis tom. 13. n. 260.

(24) Alexander II. electus Rom. Pont. die prima Octobris A. D. 1061. obiit die 21. Aprilis A. D. 1073. Imp. Henrico IV. Aug.

Digitized by Google

*adque de ſuis tranſitoriis rebus decet omnem Chriſtianum amicos facere Sanctos, ut ante Deum eos habeant & inveniant adjutores. Quapropter ego Berno* (25), *filius Creſcii de Johanni Maniano, pro ſalute & redemptione anime mee & animabus omnium parentum meorum, a preſenti die, propria ſpontaneaque mea voluntate, concedo, trado, & dono vobis, Sanctorum Chriſti Martirum BONIFATII adque Confeſſoris ALEXII, veſtroque Monaſterio, qui ponitur in Aventino, in loco, qui vocatur Balcerna, in quo eſt Dompnus Gebizo* (26) *Religioſo Abbate, cuntiſque veſtris ſervitoribus in perpetuum, ideſt terram, in quo eſt paſtinus de Nucius Maria, cum omni utilitate & pertinentia ſua, poſitam territorio Ceſanenſi* (27) *caſtello, in rivo, qui dicitur Baſſi, inter affines a* I. *latere eſt terram veſtram, a* II. *eſt terram montañ. a* III. *eſt vinea Gregorii cum ſuis conſortibus, a* IIII. *latere eſt viam publicam, qualiter competit mihi per quencumque modum, ita vobis veſtriſque ſervitoribus concedo, trado, & dono, ut a die preſenti deveniat in ſupraſcripto Monaſterio ad lucrum veſtrum, & veſtris ſervitoribus; & nunquam a me, neque ab heredibus & ſucceſſoribus meis, neque ab aliqua perſona a me ſummiſſa, contra Monaſterio veſtro & ſervitoribus veſtris movebimus queſtionem vel litis calumpniam; ſet, ſi opus & neceſſe fuerit, promittimus eam vobis defendere omni in tempore, & in omni loco. Quod ſi ego, vel heredes & ſucceſſores meis hec omnia non obſervaverimus, & contra hanc cartulam venerimus, pro pena componamus vobis veſtriſque ſervitoribus boni auri tribus unciis; & ſoluta pena, lix & contrarietas ſi excitata fuerit, inanis omnino exiſtat & vacua, & cunta, que hec referre cartula, firma permaneant; quam ut ſcriberet, & eandem confirmandum, coram ſubſcriptis teſtibus rogavi Guinizonem Scriniarium Sancte Romane Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta undecima. Signum* ✠ *manus ſupraſcripti Bonizo filius Creſcii de Johannis Maniani, qui hanc donationis cartulam rogavit.*

*Fer-*

(25) *Berno*, ſeu *Bonizo filius Creſcii*, ut ex ejuſdem ſubſcriptione. Vide ſup. Cap.X. pag.179.& infra not.(30).

(26) De Gebizone Abbate ſatis egimus Cap.X. §.VI. pag. 178.

(27) *Ceſanenſe caſtrum*, de quo vid. ſup. Cap.XV. pag.236. not. (37).

*Ferrucius de Johannis de Creſcentio teſtis. Raymundus, qui dicitur Teſtaſeria. Nicculo de Johanni Comite teſtis. Yngizello & Petrucius fratri ſuo teſtis.*

*Ego Lucas Dei gratia Sacri Romani Imperii Judex & Scriniarius, ſicut inveni in Inſtrumento ſcripto per Guinizonem Scriniarium, nil addens, vel minuens, ſcripſi, & fideliter exemplatus ſum.*

## VII.

PLACIDUS Abbas Monaſterii S. ALEXII filio Leonis *de Bonizo*, aliiſque fundum *Apruniani* ea lege locat, ut praeter ſexdecim ſolidos denariorum, qui jam repraeſentati erant, annua penſio perſolvatur, & certus vini numerus.

A.D. 1116. *ANno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſextodecimo, Septimodecimo Anno Pontificatus Dompni Paſcalis Secundi Pape* (28), *Indictione nona, menſe Januario die VIIIX. Ego quidem Dompnus Placidus* (29) *Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, conſenſu & voluntate aliorum Fratrum, ibidem Deo ſervientibus, hac denique preſenti die concedimus, tradimus, atque locamus tibi Dompno Dompni Leonis de Bonizo* (30) *filius, & uno heredi tuo*

*, cui tu ad obitum tuum deſignaveris tantummodo, ſimiliter & Johanni cognato tuo, & uno heredi ejus, qualem ad obitum ſuum demonſtraverit, ideſt duo petii terre cum omni utilitate & pertinentia ſua, poſiti territorio Albani, in fundo, qui vocatur Apruniano* (31), *& inter affines a primo latere, & ſecundo, atque*

(28) Paſchalis II. Rom. Pont. ordinatus die 14. Auguſti A.D. 1099. obiit XII. Kal. Februarii A.D. 1118. Impp. Henrico IV. & Henrico V. Augg.

(29) De Placido Abbate Vid. Cap. XI. pag. 189.

(30) *Leonis de Bonizo*. Antiquiſſimam Familiam de Bonizo A.D. 1130. memoratam video in Litteris *dat. Romae XV. Kal. Junii* nomine S. P. Q. R. ita inſcriptis: *Domino Lothario Glorioſo & Triumphatori Romanorum Regi... Ugo Praefectus Urbis, & frater ejus Leo Frajapane, Stephanus de Bonizo &c.* Vid. Baron. An. Eccl. ad An. 1130. num. XXIV.

(31) *Apruniano*. Vide ſupra not. (13).

Digitized by Google

*que tertio tenet prediƈtum Monaſterium, a quarto Guido Judicis & Guido Pazzii; pro eo quod dediſti noſtro Monaſterio ſedecim ſolidos denariorum* (32); *& omni anno retdatis pro penſione duos denarios; & ſi vicini paſtinaverint, & vos paſtinetis, & detis inde unam ſcmam vini mundi de quinque cognia, & ducatis eam* ad Sanƈtam Eufimiam (33). *Si volueritis vendere veſtrum placitum, primum compellatis nos; ſi voluerimus emere, detis nobis conminus xxx. denar. per petiam; ſi noluerimus emere, detis nobis conminus, & vendatis tali homini, qui nobis placeat; & in nullo alio pio loco aliquo modo non alienetis. Poſt mortem vero perſonarum, revertat in Moñ. Et ab odierna die licentiam & poteſtatem vobis concedimus, ibidem intrare, tenere, poſſidere tempore nominatis perſonis. Et nos domini promittimus vobis defendere locationem iſtam, veſtriſque heredibus, quibus ad obitum veſtrum deſignaveritis, ab omni homine gratis. Si enim, quod abſit, & cunƈta non opſervaverimus, que ſuperius diƈta ſunt; tunc componat pars infidelis parti fidem ſervantis, ante omne litis initium, pro pena xx. ſolidos denariorum; & ſoluta pena, hec chartula ſimul cum appare ſuo uniforme, uno tenore conſcripte, tempore nominatis perſonis maneat firma; quam ſcribendam rogavimus Gregorium Scriniarium Sanƈte Romane Eccleſie, in menſe & Indiƈtione ſupraſcripta nona.*

✠ *Beno de Rigale teſtis.*

✠ ..... *dani teſtis.*

 ✠ .. *odo*

(32) *Sexdecim ſolidos denariorum*, ſcilicet ſolidos aureos aut argenteos, cujuſmodi antiquis iis temporibus in uſu erant. Solidus aureus pondo erat denariorum quatuor, & ſolidi ſeptuaginta duo libram auri conſtituebant, ut habetur ex Codice Juſtiniani lib. x. tit. lxx. leg. v. *Quotieſcumque certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri maſſa tranſmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta*; quam legem Gloſſa ibidem ſic clarius explicat: *recipitur libra pro LXXII. aureis, & e contra ſcilicet LXXII. ſolidi pro libra.*

Solidos autem argenteos in uſu jam fuiſſe saec. IX. colligitur ex Diplomate Lotharii apud Murator. Rer. Ital. tom. 2. par. 2. col. 398. ubi legitur: *ad annualiter perſolvendum argenti ſolidor. CC. ROMANISCOS denarios ſpendibiles*. Videſis Cl. Equitis Viƈtorii librum inſcriptum: *il Fiorino d'oro illuſtrato*, edit. Flor. 1738.

(33) *Ad Sanƈtam Eufimiam*. Vid. Cap. XV. pag. 230. not. (18), & infra Append. num. XV. XX. & LVIII.

✠ .. odo de Orabona teſtis.

✠ Johannes ...... teſtis.

*Ego Gregorius Scriniarius Sanĉte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## VIII.

PTOLEMAEUS de Tuſculano (cui RICCARDUS Abbas diem dixerat coram Innocentio II. Rom. Pont. de uſurpata inſula *Aſturae*), viſis Monaſterii Tabulis, pollicetur fore, ut ſibi de illa re bene cum praedicto Abbate conveniat.

A.D. 1141. *IN nomine Domini. Anno undecimo Pontificatus Dñi Innocentii Secundi Pape* (34), *Indictione quarta, menſis Martii die XIIII. Ego Nicolaus Sanĉte Romane Eccleſie Scriniarius, juſſu ſupradicti P....... udicis, & ſicut interfui, haudivi, & vidi, ita ſcripſi: qualiter Dñs Riccardus Abbas* (35) *Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII querelam Dño Pontifici fecit adverſus Dñ... holom. .... de Tuſculana* (36), *quod per vim & ſine ratione detineret inſulam de Aſturia* (37), *c..... ibidem, & piſcariis, & pertinentiis ſuis, & noſtro Monaſterio abſtulit. Hoc audito, Dñs Pap. .... miſit ad eum Deuteguardi Treuguarium, quatinus infra quindecim dies Curie ſe paratum reſpondere Abbati veniret. Termino veniente, Dñs Tholomeus Curie ſe repreſentavit cum Dño Leone Petri Leonis* * *ſocero ejus, & cum aliis ſuis fidelibus. Tunc Dñs Abbas cum ſuis fidelibus iterum Dno Pape proclamavit de predicta inſula; quo haudito, Dñs Tholomeus ita reſpondit:* ego

(34) Innocentius II. antea Gregorius *de Papareſchis* (quae Familia nunc appellatur de Matthaeis), electus R. P. I. Kal. Martii A. D. 1130. obiit VIII. Kal. Octobris A. D. 1143.

(35) De Riccardo Abbate vide ſupra Cap. XI. pag. 190.

(36) *De Tuſculana*, ſcilicet Ptolemaeus II. ex Comitibus Tuſculanis, qui uxorem duxerat Bertam filiam *Henrici IV. Imper.* ut ante diximus Cap. XI. pag. 191. not. (4).

(37) *De Aſturia* ſeu Aſtura, de qua hic in Append. num. III. pag. 382. & Cap. XV. pag. 233. not. (27).

* *Petri Leonis*, qui ſupremum diem obiit A. D. 1144. ut conjicit Baronius, & ſepultus fuit in atrio baſilicae S. Pauli, ad cujus limina dextrorſum adhuc jacet ſarcophagus ingens ex marmore, ſignis & imaginibus Muſarum, Apollinis, Marſiae &c. rudiori artificio exſculptus; in cujus fronte ſic legitur; ✠ IE

*ego volo habere ſuper hoc conſilium. Tunc Dñs Papa dedit ei terminum duorum dierum; quibus tranſactis, dixit Dño Pape: quia ego hoc jam alia vice haudivi, & nolo habere exinde nullum peccatum; ego vadam Dño Abbati & ſuo Monaſterio, & bene concordabo cum eo. Dñs Papa dixit ei & Abbati: mihi placet; quod ſi concordare non potueritis infra terminum trium menſium, poſtea veniatis in Curia, & per juſtitiam exinde concordabitis. Poſtea Dñs Tholomeus . . . it ad Sanctum ALEXIUM cum Dño Leone ſocero ſuo, & haudierunt, & viderunt Inſtrumenta Monaſterii, & promiſit bene concordare cum Dño Abbate, me Nicolao Notario preſente. Quando Dñs Papa hoc mihi precepit ſcribere, hii teſtes interfuerunt, Nicolaus Miciotta, Milo Cencii de Nicolao, Johannes de Margarita.....*



✠ TE PETRVS ET PAVLVS
SERVENT PETRE LEONIS.
DENT ANIMAM CELO QVOS
TAM DEVOTVS AMASTI.
ET QVIB' EST IDEM TVMV
LVS SIT GLORIA TECVM.

Sepulcro adjacet Inſcriptio poſteriorum temporum, quae Petrum Leonis A.D. 1128. obiiſſe, & montis Aventini Comitem fuiſſe declarat. Etſi autem huic opinioni minime aſſentiamur, Inſcriptionem tamen, a nemine, quem ſciamus, editam, hic aſſerimus.

SEPVLCRVM
PETRI LEONIS MONTIS AVENTINI COMITIS
EX ANICIA MOX PERLEONIA STIRPE
QVI GREGORII VI. P. M. PATRVI S. R. E. DEFENSORIS
VESTIGIA SECTANDO VRBANVM. II
AB INRELIGIOSA CIVIVM CONTVMACIA
DOMI SVÆ OSPITANTEM VIVVM MORTVVMQ. TVTAVIT
ET GELASIVM. II.
AB ARMATA CENCII FRANGEPANIS INSOLENTIA
SVI LICET CONSANGVINEI SVMMOPERE VENDICAVIT
ET PLVRIES VRBEM TALI PIETATE REXIT
VT PATRIA MORTVO VTI PATRI PARENTAVIT A. MCXXVIII.
TVMVLVM HVNC VETVSTATE CORROSVM
LVCRETIA PERLEONIA NE SVI PROGENITORIS
MEMORIA PRETERIRET
OCTAVIO PERLONIO NEPOTI AC EREDI REPARARI MANDAVIT
PETRVS PERLEONIVS OCTAVII F. ABSOLVIT A. MDCLXXIV

Alia Perleonum Epitaphia, quae in Aventino inventa dicuntur, Paulo III. Pontifice, leguntur apud Benedictum Puccium in Genealogia Familiae Frangipanae pag. 15. & 27. Vide infra num. XXIII. not. (6).

## IX.

### PTOLEMAEUS alter Prior Scholae Militum, aſſentientibus Tedelgario & Aminadab, fundum tradit Alexianis utendum ac poſſidendum in perpetuum extra portam Hoſtienſem.

A.D. 1145. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimoquinto, Anno vero primo Pontificatus Dñi Eugenii Tertii Pape* (38), *Indictione nona, menſis Decembris die XII. Ego quidem Tholomeus quondam filius Pauli Johannis de Guiniczo, Prior Scole Militum* (39), *inſimul cum Tedelgario filio Girardi Johannis de Silveſtro, ejuſdem Scole Secundo, & Aminadab Tertio ejuſdem Scole, hac die, propria ſpontaneaque noſtra voluntate, locamus & concedimus tibi Dompno Riccardo Dei gratia Religioſo Abbati Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, quod ponitur in Abentino, in loco, qui dicitur Balcerna, & per te predicto Monaſterio & tuis ſucceſſoribus imperpetuum, ideſt, totam illam terram, in qua olim fuit cannetum, de qua uſque nunc penſionem noſtre Scole reddidiſtis, ſicu-*

(38) Eugenius III. Piſanus, antea Petrus Bernardus Abbas Monaſterii SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias Rom. Pont. electus III. Kal. Martii A.D. 1145. obiit Tybure VIII. Idus Julii A. D. 1135.

(39) De quanam Schola Militum hic ſermo ſit, ingenue fateor, me prorſus ignorare. Scholae olim dicebantur quodcunque collegium, ſeu coetus hominum unius Inſtituti, quibus erat ſuum caput & dux. Nunc quoque Mediolani ſic vocantur Sodalitia Laicorum, quae ſunt veluti ſcholae pietatis. Apud Romanos autem Scholae Militum erant ordo, turma, ſeu corpus quodvis militare; neque aliud fuerunt Palatinae Scholae, niſi milites ad Palatii cuſtodiam deputati. Subſequutis etiam temporibus idem nomen retentum eſt. Nam in Vita Hadriani I. Papae apud Anaſtaſium legitur, quod Carolo Magno Francorum Regi ad Urbem accedenti A. D. 774. Pontifex obviam miſit *univerſas Scholas Militiae una cum Patronis*. In Vita Sergii II. quum Ludovicus II. Rex, Lotharii Auguſti filius, Romam contenderet, *univerſas Militiae Scholas una cum Patronis in occurſum ejus Papa direxit*. V. Mur. Ant. med. aevi to. 6. diſs. 75. pag. 454. & Cl. Petrum Moret. in Lucubrat. de Presbyter. par. 1. ſect. VI. in notis.

Digitized by Google

*ſicuti Calo & Carincius olim a noſtra Scola Militum acquiſierunt, cum introitu & exitu ſuo, cum omni ſuo uſu & utilitate, & cum omnibus ſuis pertinentiis, poſitam foris portam Beati Pauli manu dextera, inter hos affines, a primo latere eſt murus civitatis & meta *, a ſecundo latere eſt via publica & Eccleſia Sancti Eupli**, a tertio & a quarto latere eſt terra veſtri Monaſterii, ſicuti noſtre Scole pertinet qualicumque modo, ſic eam tibi, & per te predicto Monaſterio locamus & concedimus in perpetuum. Pro qua denique locatione dediſti nobis pro predicta noſtra Scola viginti ſollos denariorum Papienſium* (40); *& dehinc in antea omni anno, in Feſtivitate Sancti BONIFATII, detis noſtre Scole, & nobis, noſtriſque ſucceſſoribus octo Papienſes denarios nomine penſionis. Et ab hac hora licentiam & poteſtatem habeatis eam tenendi, fruendi, poſſidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde ad utilitatem predicti Monaſterii facere volueritis, in tuam tuiſque ſucceſſoribus ſit poteſtatem imperpetuum, ſalva predicta penſione. Et promictimus nos, una cum noſtris heredibus ac ſucceſſoribus, defendere eam predicto Monaſterio, & tibi, & tuis ſucceſſoribus ab omni homine, ſi opus & neceſſe fuerit. Quod ſi non fecerimus, vel noluerimus, aut non potuerimus, & cuncta, que dicta ſunt, non obſervaverimus, componemus vobis pro pena unam bonam auri libram; & hac ſoluta pena, cartula hec permaneat firma; quam ſcribere rogavimus Nicolaum Scrinearium S. Romane Ec-*

* *Murus civitatis & meta*, hoc eſt ſepulcrum adhuc exſtans Caji Ceſtii Septemviri Epulonum, quod ſequiori aevo appellabatur *Meta Romuli*, non ſecus ac ahenea ſtatua equeſtris M. Aurelii Imperatoris, quae nunc eſt in area Capitolii, vocabatur *caballus Conſtantini*.

** *Eccleſia S. Eupli*, quam S. Hadrianus Pontifex inſtauravit, ut legitur apud Anaſtaſium. *Porticum vero, quae ducit ad Beatum Paulum Apoſtolum, a porta una cum Eccleſia Sancti Eupli uſque ad praedictam Baſilicam Sancti Pauli a novo reſtauravit*. Vide Anaſt. Bibl. tom. 1. pag. 264. num. 342. edit. Romae 1718. Haec Sacra Aedes proxima erat ſepulcro Caji Geſtii a Theodoro Papa extructa; & Floravantes Martinelli ſuſpicatur, eo loci exaedificatam fuiſſe, quo Plautilla obviam ivit S. Paulo Apoſtolo, quum ad Martyrium duceretur, ut teſtantur Acta Paſſionis S. Pauli. Vid. Floravant. Martinell. Roma ex Ethnica Sacra pag. 101. & 301. edit. Romae 1653.

(40) De denariis Papienſibus vide, quae diximus Cap. XI. pag. 193. not. (12).

Digitized by Google

*Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta IX. Signum ✠ manu dicti Tholomei & ſuorum Scolenſium* (41), *rogatorum cartule hujus. Hoc factum eſt ante preſentiam Dñi Philippi Cauſidici. Oddo Scrincarius, filius Falconis Scrinearii, teſtis. Petrus de Demetrio teſtis. Florius Johannis Sarraceni teſtis. Boamundus teſtis. Et ego Nicolaus Scrinearius Sancte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## X.

### Carta locationis cujuſdam fundi in agro Tuſculano prope Cryptam Ferratam, annuente RICCARDO Alexiano Abbate.

A.D. 1148. I......*ce Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo, quarto anno Pontificatus .... Eugenii Tertii Pape, Indictione XI. menſis Maji die ſeptim .. decima .... Petri de .... per preceptum Dñi Riccardi Abbatis Venerabilis Monaſterii .... procurator, hac die concedo, trado, & loco .... Litulpho, veſtriſque .... bus .... perpetuum .... terra .... bes paſtinare* (42), *& allevare viginti ordines de quadraginta, & .... de quadraginta, cum introitu & exitu ſuo, & locum ad calcatorium faciendum, & .... poſ. territorio Albanenſi, non longe a puteo de Novuli, & inter hos fines, a primo latere ... a ſecundo foſſatus, unde currit plenaria, & a tertio latere Cripta Ferrata* (43); *pro ... ann ... per tempora ſua laboretis, & vindemietis, & arbores paſtinetis .... partem de toto vino mundo & aquato, & de arboribus & fructu earum ſolvatis, & unum denarium .... petiam, quando vindemiatis, miniſteriali pro manducare tribuatis; & in alio pio loco nullo .... eam alienetis. Si volueritis vendere veſtram locationem, nobis comminus decem denar. per petiam vendatis. Si emere noluerimus, tali perſone vendatis, que nobis pla-*

(41) *Scholenſium* ſeu Scholarium, qui ad eandem Scholam confluebant; hinc Scholaris Militia in Codice Theodoſiano. Vid. Murat. ubi ſupra & *Du-Cange* V. Scholenſes.

(42) *Paſtinare*, agrum fodere, plantare, conſerere. *Du-Cange*.

(43) *Crypta Ferrata* in agro Tuſculano. Vid. ſup. Cap. XV. pag. 234. not. (29).

Digitized by Google

*placeat ſine malitia, & decem denarios pro conſenſu nobis date. Si hec omnia non obſervaveritis, amittatis locutionem. Si vero per guerram aut celi plagam in deſertum ierit, in capite trium annorum cum ſupraſcripto pacto allevata fiat ..... olueritis, refutate eam Monaſterio. Et ego promitto vobis hanc chartulam facere confirmare a Dño Abbate, qui locationem cum ſuis ſucceſſoribus defendat, & faciat vobis adjutorium in prima fraſcatione & palatione, & ad vaſcam faciendam quartam partem, & det primam vindemiam pro adjutorio; deinde vero omne aliud expendium ſemper faciatis, ſicuti alii faciunt. Quecumque vero pars contra hanc locationem fecerit, componat alteri parti, pene nomine, decem ſolidos denariorum* (44); *& ſoluta pena, hec chartula cum appare ſuo* (45) *maneat firma; quam ſcribendam rogavi Johannem Scriniarium Sancte Romane Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta XI. Signum ✠ manus ſupraſcriptorum Johannis & Cencii ✠ conductorum, qui hunc apparem rogaverunt.*

*Benedictus Pazus teſtis.*
*Petrus Maſſa teſtis.*
*Berardus de Romano teſtis.*
*Gilio Guidonis Malaſera teſtis.*
*Carſinius de Georgio Zalla teſtis.*
*Ego Johannes Scriniarius Sancte ...... complevi & abſolvi.*

## X I.

Carta locationis alterius fundi in agro Albano, ab eodem RICCARDO Abbate factae ea lege, ut conductores Monaſterio quotannis perſolvant decem libras denariorum Lucenſium &c.

*IN nomine Domini. Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo VI. anno primo Dñi Anaſtaſii Quarti* (46), *Indictione II. men-* A.D. 1153.

(44) *Decem ſolidos denariorum*, de quibus vid. ſup. Appeud. num. VII. pag. 393. not. (32).

(45) *Cum appare ſuo*, ideſt cum exemplo ſuo. Appar enim & apparum vocabatur exemplum, quod nunc dicimus *copia*. Vid. Ducangium in Gloſſar. V. appar.

(46) Anaſtaſius IV. Romanus electus R. P. die nona Julii 1153. obiit A. D.

Digitized by Google

*menſis Septembris die V. Ego Dñus Riccardus Abbas Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, quod ſitum eſt in Aventino, in loco, qui vocatur Balcerna, conſenſu Monachorum predicti Monaſterii, ſcilicet A. . . . . . Monachi, Gualterii Presbiteri, Gentilis Presbiteri, Blaſii Monachi, Berarducii Monachi, Petri Presbiteri, & . . . . loco tibi Johanni de . . . . . pro filiis legitimis tuis maſculis, quos nunc habes . . . . . habebis . . . rum . . . . maſculorum tantum; & ſi ad mortem tuam filios legitimos maſculos minime habueris . . . . rum tuarum feminarum tantum una teneat; & ſi neque filii maſculi neque femine . . . . in una perſona ſine malitia vita ſua tantum relinquas, & uni de filiis ejus . . . . . ideſt duas pedicas terre ſementaricie cum pertinentia ſua, poſitas territorio Albanenſi in Verrano* (47) *. . . . Silveſter & Nicolaus filii Bobonis de Muz . . o, a ſecundo rivus, a tertio Silveſter & Nicolaus, juris Sancte Marie in Campitolio* (48)*, a quarto ſilex, & Johannes Judex, & Petrus Ferrucii, & Petrus Judice, & Nicolaus Johannis. Pro locatione X. libras denariorum Luccenſium* (49) *vetuli, & penſione in Aſſumptione Sancte Marie, duos ruglos*

A. D. 1154. die 3. menſe Decembris; ideoque legendum quinquageſimo III. non *quinquageſimo VI.* ut perperam expreſſit Philippus iſte Scriniarius, qui numerum ita notatum uj. in Oddonis Autographis, exſcripſit pro num. VI.

(47) *In territorio Albanenſi*. Honorius Pontifex in Diplomate, quod legitur Cap. XV. pag. 231. deſcribit *vineales in Albano & in Aricia* ad Alexianum Coenobiumpertinentes; ſed & in altero Diplomate Dat. Laterani V. Kalendas Martii, Indictione V. Incarn. Dominicae An. 1216. commemorat *in Aricia domum communem cum Eccleſia S. Thomae, & cum Monaſterio SANCTI BONIFATII, quod nunc dicitur Eccleſia S. ALEXII.* Vide Bull. Vatican. tom. 1. pag. 102.

*In Verrano* prope Luzanum, utrumque in agro Albano; ſed ubi nam fuerit, haud ſcio. Vide infra App. num. XXIX.

(48) *S. Mariae in Campitolio* coenobium tunc poſſidebant Monachi Benedictini; atque inter XX. celebres Urbis Abbatias decimum locum obtinebat, ut vidimus Cap. VIII. pag. 75. Et quidem Concilio Romano habito A. D. 1015. Benedicto VIII. Pont. ſubſcriptum legitur: *Ego Dominicus Abbas Capitolii.* Vid. *Caſimir. Memorie d'Araceli* cap. II. pag. 7.

(49) *Decem libras denariorum Lucenſium*, quorum valorem affert Hieronymus Rubeus in Hiſt. Ravennat. ſcilicet: *Viginti ſolidi Lucenſium valent unum florenum . . . . . . . Libra auri valet LXXXXVI. florenos auri*. Vid. ibidem pag. 828. editionis ſecundae.

Digitized by Google

*glos grani in Roma ad illum Senatus, poena duplum. Poſt hobitum de prediċtis perſonis, hec locatio vacua ſit, & ad noſtrum revertatur Monaſterium.*

*Johannes Saſſonis de Paulo teſtis. Gregorius de Jaquinto teſtis. Nicolaus de Bonoſeniore teſtis. Jaquintus Benediċti Traſtiberini teſtis. Johannes .... pellus teſtis.*

*Ego Filippus Scriniarius Sanċte Romane Eccleſie, ſicut inveni in ..... Oddonis quondam Scriniarii, in hac cartula exemplavi.*

## XII.

Idem RICCARDUS Abbas filiis e Joanne Judice, poſteriſque eorum vallem locat ex integro, quae vocabatur *Cupula in hortis Praefeċtis ad Formellum.*

*........ XXVIII. Ego quidem Dñs Riccardus Dei gratia Humilis Abbas .... SS. BONIFATII & ALEXII, quod ponitur in Abentino, in loco, qui vocatur Balcerna, per conſenſum & voluntatem Monachorum prediċti ... Presbyteri & Prioris, qui vocatur de Berocce, Benediċti Presbyteri, Thodini Presbyteri, Gilii Presbyteri, Gregorii Acoliti, Pauli Presbyteri, Gual... Presbyteri, Alberici Presbyteri, & Danielis Presbyteri, hac die propria ſpontaneaque noſtra voluntate, locamus & concedimus omnibus filii .. Judice jam natis & naſcituris, & omnibus hiis, qui de ſupradiċtis filiis & filiabus tuis naſcituri.... reſervata poteſta..... vita, vel in morte, vel quocumque modo ſubter diċtas res, quibus malueris de diċtis perſonis dandi vel concedendi, ſicud tibi meli...... totam vel integram vallem, que vocatur Cupula (50), ſicud tu habes paſtinatas vineas, & arborum multitudinem ...... Cerbinaria, quam tu ex omni tuo expendio hedificatam & reſarcitam habes, & cum ſilva ſua infra ſe, & ri..... & cum omnibus generaliter ad ipſum vallem & infra ſuos fines pertinentem; cujus vallis ſuperior pars, ubi ..... in fontana, que exit de coſta, & aſpicit in Pentonia, ex alia parte juxta terram Beati Gregorii .... a Placido Predeceſſore noſtro per Inſtrumentum publicum ſcriptum a te Nicolao Scriniario. Alie* A.D. 1163.

 *par-*

(50) *Cupula*, quae poſtea vallis Johannis Judicis dicta eſt. Vide infra App. n. XXVIII. & XXXVI. & XLIV.

*partes ejus vallis ...... pignus per quadraginta & quatuor ſollos illam, quam detinuerunt filii Guidonis de Oddone. Ali ..... pignus habuiſti pro tribus libris denariorum Papienſium ſimiliter per publica Inſtrumenta, que nobis re..... ſupradictis denariis, qui ſimul ſunt centum quatuor ſolli, & nunc addidiſti triginta ſollos denariorum .... ſupradictis denariis ..... ſollis inſimul computatis, ſunt ſeptem libre minus ſex ſollis pro .... minus ſex ſollis, & propter meliorationes & expenſas multas jam a Johanne patre veſtro ibi factas, hanc loc.. mus, &. . ſ partes jam patri veſtro & filiis ſuis locatam, & totius alterius vallis, q ...... gnus detinebat a noſtro Monaſterio, totam & integram ſupradictam vallem cum vas .... ſſuis & hed .... que in dicta valle continentur, nichil nobis ibi reſervantes, cum introytibus & exitibus ſuis .... omnibus ... tatibus, & cum omnibus ſuis pertinentiis... poſit. in ortis Prefectis .... (51) ... ad Formellum Feri..... & a ſecundo latere incipiente a predicto Formello, & juſta viam ... deinde revolvente ..... que vadit ad lo ... de Bi.. ario, & exinde eſtendente per ... uſque in alia... que vadit ad caſalia, & ſubtus pariete antiquum, qui dicitur Baniaria (52), que ind ... major eſt ... quarto latere tenet Monaſterium Clivuſcauri (53), quem dictus pater veſter Johannes Judex per locationem... Monaſterio, & tenet Eccleſia Sancti Sebaſtiani per eundem patrem veſtrum, qui ab eadem Eccleſiam h.. illam ſibi locatam uſque in Formellum (54), qui eſt primus finis, unde prius incepimus ... locatione promittis dare omni anno vos, & heredes & ſucceſſores veſtri noſtro Monaſterio tres*

*... de-*

51 *In hortis Praefectis* inter vias Appiam, & Hoſtienſem, ut jam diximus Cap. XV. pag. 228. not. (12). Adde quod Caeleſtinus Papa III. in Litteris datis A. D. 1192. commemorat *ſex petias duarum vinearum jacentes in unum in hortis Praefectis*; & Honorius III. finitima loca ſic deſcribit: *Turrim in hortis Praefectis cum omnibus pertinentiis ſuis, poſitam inter rivum, qui fluit per ponticellum de Tuffo ad pratum S. Pauli, & viam publicam, & cavonem cum via, quae pergit ad portam Appiam &c.* Vide Bullar. Vatican. tom. 1. pag. 75. & 101. edit. Rom. 1747.

(52) *Baniaria*, nunc etiam dicitur mons *della Bagnaja* ad ſiniſtram viae Hoſtienſis prope Baſilicam S. Pauli.

(53 *Clivus Scauri*, de quo vide Cap. XVII. pag. 264. not. (52).

(54) *Formellum*, fortaſſe ſic appellatum a formis aquarum, de quibus vide ſup. Cap. XV. pag. 234. not. (32).

Digitized by Google

*.... denarios, nomine penſionis, in Feſtivitate SS. BONIFATII vel ALEXII. Et nulli alii Eccleſie h... aliquo modo detis, niſi noſtre. Et nulli perſone vendatis vel pignoretis, niſi noſtro Monaſterio ... cationem integram teneatis vos ſupradicti filii ac nepotes dicti Johannis Judicis, qui modo eſtis, vel...filii eidem Johannis Judicis naſcituri ſunt. Et ſi omnes filii ac nepotes mortui fuerint a... Johannem Judicem, quod abſit, tunc idem Johannes Judex teneat hunc locationem in vita ſua, & red.. Monaſterio illas vineas, quas habet in Caſtaniola* (55)*, in loco, qui vocatur Travicella; & mortu ... ſupradictis perſonis, ſupradicta locatio ſicud meliorata fuerit, ſine omni mora & contrarietate noſtro re.... naſterio. Et promictimus nos una cum noſtris ſucceſſoribus, defendere eam vobis, & veſtris heredibus ab omni h. ... neceſſe fu.... Si qua vero pars contra fidem hujus cartule venire voluerit, componat alteri .... ſervanti... predictum pretium duplum; & hac ſoluta pena, cartula hec permaneat firmam. Sig..... dicti Riccardi Abbatis, conſentientibus Monachis, rogatoris cartule hujus .......... Benone teſtis. Cencius de Benedicto teſtis. Johannes de Raynerio teſtis. Albericus Fidel.. .... Cencius Felicla teſtis. Pepulus teſtis ......... Sancte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## XIII.

PETRUS Abbas Mon. SS. BONIFACII & ALEXII Jonathae Tuſculano Comiti, poſteriſque ejus inſulam locat *de Aſtura*, & quidquid ad eam pertinet, ea lege, ut IX. librae proviſinorum, & penſio annua duorum modiorum grani ad menſuram Neptuni, ſacro Aſſumptae Virginis die, antedicto Monaſterio tribuantur.

I*N nomine Domini. Anno quarto Pontificatus Dñi Alexandri Ter....* (56)*, Indictione XI. menſis Februarii die V. Ego qui-dem* A.D. 1163.



(55) *Caſtaniola*, non illa quidem inter Ardeam & Lavinium, de qua diximus not. (10) Cap. XV. pag. 227. ſed alter locus hic indicatur ejuſdem vocabuli extra portam S. Pauli, qui etiam vocabatur la *Travicella*; quo nomine etiamnum appellantur vineta Monaſterii noſtri in via Hoſtienſi primo ab Urbe lapide.

(56) Alexander III. Senenſis elect. R.P. die 7. Septembris An. 1159. obiit A.D. 1181. die 30. Auguſti.

*dem Petrus Abbas Venerabilis* (57) ..... *TII & ALEXII, quod ſitum eſt in Aventino, in loco, qui vocatur Balcerna ..... Fratrum meorum predicti Monaſterii, ſcilicet Benedicti Presbiteri & Monachi, Petri Prioris, Bonelli Presbiteri & Monachi, Bene .... Blaſii, Berardi Presbiteri & Monachi, Guilielmi, Romanucii, Gualterii, Peregrini, & aliorum, hac die, propria noſtra voluntate, locamus atque concedimus tibi Jonathe d. .... ſculano Comite* (58), *vita tua, & vita tuorum legitimorum filiorum maſculorum tantum, quod ſi filios maſculos non habueris, quibus de fratribus tuis terram relinqueris, vita ſua, & vita ſuorum legitimorum filiorum maſculorum tantum teneat, ideſt inſulam de Aſturia, cum ſuis piſcariis, & cum terra ſementaricia ab ipſa inſula uſque Aſturam* (59) *modiorum triginta, cum introitu & exitu ſuo, & cum omnibus ſuis pertinentiis, poſitam miliario ab urbe Roma plus minus , & ſicuti ab aquis in circuitu affinata eſt, juris noſtri Monaſterii, ad tenendum, meliorandum, &, ſicut dictum eſt tantum, fruendum. Pro qua locatione novem libras probinienſium* (60) *mihi dediſti: de quibus viginti quattuor ſolidos dedi pro una planeta, quam recollegi, & triginta ſolidos dedi pro una pelle, quam pro me emi, & duodecim ſolidos in uno pellicione, quem pro me emi; & omni anno in Aſſumptione Sancte Marie duos modios grani, nomine penſionis, nobis noſtroque Monaſterio tribuatis, ad modium de Neptuno. Poſt hobitum vero de ſupradictis perſonis, jam dictam terram, prout fuerit meliorata, & inſulam ſine mora noſtro Monaſterio revertatur. Et promitto defendere eam vobis ab omni homine, ſi opus & neceſſe fuerit. Si qua vero pars contra fidem hujus cartule venire voluerit, componat alteri parti fidem ſervanti, poene nomine, duas boni auri libras; & eluta pena cartula hec permaneat firma; quam ſcribere rogavi Od-*

(57) De Petro Abbate vide ſup. Cap. XI. pag. 192. not. (27), atque hic in App. ad A. D. 1361.

(58) *Jonathas ex Comitibus Tuſculanis*, filius Ptolemaei II. Vid. Cap. XI. pag. 192. not. (7).

(59) *Uſque Aſturam*, nempe fluvium, aut caſtrum diſtinctum a peninſula ejuſdem nominis. Vid. Cap. XI. pag. 192. not. (8), & Cap. XV. pag. 233.

(60) *Probinienſium*, ſeu provenienſium, & proviſinorum, de quibus vid. Cap. XI. pag. 199. not. (28), & Cap. XVII. pag. 247. not. (3). Videsis etiam Petri Moreti Lucubr. de Presbyterio par. 1. ſect. 6. §. 10. pag. 64. not. (m).

Digitized by Google

*Oddonem Scriniarium Sancte Romane Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta XI.*

*Singnum ✠ manus predicti Petri Abbatis, hujus cartule rogatoris.*

*Cencius de Anſoino teſtis.*

*Salione teſtis.*

*Gregorius, qui vocatur Repleca, teſtis.*

*Donadeus teſtis.*

*Johannes, qui vocatur Pedone, teſtis.*

.....

## XIV.

JOANNES Alexianus Abbas Joanni Petri Leonis de Rainerio, poſteriſque ejus fundum locat *in Favarolo* quadraginta ſolidis Papienſibus, & annua penſione.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſexſageſimotertio* (61), *Indictione XII. menſis Januarii die II. Donnus Johannes Abbas* (62), *cum Monachis Bonelli & Guilielmi, loco tibi Johanni Petri Leonis* (63) *de Rainerio, vita tua, & vita tuorum legitimorum filiorum maſculorum & nepotum tantum, quod ſi quem filii maſculi fratris tui, vel une filie tue, & filiorum ſuorum tantum, ideſt unam pedicam terre poſitam in Favarolo* (64). *Affines hii ſunt: a tribus lateribus tenet GG. Guatralis, juris noſtri Monaſterii, que holim fuit Dionyſii, a quarto eſt cavone, & eſt pratarina ante turrem. Pro locatione XL. ſolidos Papienſes* (65). *Penſionem nobis dabitis II. ruglos grani ad illum Monaſterii. Pen. I. libra auri.* A.D. 1164.

*Stephanus Hos canis teſtis.*

*Rogerius frater ejus teſtis.*

*G. Pe-*

(61) Annus 63. ab Incarnatione, ſeu 64. a Nativitate Domini. Nam Anni ab Incarn. initium ſumunt d. 25. Martii, a Nativitate vero d. 25. Decembris.

(62) De Joanne Abbate vid. ſup. Cap. XI. pag. 193.

(63) *Petri Leonis de Rainerio*, de quo vid. Cap. XI. pag. 193. not. (9). forte ex Familia Perleonum, de qua pag. 270. not. (71).

(64) *Favarolo*. Vid. Cap. XV. pag. 234. not. (30).

(65) *Solidos Papienſes*, de quibus vid. Cap. XI. pag. 193. not. (12).

Digitized by Google

*G. Petri Leonis de Rainerio teſtis.*

*Petrus Medicus teſtis.*

*Teodinus teſtis.*

*Ego Oddo Scriniarius Sancte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## X V.

### Idem JOANNES Abbas, coram Joanne S. R. E. Presbytero Cardinali Tit. SS. Joannis & Pauli, Monaſterio S. Crucis in Hieruſalem fundum concedit, quem Riccardus anteceſſor, acceptis duodecim libris denariorum Papienſium, pignori dederat Hubaldo S. R. E. Cardinali, adjecta tamen lege penſionis annuae.

A.D. 1165. *IN nomine . . . . . ſexto Pontificatus vero Dñi Alexandri Tertii Pape, Indictione tertiadecima, menſis Aprilis die XXX. Ego Dñs Johannes Dei gratia Religioſus Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, quod ſitum eſt in Aventino, in loco, qui vocatur Balcerna, hac preſenti die, in preſentiam Dñi Johannis, Preſbiteri Cardinalis Tituli Sanctorum Johannis & Pauli (66), & Dñi Pape Vicarii, & ejus conſenſu & mandato, & in preſentiam Jo. . . . . . . . Preſbiteri Oberti Subdiaconi Sancte Romane Eccleſie, & Preſbiteri Adriani, & Stephani Baronis Cauſidici, & ſubſcriptorum teſtium, propria & ſpontanea mea bona voluntate, conſenſu Monachorum Fratrum meorum . . . dem Monaſterii, ſcilicet Bonelli Preſbiteri, & Gualterii Presbiteri, & Petri Diaconi, & Guilielmi Presbiteri & Yconomi, & aliorum, loco . . . . . . cedo tibi Auguſtino Presbitero & Yconomo Venerabilis Tituli Sancte Crucis, que abpellatur Jeruſalem (67), que ſita eſt . . . . Saſurrio juſta muros Urbis, tuiſque ſuc-*

(66) *Joannes Presbyter S.R.E.Cardinalis* Tit. SS. Jo. & Pauli, qui ſubſcripſit Alex. III. R. Pont. Litteris datis Oprando Abbati Monaſterii S. Simpliciani dioeceſis Mediolanenſis, XIII. Kal. Aprilis, Incarn. Dominicae Anno 1178. Ciaccon. in Alex. III. §.41. ex Ughel. tom.4. Ital. Sacra.

(67) *S. Crucis*, quae appellatur *in Hieruſalem*; propterea quod Imperatrix Helena Lignum Crucis, cui ſuffixus fuerat Redemptor Mundi, &

Digitized by Google

*ſucceſſoribus, & per te tue Eccleſie in perpetuum, ideſt duas pedicas terre ſementaricie, cum parte de prato, cum introhitibus & exitibus ſuis, & cum omnibus ſuis pertinentiis, poſitas extra portam S. Johannis juſta formam ill. . . . uſque nunc jure pignoris tenuiſti a noſtro Monaſterio, inter hos fines, a primo latere eſt forma major, a ſecundo & a tertio latere tenent Oddo & Cencius, filii Leonis Frajapanis* (68), *noſtri juris, a quarto latere eſt via publica, juris dominii dicti noſtri Monaſterii, ad tenendum, fruendum, perpetuoque poſſidendum. Hanc autem locationem, ſicut dictum eſt, vobis & veſtre Eccleſie facimus; pro eo quia Dns Hubaldus* Pre-

quandam terrae portionem ex Sanctis Hieroſolymorum locis aſportatam illuc collocaverit in monte Exquilino, ubi olim palatium Seſſorianum, quod Conſtantinus Magnus in Templum ſeu Baſilicam Chriſtianorum converterat. Id prae aliis oſtendit Ciampinus de *Sac. Aedificiis. cap. VII.* qui etiam veteris Baſilicae ichnographiam & orthographiam exhibet Tab. IV. & V. Vet. Monum. par. 1. Baſilicam hanc olim inſtaurarunt Gregorius II. Benedictus VII. & Lucius II. Rom. Pontifices. At nuper qui omnibus antecellit munificentia, pietate, & ingenii gloria Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. plurimis erogatis aureorum millibus, magnificentiſſime reſtituit, ampliavit, & ornavit. At A. D. 1165. quo anno hoc Inſtrumentum conſcriptum eſt, Sacra ibi peragebant Canonici Regulares Lucenſes S. Frediani, quibus ſuffecti ſunt Cartuſiani A. D. 1369. & iſtos demum exceperunt A. D. 1560. Ciſtercienſes Congregationis, ut vocant, Lombardiae; quibus nunc Abbas praeeſt Cl. P. D. Raymundus Beſozzi Mediolanen. amicus noſter, qui uberrimam ejuſdem Templi & Coenobii deſcriptionem edidit Romae A. D. 1751.

(68) *Oddo & Cencius* filii Leonis Frajapanis, ſcilicet Oddo major, & Cencius III. Fregepanii, filii Leonis junioris, quibus Lucius Papa II. Circi Maximi cuſtodiam dedit, ut ex ejuſdem Pontificis Diplomate intelligitur, quod ex Bibliotheca Vaticana affert Panvinius cap. VII. lib. III. mſ. de Gente Fregepania; quodque ab eo haud editum hic apponere lubet: *Lucius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Oddoni & Cincio, Frajapanibus fratribus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quia de omnibus, quae ad jus Sanctae Romanae Eccleſiae pertinent, curam gerere, nec, ut expedit, per nos cuſtodire poſſumus, fidelibus noſtris, de quibus nullatenus dubitamus, ſecure cuſtodienda committimus; eapropter, Dilecti in Domino Filii, devotionem & fidelitatem veſtram erga Beatum Petrum, & nos ipſos attendentes, cuſtodiam Circi vobis committimus, tali tenore, videlicet ut quandocunque nobis, vel alicui ſucceſſorum noſtrorum placuerit, libere, & abſque ulla contradictione recipiamus. Datum Romae II. Kal. Februarii.*

Poſſidebant quoque Fregepanii Amphitheatrum & Septizonium, ut ex Inſtrum. Dat. An. I. Pontif. Euge-

Digitized by Google

*Presbiter Cardinalis Tituli Sanɛte Crucis* (69) *numeravit Riccardo anteceſſori noſtro, Abbati quondam noſtri Monaſterii, duodecim libras denariorum Papienſium* (70), *quos expendit in utilitate noſtri Monaſterii, ſicut legitur in cartula pignoris, exinde ſcripta per manus Oddonis Scriniarii, quam communi voluntate, ante preſentiam preſati Dñi Vicarii & ſubſcriptorum teſtium ... cuavimus, & incidimus, quas duodecim libras pro parte pretii hujus locationis nobis computavimus; & inſuper vos, in preſentiam dicti Dñi Vicarii, & aliarum preſatarum perſonarum, & ſubſcriptorum teſtium, dediſtis nunc nobis & noſtro Monaſterio viginti ſeptem libras proven.* (71); *ex quibus ſolvimus Johanni de Aurobella & .... baſtiano de Gualdrada novem libras proven. & recollegimus inde ab eis molendinum poſitum ad Albanum ad* Sanɛtam Fumiam (72), *quam pignori habebant; & undecim libras ſolvimus Petro Profencule, & recollegimus ab eo inde turibulum majorem, & planetam blancam, que pignori habebat; & ſex libras & quinque ſolidos Johanni Presbiteri Oberti, & recollegimus inde ab eo aliam planetam rubeam, quum pignori habebat. Et hinc in antea omni anno, in Feſtivitate S. ALEXII, reddatis noſtro Monaſterio nomine penſionis quatuor ſolidos proven. Et nulli alii Ecclesie aliquo modo detis vel concedatis, niſi noſtre. Set ſi vendere volueritis, nobis vendatis juſto pretio .... us .... libris proven. Si ſic emere noluerimus, detis nobis dictum cominus, & vendatis cum noſtro conſenſu tali per-*

nii III. menſis Martii die XVIII. probat ibidem Panvinius cap. v. ubi etiam obſervat, ſuperioribus temporibus poſt Urbis ruinas, nobiles Romanos pro eorum dignitate veteres ſibi fabricas vindicaſſe, in quibus domos fabricantes habitabant. Nam Urſini Molem Hadriani, & Theatrum Pompeji in Campo Florae, Columnenſes Mauſoleum Auguſti, & Thermas Conſtantini in Quirinali, Sabellii Theatrum Marcelli, Comites Quirinalem, Fregepanes Amphitheatrum, & Septem Solia occupaverant; domibuſque conſtructis ea loca incolebant.

(69) *Hubaldus Presb. Card. Tit. S. Crucis*, de quo ſup. Cap. XI. pag. 194. not. (13).

(70) De denariis Papienſibus vid. Cap. XI. pag. 193. not. (12).

(71) *Viginti ſeptem libras proveníenſium*, de quibus pag. 199. not. (28), & pag. 247. not. (3), & in App. pag. 404. not. (60).

(72) *Ad S. Fumiam.* Vid. ſup. Cap. XV. pag. 230. not. (18), & infra Append. num. XX. & LVIII.

Digitized by Google

*perſone, que noſtro Monaſterio placeat ſine malitia, que omnia, que vos debetis, noſtro Monaſterio adimpleat. Et nos tam pro nobis, quam pro noſtris ſucceſſoribus, promittimus vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & veſtre Eccleſie, hanc locationem perpetuo firmam habere, & defendere ab omni homine, ſi opus & neceſſarium fuerit. Vos vero, veſtrique ſucceſſores, & veſtra Eccleſia omnia, que dicta ſunt, nobis, noſtriſque ſucceſſoribus, & noſtro Monaſterio adimpleant & perſolvant. Si qua vero pars contra fidem hujus cartule venire temptaverit, conponat pars infidelis parti fidem ſervanti pro pena duas libras auri; & ſoluta pena, cartula hec firma permaneat; quam ſcribendam rogavi Nicolaum Scriniarium Sancte Romane Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta XIII.*

*Signum ✠ manus dicti Dñi Johannis Abbatis, conſenſu Fratrum rogatoris cartule hujus.*

*Oddo de Rainerio teſtis. Berardus Cencii de Bona teſtis. Angelus Romani de Diacona teſtis. Oliverius de Rufulo teſtis. Romanus de Pagano teſtis. Petrus Profencule teſtis. Johannes de Aurobella teſtis. Nicolaus Scriniarius, Nicolai Guiberti filius, teſtis.*

*Ego Nicolaus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## X V I.

Charta Locationis praedioli extra portam Appiam prope *rivulum & pontem Silioli*, ab eodem JOANNE Abbate factae Petro Latroni &c.

I*N nomine Domini. Anno decimo Pontificatus Dñi Alexandri Tertii Pape, Indictione ſecunda, menſis Auguſti die XXV. Ego quidem Domnus Johannes Dei gratia Abbas Venerabilis Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII, quod ſitum eſt in Aventino ........... qui vocatur Balcerna, hac die, propria mea voluntate, cum conſenſu & voluntate Monacho .. .... predicti Monaſterii, ſcilicet Bonelli Presbyteri & Prioris, Romani Presbyteri, Johannis Fortis Andree, Bonifatii Subdia-* A.D. 1169.



Digitized by Google

*coni, Bartholomei, & aliorum, loco & concedo, in preſentia Cauſidicorum Bartholomei & Petri de Advocato, vobis fratribus Petro, qui vocaris Latro *, & Stephano, filiis Stephani Petri Latronis, vita veſtra, & vita veſtrorum legitimorum filiorum, & veſtrorum legitimorum nepotum, natis ex ipſis filiis veſtris tantum, quod ſi ad mortem veſtram filios legitimos non habueritis, liceat vobis uni perſone relinquere, que nobis placeat ſine malitia, vita illius tantum, ideſt unum petium terre ſementaricie, ad octo modios ſementis plus vel minus, cum introitu & exitu ſuo, & cum omnibus ſuis pertinentiis, poſitum in loco, qui vocatur Silioli (73), foris portam Appiam, inter hos fines, a primo latere eſt rivus & pons de Silioli, ab alio latere tenent filii Cencii Frajapanis (74), juris Sancti Pauli, ab alio.. ... tenent heredes Gregorii Petri de Guidone, juris noſtri Monaſterii, ad tenendum, meliorandum, &, ſicut dictum eſt tantum, fruendum. Pro qua locatione ſeptem libras probiñs mihi dediſtis & inſuper quattuor rugulos grani; de quibus quadraginta quinque ſolidos (75) ded..... regorio Cencii de Bonofilio, & recollegi ab eo unam petiam vinee in Albano, & XXX. ſolidos Gottifredo, alii in utilitate Monaſterii erogavi; & omni anno... Feſtivitate S. ALEXII, ſex probiñs nomine penſionis noſtro Monaſterio tribuatis. Et nulli alii Eccleſie aliquo modo detis, niſi noſtre. Et ſi vendere....... prius..... pelletis; quod ſi nos comparare voluerimus, minus XXX. ſolidis probiñs nobis vendatis; & ſi nos emere noluerimus, detis nobis LX. ſolidos probiñs pro conſenſu, & vendatis tali perſone, que nobis placeat ſine malitia,*

*&*

* *Petri Latronis* Familia in Urbe illuſtris jam erat ſaeculo duodecimo; nam memoratur in Vita Gelaſii II. a Pandulpho Piſano conſcripta apud Murator. tom. 3. Rer. Ital. pag. 397. his verbis: *Latuit Dominus Papa melius, quam hoſpitatus ſit, in Eccleſia, quae S. Mariae in Secundo Cereo dicitur, intra domos Illuſtrium Virorum Stephani Normanni, & Pandulphi fratris ejus, &* Petri Latronis *conſortum.*

(73) *Silioli*, de quo ſup. Cap. XV. pag. 229. not. (13).

(74) *Filii Cencii Frajapanis*, ideſt Cencii III. de quibus vid. pag. 229. not. (n).

(75) *Quadraginta quinque ſolidos* aureos, vel argenteos, de quibus ſuperius in Appendice pag. 393. not. (32), ſed probinenſes ſeu provenienſes, de quibus ſup. pag. 199. not. (28) & pag. 247. not. (3).

Digitized by Google

*& omnia, que dicta ſunt, nobis obſerv......... Et promitto deſendere vobis ab omni homine, ſi opus & neceſſarium fuerit. Si qua vero pars contra fidem hujus cartule venire voluerit, componat alteri parti fidem ſervanti poene nomine predictum pretium duplum; & ſoluta poena, cartula hec firma permaneat; quam ſcribere rogavi Oddonem Scriniarium Sancte Romane Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta ſecunda. Signum ✠ manus predicti Johannis Abbatis, hujus cartule rogatoris.*

*Scanna Judeus de Carlo teſtis.*
*Romanus Saſſonis de Andrea teſtis.*
*Teubaldus Petri de Gregorio teſtis.*
*Angelus Petri de Andrea teſtis.*
*Romanus de Paulo teſtis.*
.....

## XVII.

BARTHOLOMAEUS Advocatus Alexianis Monachis promittit operam in foro ſuam & filii; propterea quod fundum quemdam ab illis in emphyteuſim acceperit.

*IN no:: ine Domini. A........ Incarnationis* ...........**A.D.** *tertio, anno vero quar..dec.... Dñi.... andri* (76)...**1173.** *VI. menſis Junii die XIII. Ego quidem Bartholomeus Advocatus.......... llo me cogente, aut vim faciente, ſet propria ſpontaneaque mea voluntate, tam pro me...... pro Johanne filio meo, in preſentia Petri de Advocato Cauſidici, promitto & repromitto tibi vero Dompno Johanni Abbati* (77) *Venerabilis Monaſteriy SS. BONIFATIY & ALEXIY, quod ſitum eſt in Apentino, in loco, qui vocatur Balcerna, & per te ipſi Monaſterio ejuſque ſucceſſoribus, abſque ullo beneficio ſervire de officio meo; & ex quo prenominatus filius meus Advocatus, ſive Judex, aut Notarius fuerit, ſimiliter ſine ullo beneficio vobis ſervire debet, ſacramento ab eo vobis preſtito; pro eo quia tu tem-*



(76) Anno ſcilicet quartodecimo Alexandri PP. III. de quo ſupra not. (56) pag. 403.

(77) *Johanni Abbati*, de quo ſupra Cap. XI. pag. 1o2.

*tempore ſupradicti Pontificis, anno ejus ſexto, mihi locaſti unam pedicam terre, poſitam territorio Albanenſi, in loco, qui vocatur Luzzano, juſta plagiarium, uti per Inſtrumentum ſcriptum per manum Nicolai Scriniariy apparet, & inſuper conſentiſtis venditioni hujus terre, quam Paulo de Alberto & fratri ejus Matheo feci. Ego autem tam pro me, quam pro Johanne filio meo, promitto vobis hanc promiſſionem, dum vivi ſumus, adtendere & obſervare. Et ſi contra hec, que dicta ſunt, venire voluerimus, aut corrumpere temptaverimus, componemus vobis pro pena unam auri libram; & ſoluta pena chartula hec firma permaneat; quam ſcribere rogavimus Petrum in Dei nomine Scriniarium Sancte Romane Eccleſie, in menſe & Indictione ſupraſcripta VI. Signum ✠ manus ſupraſcripti Bartholomei, pro ſe & pro Johanne filio ejus hujus chartule rogatoris.*

*Petrus Quatracia teſtis.*

*Petrus Nicolai Deologuardi teſtis.*

*Paulus frater ejus teſtis.*

*Rubeus Pozzularolus teſtis.*

*Nicolaus Petri Profencole teſtis.*

✠ *Ego Petrus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## XVIII.

JOANNES ARDICIUS omne jus & dominium cujuſdam domus in *Marmorata* Aifredo cedit, ſuiſque heredibus, ea tamen lege, ut conventam pecuniam quotannis perſolvant Alexiano Coenobio.

A.D. 1193. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, & anno ſecundo Pontificatus Dñi Celeſtini III. Pape* (78), *Indictione XI. menſis Martii die*

(78) Caeleſtinus III. antea Hyacinthus Diac. Card. S. Mariae in Coſmedin, electus A. D. 1191. 30. Martii, ordinatus R.P. XVIII. Kal.Maji, obiit Romae die 8. Januarii A. D. 1198.

Digitized by Google

*die VII. Ego quidem Johannes Ardicius *, filius quondam Oddonis Vocie, preſentibus & conſentientibus in hoc mihi Dño B ... ... to (79) Abbate Monaſterii S. ALEXII, & Gregorio ejuſdem Monaſterii Monacho & Yconomo, habentibus pro conſenſu XII. denarios Papienſes, de conſenſu pariter & voluntate Johannis Burdini ſoceri mei, propria mea voluntate, do, vendo, & inveſtiens trado tibi vero Aifredo, tuiſque heredibus, ut inferius legitur perpetuo, ideſt unam domum cum omnibus ſuis pertinentiis, poſitam in Marmorata (80) inter hos fines, a I. latere eſt plazza communis, a II. tenet Beneincaſa, juris dicti Monaſterii, a III. eſt ripa fluminis, ſimiliter juris dicti Monaſterii, a IIII. autem latere dictum Monaſterium poſſidet domum, quam ei reliquid Johannes Petri Cencii Enrici, quia non habitat Bonus Homo Hoſtienſis, pro XXIII. ſolidis bonorum proviſinorum Senatus (81), quos mihi pro toto pretio das atque perſolvis, de quibus me bene quietum voco, & non ſoluti pretii exceptionem refuto, que vero ſunt de dote Oreſme uxoris tue, & de pretio domus vendite Archipresbytero Tituli Sancte Sabine, hoc tenore, ut amodo in Feſtivitate S. ALEXII ejuſdem Monaſterio, nomine.*

* *Joannes Ardicius*, ex Familia fortaſſis Ardicionis S. R. E. Cardinalis, quem Veronae obiiſſe, & Platinae noſtro in Templo ſepultum fuiſſe diximus pag. 196. not. (18). Ejus autem Epitaphium, quod ibi tantum innuimus, quum nuper abs ſe exſcriptum ad nos miſerit P. D. Demetrius Feramola Commonachus noſter, hic adjicere lubet.

*Mortis ob eventum plangit pie Beneventum.*
*Pulvis ut in ventum, ſic deſunt ſceptra potentum.*
*Cardo ſublimis fuit hic, qui dormit in imis.*
*Papae Legatus Ardicio voce relatus,*
*Pacem facturus, venit ſubito ruiturus.*
*Quem mors conſumpſit Veronae, Platina ſumpſit;*
*Illinc tranſlatum facias tu, Chriſte, beatum.*

(79) Supplendum Benedicto Abbate Monaſterii S. Alexii, de quo ſup. Cap. XI. pag. 196.

(80) *Marmorata* ad ripam Tyberis. Vid. Cap. XV. pag. 226. not. (6).

(81) *Proviſini Senatus*, de quibus ſup. pag. 199. not. (28), & pag. 247. not. (3).

Digitized by Google

*mine penſionis dabis II. denarios Papienſes* (82); *& ſemper in X. & VIIII. annos complendos & renovandos, ei pro renovatione dabis XII. denarios Papienſes; & non liceat tibi, heredibus, ſeu ſucceſſoribus tuis, dictam domum ulli alii perſone prius vendere, an aliter alienare, quam dicto Monaſterio, & ad minus juſti pretii XII. denariis Papienſibus; quod ſi recipere noluerit, vendas tali perſone, que ipſi ſine malitia placeat, preter aliam Eccleſiam vel pium locum, quibus nullo modo detis, vel relinquatis; & liceat ipſi Monaſterio perpetuo, ſine aliquo impedimento vel contrarietate, ire & redire per dictam domum ad aquimolum dicti Monaſterii, ſi aliquando refectus fuerit, quotieſcumque voluerit. Et pro me & meis heredibus tibi tuiſque heredibus ..... ſunt, omnia obſervare & defendere promitto, ſub pena ſupraſcripti pretii dupli; & ſoluta pena, hec chartula firma permaneat; quam ſcribere rogavi Johannem Leonis Scriniarium, in menſe & Indictione ſupraſcripta XI.*

*Lodoycus teſtis.*

*Johannes Blancus teſtis.*

*Paulus Petri Porcarii teſtis.*

*Rainaldus teſtis.*

*Ego Johannes Leonis Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, habens poteſtatem dandi tutores .... curatores, emancipandi, & decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & abſolvi.*

## XIX.

Teſtamentum JOANNIS BENONIS, ejuſque ſuprema voluntas de domibus in *Marmorata*, quae poſtea in Alexianorum poteſtatem devenerunt.

A.D. 1205. *IN nomine Domini. Anno octavo Pontificatus Dñi Innocentii Tertii Pape* (83), *Indictione octava, menſis Augusti die*

(82) *Denarios Papienſes*. Vid. pag. 193. not. (12.).

(83) Innocentius III. antea Lotharius, patria Anagninus, ex nobili genere Comitum Signiae, electus ipſo die mortis & ſepulturae deceſſoris ſui Caeleſtini III. ſcilicet 8. Jan. 1198. obiit die 16. menſ. Julii A.D. 1216.

Digitized by Google

*die XXVIII. Ego Iohannes Benonis egrotus, quia nolo deficere inteſtatus, ante ſeptem teſtes, ſpecialiter ad hoc vocatos & a me rogatos, Jure Civili nuncupativum Teſtamentum facio; in quo filios meos Petrum & Scoctam mihi heredes inſtituo; quibus relinquo Angelam uxorem meam, matrem & dominam; & precipio, ut tribuat pro anima mea XX. ſolidos* (84) *in Eccleſia Sanctorum Johannis & Pauli, ubi me ſepelliri precipio, V. ſolidos tribuat Presbytero Johanni Eccleſie Sancte Marie de Ferrariis pro Santulatico* (85), *& X. ſolidos proveſinorum eidem Eccleſie Sancte Marie de Ferrariis. Precipio, ut Scocta filia mea habeat pro dote XX. libras proveſinorum, & ſit contenta, & plus non habeat* (86); *& ſi moritur ſine ... liis, moriatur fratri ſuo Petro; & ſi Petrus filius meus moritur ſine filiis, moriatur Scocte & matri ſue in tertia parte, & de aliis duabus partibus fiant*

(84) *XX. ſolidos* aureos, aut argenteos, qui tum in uſu erant, ut diximus not. (32) pag. 393.

(85) *Pro Santulatico*, donum quod forſan dabatur Sanctulo, ſeu, ut ajunt, Patrino, ab Ital. *Santolo*. Vid. *du-Cange* V. Sanctulus.

(86) Dotes olim a parentibus filiabus conſtitutae, quae in matrimonio collocabantur, exiguo aut nulli incommodo familiae erant; quippe modicae, aut ſaltem moderatae, cujuſmodi etiamnum Germani in more habent; apud quos jam primum *dotem non uxor marito, ſed maritus uxori afferebat*, ut narrat Tacitus de Germanorum moribus.

Apud Florentinos ſimiliter, Reipublicae tempore, *lire cento erano commune dota; lire dugento, e trecento in quel tempo era tenuta dota grandiſſima; avvegnachè il fiorino valeva ſoldi xx.* Ex Ricordano Maleſpini Hiſt. Florent. cap. 152. & 161.

Apud Romanos quoque ſaeculo XV. vetitum fuerat, ne dotes opulentiorum etiam & nobilium excederent florenos octingentos. *Statuimo & ordinamo, che niuna perſona tanto maſchio, quanto femina de qualunque ſtato, grado, conditione, preheminentia, ſia Romano, o foreſtiere in Roma habitante, ardiſca nè preſuma conſtituire, promettere, overo pagare tanto in denari contanti, quanto in argento, oro, e gioje, & poſſeſſioni alcuna dote per ſua figliola, ſorella, nepote, zia, madre, o altra donna, che paſſi & exceda lo numero de' fiorini ottocento currenti, ad ragione de' ſoldi quarantaſette proviſini del Senato per fiorino &c.* Ex Statutis Senatorum Urbis dat. in palatio Capitolii A. D. 1469. Pontificatus Pauli PP. II. anno ſexto, Indict. III. menſe Septembris die 23. quae exſtant in miſcellaneo cod. mſ. Bibliothecae Frangipanae.

At quantum nunc diſtant a priſca conſuetudine Italorum mores! qui in filiis collocandis domum exhaurire coguntur; & quandoque, ut tantum onus excutiant, eas volentes, utinam non & nolentes, Monaſterio commendant, ut recte animadvertit Murator. Ant. med. aevi tom. 2. diſs. 20. par. 113.

Digitized by Google

*ſiant quatuor partes, una pars ſit pro anima mea in Eccleſia Sanċte Marie de Ferrariis, & alia ſit Guerrerie neptis mee, & alia pars ſit illius hominis, qui melius filiis meis faciet, quarta pars ſit pro anima mea. De domibus de Marmorata, quas ibi habemus, precipio, ut ad preſens una pars earum ſit Guerrerie neptis mee, alia ſit Andree filii mei naturalis tali modo, ut liceat ei facere pignus & donationem in ea ſue future uxori; & ſi moritur ſine filiis, revertatur ad Petrum filium meum. Precipio, ut Teſtamentum matris Guerrerie ſemper ſit firmum. Precipio, ut Angela uxor mea ſedeat cum filiis meis, & ſit mater & domina, dum ſedere voluerit; & poſtquam ſedere noluerit, recolligat dotem ſuam XXX. librarum proveſinorum minus VIII. ſolidis; & ſuper ſuam dotem* (87) *relinquo ei centum ſolidos proveſinorum; & faciat ſuam voluntatem. Hec eſt ultima mea voluntas; & hoc ultimum meum Teſtamentum precipi haberi firmum, ſub pena unius libre auri.*

*Meolus teſtis.*

*Johannes Leonardi teſtis.*

*Seniorilis Petri Botti teſtis.*

*Cencius Nicolai Sarraceni teſtis.*

*Dñs Petrus Archipresbyter Sanċti Nicolai teſtis.*

*Dñs Johannes Archipresbyter Sanċte Marie de Ferrariis teſtis.*

*Petrus Angeli teſtis.*

*Ego Johannes Scriniarius Sanċte Romane Eccleſie, hoc Teſtamentum ſcribere rogatus, ſcripſi & complevi.*

**Turris**

(87) *Et ſuper ſuam dotem*. De augmento dotis, ſeu, ut ajunt, ſupradote conſulendus Card. de Luca lib. VI. diſc. CLXV. Sed & aliud erat augmentum dotis, quod in lege 49. Luitprandi Regis lib. 6. vocatur *Morgincap*, ſeu *donum matutinale*, ut explicat Muratorius „ quod mariti remuneraturi uxores ob labores prima noċte conjugii exantlatos, „ primo mane conferebant, & quidem non gemmam, non veſtem, „ non alias mundi muliebris nugas, „ ſed portionem fortunarum ſuarum. Vid. Murat. ubi ſupra not. (86), & tom. 3. Antiq. medii aevi, ubi inter excerpta Archivi Piſani chartam affert Anni 1099. quae inſcribitur: *Conſtitutio Morgincap*, ſive Donatio propter nuptias &c.

Digitized by Google

# XX.

Turris S. *Euphemiae*, nonnullaque alia bona ad lacum Turni quae BENEDICTUS olim Alexianus Abbas, receptis libris CXXXIX. pignori dederat, repraeſentata pecunia redimuntur.

*IN nomine Domini. Anno ......... Incarnationis milleſimo CCV. Pontificatus vero Doñi Innocentii Tertii Pape anno octavo, Indictione VIII. menſis Aprilis die ...... in preſentia Nicolai de Tullio Cauſidici, hac die, mea bona & ſpontanea voluntate, reddo, renuntio, & refuto vobis ...... Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, quod ponitur in Aventino, veſtriſque ſucceſſoribus, ad opus & utilitatem ipſius Monaſterii ........... vel .... tionem, quod vel quam uſque nunc adverſus vos & ipſum Monaſterium habui & habere potui pro illis centum XXXVIIII. libris ........ Benedicto olim Abbati dicti Monaſterii mutuavi, pro quibus obligavit mihi & inveſtivit turrem, que vocatur Sancta Euſumia* (88) ...... *ſua de lacu Turno* (89), *& de ejus piſcatione, cum tota forma de lacu, & cum maceris ſuis, & ſediis aquimolorum, poſitam territorio Alb. ....... continetur in Inſtrumento confecto per manum Landulſi quondam Scriniarii, quod pro veſtra cautela ad incidendum & evacuandum vobis reddo ....... Habebo pro fructibus, acceſſionibus, & poena, & generaliter undecumque, & quomodocumque occaſione predicte pecunie, vel aliunde mihi actio competit, vel comp. .......... ſimiliter vobis, ad opus & utilitatem dicti Monaſterii refuto atque reſtituo; & renuntio & refuto vobis illas tres libras proviſinorum de flore, quos habui ſupr. ......... ſtis quattuor libras proviſinorum Senatus; eo quod vos nunc mihi coram predicto Cauſidico, & teſtibus ſubſcriptis, ſpecialiter ad hoc rogatis, totam prefatam pecuniam centum XXXVIIII. lib. ....... predicta-*

A.D. 1205.



(88) *Sancta Euſumia*. Vid. hic in Append. not. (72.) pag. 408. & ſuperius Cap. XV. pag. 230. not. (18).

(89) De *lacu Turno* vid. ibid. not. (19) pag. 230.

*dictarum quattuor librarum proviſinorum Senatus ſolviſtis & reddidiſtis &c.*

*Paulus Alberti de Miccino teſtis.*

*Paulus de Jannifi Clericus Sancti Angeli teſtis.*

*........ Scriniarius Pre ....... Godentis teſtis.*

*Johannes de Spo ... a teſtis.*

*...... cus frater ejus teſtis.*

*Gulielmus Alberici teſtis.*

✠ *Ego Filippus Scriniarius Sancte Romane Eccleſie complevi & abſolvi.*

## XXI.

ASTALDUS DE ASTALDO uxoris ſuae dotem ratam firmamque reddit hypotheca praedioli, & domuum in *Marmorata*, quae poſtea ad Alexianos Monachos devenerunt.

A.D. 1208. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo octavo, anno vero XI. Pontificatus Dñi Innocentii III. Pape, Indictione XII. ......... Aſtaldus de Aſtaldo* (90) *Mar-*

(90) Aſtaldus de Aſtaldo Senator Urbis invenitur A.D. 1188. ſed an hic ipſe fuerit, haud ſcio. Nobiliſſima autem Aſtalliorum Familia originem duxiſſe fertur ab Aſtaldo Lamberti Ducis Spoleti ex ſorore nepote, qui Romam veniens A. D. 867. ex Anaſt. Bibl. in Hadriano II. illic ſedem fixit ſibi & Familiae ſuae, quae inter primarias Urbis ſemper habita eſt. Ex eà Caeleſtinus II. Aſtaldum de Aſtaldis inter S. R. E. Cardinales cooptavit A. D. 1144. ut legitur apud Ciacconium. Templum jam in Urbe fuit, quod dicebatur S. Mariae de Aſtalliis, ad cujus aram maximam hoc diſtichon legebatur:

*Aſtalli generoſa domus, cultuque Sacrorum,*
*Ac opibus pollens, hoc opus fecere decorum.*

Quo de Templo Hyacinthus Gigli haec refert: *Era queſta Chieſa Parrochiale; e quivi andò ad abitare Santo Ignazio Fondatore della Compagnia di Gesù; la quale poi fu diſtrutta. Era nel ſito, dove ora è lo ſcoperto, e la porteria della Caſa Profeſſa; e nella nova Chieſa di Gesù a mano deſtra dell'altar maggiore fu edificata una cappella, nella quale fu collocata l'immagine ſteſſa della Madonna, che fu tolta dal muro della ſua antica Chieſa.* Ex cod. mſ. Bibl. Frangipanae: *Annali di Roma di Giacinto Gigli par. 3.* De Aſtalliorum Gente fuſe agit Theodorus Amidenus, qui tres diſtinguit Aſtalliorum Familias §. XXIV. de Rom. Fam. in mſ. cod. Biblioth. Caſanatten. num. 283.

Digitized by Google

*Marmorate, hac die, mea bona voluntate, ad vicem pignoris, quod tibi feci tempore contractus matrimonii ......... Inſtrumentum dotale confectum per Landulfum Scriniarium, quod Inſtrumentum ad incidendum michi reddis, & illud pignus evacuas pro ....... debeo de parte mea monumenti Pezuti* (91), *cui venditioni conſenties, obligo & in pignus pono tibi Marie divina favente ....... heredibus & ſucceſſoribus tuis, ideſt medietatem pro indiviſo unius pedice terre ſementaricie, junctam cum alia medietate Petri fratris ........ Sancti Pauli in Gualdis, cui a tribus lateribus tenet Monaſterium Sancti Sabe* (92), *& medietatem unius prati poſiti ad ....... inter hos fines totum pratum, a I. latere eſt rivus, qui venit per pratum rotundum, a II. & a III. tenet Monaſterium Sancti Sabe, a ...... ca Oſtienſis, & medietatem de domo ſolarata, ubi habitamus, poſita in Marmorata, & totam domum ſolaratam cum curi ... lapidea ante ſe, quam nuper acquiſivi a filiis Berardi Fortiſvolie, & octavam partem pro indiviſo de turribus & domibus, quas habeo communes cum conſortibus meis, poſitis in Marmorata, predicta omnia cum introitibus & exitibus ſuis, & omnibus ſuis ..... utilitatibus & pertinentiis. Hoc autem pignus tibi facio pro quatraginta libris bonorum proviſinorum Senatus, quas a te tempore contrac... trimonii in dotem recepi &c.* (93), *tali quidem pacto, ut ſi tu michi ſupervixeris tam cum filiis, quam ſine filiis, ad ſex menſes poſt meum obitum hec dos tibi reddatur; & ſi ego tibi ſupervixero ſine filio vel filia ........ menſes poſt tuum obitum hanc dotem reſtituam, cui tu commiſeris, aut cui lex preceperit; & ſi tunc ſic adimpletum fu....... Inſtrumentum vacuum ſit; & ſi non fuit adimpletum, liceat tibi, & heredibus & ſucceſſoribus tuis capere, & tenere, & alienare tan........ dicto pignore, quod dictam dotem in integrum inde recuperetis & vendicetis; & expenſas*



(91) *Monumenti Pezuti*, forſan *Trezati*, de quo meminit Bulla Honorii III. Vid. ſup. Cap. XV. pag. 236. not. (40).

(92) Monaſterium S. Sabae olim ex XX. Urbis Abbatiis, ut ſup. Cap. VIII. pag. 74.

(93) Quam moderatae eſſent dotes antiquiorum temporum, vide ſupra not. (86) pag. 415.

*penſus, ſiquas proinde feceritis plus m....... ſi minus vobis venerit, de aliis bonis meis mobilibus & immobilibus, que habeo & habiturus ſum, vobis adimpleatur &c.*

* *Petrus de Romano teſtis.*

*Adam de Marmorata teſtis.*

*Petrus de Geborga teſtis.*

*Johannes Taliaſolem teſtis.*

*Benedictus de Nicolao teſtis.*

*Ego Deus te benedicat Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius complevi & abſolvi.*

## XXII.

NICOLAUS Abbas SS. BONIFACII & ALEXII Guiſcardo Magiſtro Eccleſiae S. Mariae de Aventino vineam concedit in emphyteuſim ad novemdecim annos, quam Angelus de Rainerio teſtamento reliquerat Alexianis Monachis.

A.D. 1224. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo XXIIII. anno vero nono (94) Pontificatus Dñi Honorii III. Pape, Indictione XII. menſis Auguſti die XII. Et ego quidem Dompnus Nicolaus Dei gratia Religioſus Abbas (95) Venerabilis Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII, conſenſu & voluntate Monachorum ejuſdem Monaſterii, ſilicet Nicolai Presbiteri & Yconomi, Gregorii Monachi, Angeli Monachi........ arbitrio Romani de Morico, inter nos Arbitri electi ſub compromiſſo pene nomine plejarie L. librarum proviſinorum Senatus (96), in preſentia Petri Bonegentis Scriniarii III.*

* *Petrus de Romano*, de quo pag. 390. not(*), Anno XIV. Pont. Alexandri III. die 31. Jan. uxorem duxerat Franſiam Bonafiliam, ut ex Inſtr. Jo. Cauſidici tom. 13. mſſ. DD. de Aſtalliis num. 48.

(94) Hoc eſt, anni noni menſe primo. Nam Honorius III. electus eſt R. P. die 18. Julii A.D. 1216. ut diximus pag. 212. not. (2).

(95) De Nicolao Abbate vide Cap. XI. pag. 197. & ſeq.

(96) De proviſinis Senatus vide ſup. not. (60) pag. 404.

Digitized by Google

*III. ac de ex mea bona voluntate, loco, & renovo, & concedo tibi vero Fratri Campo Yconomo Venerabilis Eccleſie Sancte Marie de Aventino (97), teſtamentario heredi Angeli de Rainerio de ....... morata, pro ipſa tua Eccleſia, & per te Dno Guiſcardo Magiſtro, Fratri Oddoni Preceptori, Fratri Bruno Camerario, & omnibus aliis Fratribus ejuſdem Domus tam preſentibus quam futuris, in decem & novem annis complendis & renovandis in perpetuum, ideſt proprietatem & terram unius petie vinee plus vel minus, cum omnibus ſuis uſibus, utilitatibus, ac pertinentiis, ſalva locatione illi, qui amodo eamdem vineam a nobis per locationem ad quartam reddendam detinet, ut in cartula ſue locationis continetur, quam terram Angelus de Rainerio (98) de Marmorata per aliam locationem & acquiſitum a nobis tenuit, & ipſe eandem vineam in dicta noſtra Eccleſia reliquid pro redemptione anime ſue, poſitam in Teſtacio, inter hos affines, a duobus lateribus dicta noſtra tenet Eccleſia, a tertio Eccleſia Sancte Marie Scolagrecie (99), a IIII. Petrus de Urſo, noſtri juris, ad tenendum, utendum, &, ut dictum eſt, libelli nomine poſſidendum. Pro qua vero locatione & renovatione recipimus a te ex arbitrio dicti Romani XX. ſolidos bonorum proviſinorum Senatus &c. & pro eo quod omni anno, in Feſto Sancti ALEXII, reddatis noſtro Monaſterio pro penſione IIII. bonos proviſinos Senatus, & ſemper tempore renovationis, quod eſt XVIIII. annorum, detis noſtro Monaſterio pro renovatura II. ſolidos bonorum proviſinorum Senatus &c.*

*Jacobus Apulus teſtis.*
*Rainaldus Calzolarius teſtis.*
*Rainaldus Roncionarius teſtis.*

*Ro-*

(97) Eccleſia S. Mariae de Aventino, quae jam tertium locum obtinuit inter XX. Urbis Abbatias. Vid. ſupra pag. 66. 74. & 229. not (14).

(98) *Angelus de Rainerio*. Nobilem jam fuiſſe Familiam de Raineriis, & Perleoniae affinem diximus ſup. pag. 193. not. (9). Vide App. num. V. not. (*).

(99) *Schola Graeciae*, hoc eſt, S. Mariae in Coſmedin, quae dicebatur Schola Graeca. Vid. ſup. not. (10) pag. 374.

*Romanus Calzolarius teſtis.*
*Laurentius Roncionarius teſtis.*
*Thomas Carrarius teſtis.*
*Johannes Carrarius teſtis.*
*Ego Petrus Bonegentis Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius complevi & abſolvi.*

## XXIII.

Idem NICOLAUS Abbas Petro Frajapani *Nobiliſſimo Viro*, ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus in perpetuum tradit Verpoſae caſtrum, & latifundia, nec non quidquid juris & bonorum Alexiani habebant cum in *pratis Piſtilgeriis*, tum in caſtris *S. Petri in Formis & Pontis Decimi*, receptis tantum praeter annuam penſionem octingentis & quinquaginta libris proviſinorum Senatus.

A.D. 1224. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo ........nno vero nono Pontiſicatus Dñi Honorii III. Pape, Indictione XIII. menſis Septembris die XXIII. Nos quidem Dompnus Nicolaus Dei gratia Religioſus Abbas Ven.... SS. Chriſti BONIFATII Martiris & ALEXII Confeſſoris, quod ſitum eſt in Aventino monte, in loco, ubi dicitur Balcerna, de conſenſu & voluntate, & in preſentia Monachorum ejuſdem Monaſterii, ſilicet Nicolai Prioris & Yconomi, Jacobi Monachi, Gregorii Monachi, & in preſentia Dñi Nicolai Johannis Bonifat.... Dativi Judicis, & Petri Judicis Advocati, hac die, ex noſtra bona voluntate locamus, & per dictum Nicolaum Priorem & Yconomum, & per Petrum de Silveſtro, a nobis Procuratores conſtitutos ad inveſtiendum, tradimus & concedimus tenutam, & poſſeſſionem deliberamus tibi vero Petro Frajapani quondam Dñi Manuelis Frajapanis filio (1), Nobiliſſimo Viro, tuiſque heredibus & ſucceſſoribus in perpetuum, ideſt totum & integrum unum*

(1) De Petro filio Emanuelis Frajapanis vid. ſup. Cap. XI. p. 197. not. (25).

Digitized by Google

*unum caſtrum*, *quod dicitur* Veperoſa (2), *intus cum caſis*, *&* *caſali*, *vel placzis*, *bandis*, *&* *cum hominibus ejuſdem caſtri habitatoribus ad uſum tantum dicti caſtri*, *&* *cum forſactura*, *&* *cum toto dominio ejuſdem caſtri*..... *omnibus introitibus ad dictum caſtrum pertinentibus*, *&* *de foris cum terris ſementariciis*, *cultis & incultis*, *pratis*, *paſcuis*, *ſilvis*, *ſcorpetis*, *arboribus pomiferis*, *fructiferis & infructiferis diverſi generis*, *paludibus*, *& pantanis*, *aquis*, *aquarum ac decurſibus*, *rivis*, *fontibus*, *&* *cum locis ad aquimola faciendum*, *&* *cum arenariis & edificiis ſuis*, *per diverſa loca conſtituta & poſita*, *&* *cum occupationibus & venationibus ſuis*, *&* *generaliter cum omnibus uſibus*, *utilitatibus*, *ac pertinentiis intus & de foris ad dictum caſtrum pertinentibus*, *cujus caſtri medietatem noſtris manibus detinemus*, *aliam vero medietatem per locationem a noſtro Monaſterio tenent* heredes Gratiani *Frajapanis* (3), *&* *de ipſa*

(2) *Veperoſa* ſeu Verpoſa, de qua vide Cap. XV. not. (22) pag. 231.

(3) *Heredes Gratiani Frajapanis* arbitror tunc fuiſſe Jacobam jam ipſius uxorem ex Familia Normannorum, & filios ſuos Joannem & Gratianum II. ut conjicere licet ex duobus Inſtrumentis eorum temporum, quae afferuntur a Panvinio (a) & Puccio (b). In primo namque legitur: *Anno Dominicae Incarnationis* 1217. *Ind. V. menſe Maji, die* 13. *Ego quidem Jacoba uxor quondam D. Gratiani Frajapanis*, *& nutrix Joannis & Gratiani filiorum meorum*, *hac praeſenti die*, *propria ſpontaneaque voluntate mea bona*, *in praeſentia D. Petri Stephani Ciceronis Dativi Judicis*, *& ſubſcriptorum teſtium ad hoc ſpecialiter rogatorum*, *pro ipſis minoribus*, *renuntio & refuto tibi D. Sinibaldo Camerario D. Papae Honorii*, *ſuiſque ſucceſſoribus*, *& Romanae Eccleſiae in perpetuum*, *ideſt omnem litem*, *& petitionem*, *quam D. Papae feci & facere potui de toto debito*, *quod D. Gratianus vir meus in caſtro Nymphae habuit*, *& renuntiationes*, *fructus*, *acceſſiones*, *ac penſionem*, *& generaliter quicquid undecunque & quomodocunque*, *nomine dicti debiti*, *a D. Papa tacite vel expreſſe*, *ſpecialiter & generaliter agere & petere poſſem &c.*

In altero autem, quod pacta quaedam inter ipſam Jacobam, & Marini habitatores conventa deſcribit, haec habentur: *In nomine D. N. Anno Domini* 1226. *Pont. Domini Honorii Papae Tertii anno X. Indictione XV. menſe Maii*,

(a) Onuphrius Panvinius de Gente Fregepania lib. III. cap. XVIII. in cod. Biblioth. Frangipanae.
(b) *Genealogia de' Signori Frangipani di D. Benedetto Pucci Romano Monaco Camaldoleſe pag.* 43. *edit. Venet.* 1621.

Digitized by Google

*ipſa medietate heredum Gratiani medietatem ab eis in feudum tenet Andreas Coczolus; & damus, & concedimus, & mandamus tibi, tuiſque heredibus & ſucceſſoribus jus noſtrum pignoris, & ipſum pignus in dicta parte heredum Gratiani nobis competens de C. libris proviſinorum; & generaliter locamus & concedimus tibi, tuiſque heredibus & ſucceſſoribus omne jus & actionem, petitionem, juſtitiam, & rationem, quod & quam habemus, & noſtro Monaſterio quocumque modo pertinet & competit in dicto caſtro, & ejus tenimentis, & adverſus quamcumque perſonam & locum, ejus nomine & reſpectu, nulla nobis ibi alia facta ſervatione, niſi ſubſcripta, & ſpecialiter contra poſſeſſores, vel detemptores, & invaſores dictorum tenimentorum, quod vero caſtrum poſitum eſt in maritimis, inter hos affines, a I. latere eſt formalis de Orſano, ſicuti pergit per foſſatum recte in fontana de Salice, deinde in colle Meczanu, adſcendente per formalem de jam dicto colle Meczanu in via* de Fuſiniano (4), *& a II. latere eſt* via carraria (5), *que pergit plagarium de uncino recte in via de Publizano, a tertio latere idipſa via de Publizano pergente in cruce de* Crapiliano (6), *& a IIII. latere via, que pergit per foſſatum Mauro, & per foſſatum de Nobule in Antoniano, inde recte in*

*Maji, die ult. Quoniam ſine litterarum ſerie ea, quae inter homines aguntur, oblivioni traderentur, idcirco nos D. Jacoba, & Johannes filius ejus Frajapanis, in cujus dominio caſtrum Marini conſtat, promiſſione & conventione, quas ejuſdem caſtri habitatoribus facimus, & de bonis moribus ac conſuetudinibus volumus per Inſtrumentum publicum apparere &c.*

Mortuo deinde Joanne Frajapane abſque liberis, ex teſtamento heredes fuerunt Monaſteria S. Sabae Urbis, & Cryptae Ferratae, nec non pauperes caſtri Marini. Quare Jo. Card. Urſinus illius ſupremae voluntatis executor, ut hereditatem trifariam divideret, caſtrum Marini Matthaeo Cardinali S. Mariae in Porticu vendidit A. D. 1257. recepto pretio librarum tredecim millium, ut refert Puccius ex Inſtrum. Archivi Vatican caps. 63. faſ. 391.

(4) *Fuſinianum* prope Verpoſam ſeu *Bonripoſo*. Utriuſque latifundia nunc poſſidet Excell. Gens Sfortia de Caeſarinis. Vide Cingolani Topograph. Geometr. Agri Romani.

(5) *Via carraria*, qua currus vehi poteſt, ut diximus pag. 248. not. (6).

(6) *Crapiliano*. Campilanum legitur in Bulla Honorii III. pag. 232. not. (24).

Digitized by Google

*in formale de jam dicto Orſano, qui eſt primus finis; ita tamen, quod non teneamur vobis defendere, niſi ea, que propriis noſtris manibus detinebamus. Item & locamus & concedimus tibi, tuiſque heredibus & ſucceſſoribus, & cui concedere volueris, jus noſtrum proprietatis totius caſtri, quod dicitur* Pons Decimus (7), *intus & de foris, & Eccleſiam ſive manualem, quam & quem habemus & habere debemus in ipſo caſtro, intus & de foris, & cum tenutis ad ipſam Eccleſiam pertinentibus; & locamus & concedimus tibi, & cui dare & concedere volueris in perpetuum, Eccleſiam & jus noſtrum, quod & quam habemus in tenimentis caſtri S. Petri in Formis* (8). *Item & locamus & concedimus tuiſque ſucceſſoribus, & cui dare volueris in perpetuum, totam terram, quam habemus, & nobis pertinet in pratis Piſtilgeriis* (9), *cum arboribus ſuis, & omnibus ad dictam terram & noſtrum tenimentum pertinentibus, inter hos affines ad tenendum, utendum, habendum, agendum, poſſidendum, & defendendum, & ad faciendum, quicquid perpetuo facere volueris. Hanc autem locationem, dationem, & conceſſionem, ut dictum eſt, tibi facimus; pro eo quod in preſentia dicti Judicis, & Advocati, & Scriniarii recipimus a te octo centum libras & L. libras bonorum proviſinorum Senatus, & recipimus a te L. libras bonorum proviſinorum in alia manu pro futura penſione hinc ad centum decem annos, quam annuatim recipere deberemus, annuatim ſcilicet X. ſolidos proviſinos, infra quos predictos annos nullam penſionem reddatis, ſet deinde omni anno reddant ſucceſſores veſtri dicto Monaſterio noſtro X... proviſinos, de quibus omnibus nos bene quietos vocamus, & renunciamus exce-*



(7) *Pons Decimus*, de quo vide ſup. pag. 232. not. (23).

(8) *Caſtrum S. Petri in Formis* prope Fuſinianum & Verpoſam, quod Nicolao Sabellio abreptum fuit tanquam rebelli, ut ex Bulla Eugenii PP. IV. & poſtea ad Vaticanae Baſilicae Canonicos devenit, Nicolao V. Pont. Vid. Bull. Vatican. tom. 2. pag. 106. edit. Rom. 1751.

(9) *In pratis Piſtilgeriis*. Prata de Piſtilierio commemorantur in Bulla Honorii III. de qua vide Cap. XV. pag. 232. not. (26).

*exceptioni non ſolute pecunie, de quibus ſolvere volumus debita, que ad uſuras noſtro Monaſterio iminebant, ſcilicet Albertutio V. centum libras proviſinorum, & de uſuris XXVII. libras proviſinorum, filiis Alexii Mazocii LXVI. libras proviſinorum, heredi Andree de Ficocia quatuor viginti libras proviſinorum, Matheo Scriniario XXXVIIII. libras proviſinorum, Ambladori XXX. libras proviſinorum, Scocte* (10) *L. libras proviſinorum, & de uſuris III. libras proviſinorum & VII. ſolidos, Johanni Sarraceno XX. libras proviſinorum, Jacobo Manuſelle & Petro Squarciarilii VII. libras proviſinorum, Cinthio Rampaczoli VIII. libras proviſinorum, Petro Cerino LX. libras proviſinorum, Laurentio Roncionario XIII. ſolidos; & amodo in antea liceat vobis, & ſucceſſoribus veſtris, & cui concedere volueritis, omnia predicta intrare, tenere, poſſidere, & de omnibus ſupradictis facere, quicquid volueritis in perpetuum, & de eis veſtro nomine agere, petere, excipere, ſicut nos noſtro nomine uſque modo agere, petere, excipere potuimus; & te in rem tuam procuratorem conſtituimus, ita quod directis actionibus agatis, & petatis, & in loco, & omni jure noſtro, & privilegio ſuccedatis, ſervata tamen nobis & noſtro Monaſterio* (11) *Eccleſia Sancte Marie de ipſo caſtro, cum domo ſua, & orto, & canapina, & una petia vinee, & cum XX. rublis de terra ſementaricia ad rublum juſtum, & cum toto ſpirituali tam noſtro Monaſterio, quam dicte Eccleſie de ipſo caſtro pertinente, ut in curtula confirmationis ex dicta Eccleſia, & dictis rebus, a te nobis facta per hunc eumdem Scriniarium, continetur, ad majorem cautelam, & plenius legitur, & apparet &c.*

*Johan-*

(10) *Scocta* memoratur in Teſtamento Jo. Benonis num. XIX. pag. 415.

(11) Quae hic excipiuntur Eccleſia S. M. Verpoſae, horti, vineae, & rubla XX. agri culti, multarum deinde fuerunt diſſenſionum cauſſa, ut praemonuimus pag. 198. utque ſatis conſtat ex acerrima lite conteſtata A. D. 1358. Alexianos inter & DD. Annibaldenſes, cujus aliquot Acta afferimus infra in Appendice.

Digitized by Google

*Johannes Enrici Johannis Ruſtici* (12) *teſtis. Johannes Perdone teſtis.*

*Egidius Petri Boczi teſtis. Nicolaus Petri de Prefecta teſtis.*

*Petrus Andree Petri de Silveſtro teſtis. Lucas Scarſus teſtis.*

*Nicolaus frater ejus teſtis.*

*Ego Petrus Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius complevi & abſolvi.*

## XXIV.

### ANGELUS, ex Praemonſtratenſi Familia primus Alexianus Abbas, Monaſterii fundos in *Merulano* conventa pecunia locat.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis M. CC. XXXV. anno vero VIII.* (13)..... *VIII. menſis Febr* .... A.D. 1235.
....*die XVII. Nos quidem Presbyter Angelus* (14), *ſicut Prepoſitus, Rector, & Amminiſtra*.......*bbas SS. BONIFATII*... *Oddone, Fratre Granato Presbytero, Fratre Amato, Fratre Johanne, & Fratre Creſcentio, & Dompno Nicolao, h*.. ....*die, ex noſtra*....... *Gratiano de Scrophano, & tuis legitimis filiis, & nepotibus ex tuis legitimis filiis natis tantum, hinc*..... *annos, & in omnibus*...... *am* .. *artem totius tenimenti noſtri, terrarum cultarum & incultarum, vinealium, ſilvarum, ſcurpe*.... *vallium, & collium*...... *& pertinentiis, poſ*... *in Merulano, in tenimento Scrophani* (15), *inter hos fines* *pro XXX. ſolidis proviſinorum Senatus*(16).. ...*ac-*



(12) *Joannis Ruſtici.* Nobilis olim in Urbe fuit Gens Ruſtica & affinis Familiae de Romanis, ut conjicitur ex ſubſcriptione *Petri de Romano Ruſtici*, de qua apud Murat. ubi ſupra p.350. not. (*).

(13) Supplendum *Pontificatus Dñi Gregorii IX. Papae, Indictione VIII.* qui Pontifex electus fuit die 19. Martii A.D. 1227. obiit vero die 21. Aug. A.D. 1241. ut diximus p. 241. not. (5)

(14) De Angelo Abbate vid. ſup. Cap. XVII. pag. 246.

(15) *Scrophani*, de quo vid. ibidem pag. 246. not. (2).

(16) De *proviſinis Senatus* vide pag. 199. not. (28), & pag. 247. not. (3).

*....accepimus a te, & recepiſſe confitemur, de quibus nos bene quietos vocamus ...renunciamus exceptioni non ſolute & non numerate pe......ſat....reddes dicto noſtro Monaſterio pro penſione & nomine penſionis XIIII. proviſinos, quam penſionem apportabis nobis & noſtro Monaſterio quolibet ...nn ...comple ..... XVIII.... annis pro renovatione dabis nobis & noſtro Monaſterio V. ſollos proviſinorum Senatus; & ſi Monachus noſter ibi venerit, dictam penſionem ibi ei da......vel nolueris, aut non potueris, in termino III. annorum, preteritam & preſentem penſionem noſtro Monaſterio dare promictis, & deferre.....quod...... acua ſit; & dicta locatio & conceſſio noſtro Monaſterio revertatur ad hobitum uniuſcujuſque veſtrum, ita tamen, quod pro animabus veſtris ....... jam Monaſterio deveniat &c.*

*Presbyter Raynaldus Sancte Marie Verpoſe teſtis, Benevenutus Scutiſer* (17) *Do.... & Raynaldus Alberti, nepos predicti Abbatis, teſtis. Ego Donadeus Petri Rabiei Dei Gratia Sancte Romane Eccleſie........*

## XXV.

Charta locationis fundi, qui vocatur *Penna*, prope muros Urbis extra portam Hoſtienſem.

A.D. 1241. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis M.CC.XLI. temporibus* (18) *Dñi Friderici Romanorum Imperatoris & ſemper Auguſti, & anno ejus XXI. Indictione XIIII. menſis Aprilis*

(17) *Scutiferi* primum dicti, qui ſcuto inſtructi pro palatio excubabant; quo nomine praeſertim appellabantur viri ſummae dignitatis, qui Principum enſem & ſcutum deferebant; at poſterioribus ſaeculis ſcutiferi nuncupati ſunt Nobiles inferioris ordinis, qui in bellis militum ſeu equitum arma gererent. Vid. Ducang. in Gloſſ. V. *Scutiferi*.

(18) Cur hic adnotentur anni Imperii Frederici II. Aug. non autem Pontificatus Gregorii IX, haud ſatis ſcio. Gregorius quidem obiit hoc ipſo Anno 1241. ſed die 21. Auguſti, ut evin-

Digitized by Google

*lis die V. Ego Johannes Mancarellus, una cum Petro & Johanne filiis meis, hac die preſenti, propria & ſpontanea mea bona voluntate, loco & concedo tibi vobis Pantaleoni Petri Ceccajudee & Leoni Barbe, veſtriſque heredibus ac ſucceſſoribus, vel cui largiri & concedere volueritis, ſecundum ſubſcriptum tenorem perpetuo, ideſt locum, qui vocatur Penna (19), juris Sancti ALEXII, ad piſcaria facienda, poſitum in flumine Tyberis, cum introitu & exitu ſuo, omnibuſque ſuis uſibus, & utilitatibus, & pertinentiis ſuis, cui a I. latere ſunt muri Urbis, a II. vinee*

*; pro eo quod promittitis mihi & meis heredibus, ipſam piſcariam facere, & omni anno reddere IIII. lacceas, II. ovatas, & II. lactinas, quarum duas detis de Quadrageſima Majore, & alias II. poſt Feſtum Paſce uſque ad medium menſem Aprilem, & in Feſto Sancti ALEXII reddere ipſi Eccleſie VIII. proviſinos, ſi dictum Monaſterium Sancti ALEXII vobis in hac locatione conſentiet, ſin autem mihi & meis heredibus reddere & ſolvere teneamini &c.*

*Teſtes: Dñs Stephanus Pippus Advocatus, Alexius Gregorii Octaviani, Laurentius Johannis Berardi, Gregorius Mancinus.*

*Ego Johannes Henrici Sacri Romani Imperii Scriniarius, habens plenam poteſtatem a Dño Gregorio Papa Nono dandi tutores & curatores, emancipandi, decretum interponendi, alimenta*

evincit Papebrochius in Conatu Chr. Hiſt. ad Catalog. RR. PP. Vivebat ergo die quinta Aprilis, atque Pontificatus ſui annum XV. agebat. Non me fugit, tunc maxime per univerſam Italiam viguiſſe factiones Guelforum, & Gibellinorum, quorum priores a Pontifice, poſteriores ab Imperatore Frederico ſtabant; ſed quominus ſuſpicer, *Joannem Henrici*, qui hanc chartam conſcripſit, Gibellinum fuiſſe, illud obſtat, quod ipſe idem in ſubſcriptione teſtatur, ſe habere *poteſtatem a Dño Gregorio Papa IX. &c.* Ceterum quam nefarie Fredericus II. hoc ipſo anno ſe geſſerit in Romanae Eccleſiae Proceres, qui ex Gallia, Anglia, Italia, aliiſque Regnis Genuenſium navibus Romam deducebantur ad Concilium, ſatis conſtat ex Annalibus Raynaldi, & Muratorii ad A. D. 1241. atque Pagii Junioris in Gregor. IX.

(19) *Penna* fundus extra portam Hoſtienſem, de quo ſup. pag. 227. not. (9).

*tu decernendi, teſtes recipiendi, & eorum dicta publicandi, ac alios legitimos actus exſercendi, complevi & abſolvi.*

## XXVI.

LAURENTIUS Alexianus Abbas annua conventa penſione domum locat in *Marmorata*.

A.D. 1242. *In nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC. . LII. a . . (20) . . . . Auguſti die X. Nos quidem Dopnus Laurentius Abbas (21) . . . . . . . . conſenſu & voluntate . . . . . . . tris, & Fratris . . . . rionati, Fratris Johannis . . . . . . Cononis . . . . . . . voluntate . . . . . . . . & concedimus, & jure locationis tradimus tibi Nycolao . . . . . . . vita tuorum legitimorum filiorum & filiarum, & nepotum & neptum, qui & que ex ipſis filiis & filiabus tuis legitime ſunt naſcituri, & ſi ad mortem tuam legitimum filium vel filiam, ſeu nepotem vel neptem de filiis tuis non habueris, liceat tibi relinquere uni perſone, que nobis placeat ſine malitia, vita ſua tantum, ideſt unam domum cum orto poſt ſe, & cum plaza ante ſe, & cum introitibus & exitibus ſuis, & cum omnibus ſuis uſibus, & utilitatibus, ac pertinentiis, poſitam in Marmorata (22) inter hos fines: a I. latere tenet Renutius Cecus; a II. eſt ripa fluminis; a III. tenet Angelus Rubeus; a IIII. eſt via. Pro qua locatione recipimus a te ſex libras bonorum proviſinorum Senatus, minus V. ſolidis, de quibus nos bene quietos vocamus. Unde renuntiamus exceptioni non ſolute & non numerate pecunie; de qua pecunia ſolvimus Monaſterio Sancti*

*Scba-*

(20) Vacabat tunc Sedes Apoſtolica per obitum Caeleſtini IV. Mediolanenſis, quem Gregorio IX. ſuffectum 27. Octobris An. 1241 praematura mors rapuit poſt ſeptemdecim tantum dies ab inito Pontificatu. Ex nobili Caſtilionea Familia Caeleſtinum fuiſſe plerique contendunt; quod ex ejus Epitaphio apud Ciacconium oſtenderetur, niſi foetus eſſet recentiorum temporum, ut recte animadvertit Papebrochius in Conatu Chron. Hiſtor.

(21) De Laurentio Abbate vid. ſup. Cap. XVII. pag. 248.

(22) *Marmorata*, de qua vide pag. 226. not. (6).

Digitized by Google

*Sebaſtiani (23) IIII. libras, a quo ejus ſuperficiem emimus &c. Et omni anno in Feſto Sancti ALEXII reddatis nobis pro penſione quatuor bonos provisinos &c.*

*Creſcentius teſtis.*

*Berardus de Viola teſtis.*

*Bar . . . . . . heus privignus Jordani teſtis.*

*Ego Deus te benedicat Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, ſicut inveni in dictis Deus te adjuvet Judicis & Scriniarii, ita de ſuo mandato publicis litteris ſcripſi.*

## XXVII.

Idem LAURENTIUS Abbas aedes quaſdam in *porticu Gallatorum* ea lege locat, ut conductores teneantur Templo S. ALEXII ſua corpora dare ad ſepulturam.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC. XLIII. in Romana Eccleſia Paſtore vacante* (24), *Indictione prima, menſis Februarii die XI. Nos Dopnus Laurentius Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONEF . . . . . ALEXII, quod ponitur in Aventino monte, una cum Dompno Oddone Priore, & Dompno Granato, & Dompno Johanne Yconomo . . . . . pno Benencaſa, & Dompno Johanne, Monachis ejuſdem Monaſterii, hac preſenti die, ex noſtra bona voluntate, libellario nomine,* A.D. 1243.

(23) Monaſterium S. Sebaſtiani extra portam Capenam in via Appia veneratione celeberrimum, quod olim vocabatur Baſilica Apoſtolorum, quia ibi aliquandiu jacuerunt Corpora SS. Petri & Pauli, ab Alexandro III. commendatum fuit fidei Jo. S. R. E. Cardinalis Diaconi S. Mariae Novae, ejuſdemque Canonicis Regularibus. Sed Anno 1168. illud obtinuerunt Monachi Ciſtercienſes; ac poſtea devenit ad *Fulienſes*, quos vocant, Congregationis S. Bernardi, qui nunc etiam illud incolunt. Vide Panvinium de ſeptem Urbis Eccleſiis, & Floravantem Martinellum in Roma ex Ethnica Sacra.

(24) Vacavit Apoſtolica Sedes poſt obitum Caeleſtini IV. de quo ſup. not. (20), uſque ad diem 24. Junii hujus Anni 1243. quo electus fuit Innocentius IV.

Digitized by Google

*mine, renovamus & relocamus tibi Jacobo Oddcriſcii, tuiſque legitimis filiis & filiabus ....... s & naſcituris, in XVIIII. annos complendos & renovandos in perpetuum ........ & ſi........ el filias non habueris, liceat tibi ...... ſubſcriptis tenoribus, ideſt tres partes unius domus ſolarate cum ſenino poſt, & cum canalibus ad aquam defluendum infra, & cum ſtillicidio, & decurſu aque pluvialis, & cum porticu & placza ante ſe uſque in viam* carrariam (25), *& cum introitibus & exitibus ſuis, & omnibus ſuis uſibus, & utilitatibus, ac pertinentiis, poſite in porticu Gallatorum (26) ante Eccleſiam Sancte Marie de Gradellis, inter hos fines tota domus, ſicuti ſunt junte cum alia quarta parte Eccleſie Sancte Aneſtaſie* (27)*: a I. latere tenet Dña Maria*

(25) *Via carraria*, de qua pag. 248. not. (6).

(26) *Ante Eccleſiam S. Mariae de Gradellis*. Geminum Templum S. Mariae & S. Gregorii, utrumque *de Gradella* nuncupatum, commemorat Cencius Camerarius cap. 18. num. 40. Ordinis Romani XII. apud Mabillon. Muſ. Ital. tom. 2. pag. 192. Sed & Honorius III. in Bull. dat. Laterani V. Kal. Martii, Indict. V. A. D. 1216. bona deſcribens Eccleſiae S. Thomae in Formis, recenſet *domos & poſſeſſiones in GRADELLA & in Septem Viis*. Ex Bull. Vat. tom. 1. pag. 102. Hinc ſuſpicor, Sacram Aedem *S. Mariae de Gradellis* (fortaſſe ſic appellatam a gradibus, per quos ad eam aſcendebatur) fuiſſe haud procul a Septem Viis & Septizonio inter Amphitheatrum Flavium, & Templa S. Gregorii, atque S. Stephani Rotundi, quae adhuc exſtant. Conjecturam hanc noſtram fovet Auctor de Mirabilibus Romae apud Montfaucon Diar. Ital. cap. 20. pag. 295. qui ait: *ad Gradellas fuit Templum Solis, S. Stephanus Rotundus fuit Templum Fauni*; quod etiam tradit Martinus Polonus in Chron. cap. VII. pag. 47. edit. Antuerpiae 1574. Quum itaque Templum Solis eſſet apud Amphitheatrum, ut ex Martinello, aliiſque ſatis conſtat, ibi quoque illud S. Mariae de Gradellis fuiſſe, vix ambigendum videtur.

(27) *Sanctae Anaſtaſiae*, cujus Templi deſcriptionem edidit Jo. Marius Creſcimbeni in libro, cujus titulus: *L' Istoria della Baſilica di S. Anaſtaſia, Roma* 1722. Sunt qui Tit. S. Anaſtaſiae S. R. E. primum Preſbyterum Cardinalem Sanctum Patrem Hieronymum conſtituunt; de cujus Cardinalitia Dignitate multum in utramque partem diſputatur. Negativam tuentur Baronius, aliique; affirmativam vero non modo Vener. noſter P. Lupus de Olmeto in Vita S. Hieronymi, ſed Ciacconius quoque, Creſcimbenus, & Eiverius *de Veteri Monachatu* lib. 4. §. 4. num. 40.

Digitized by Google

*via uxor Dñi Jacobi Johannis Berardi* (28); *a II. filii Johannis Rome*; *a III. Sancta Maria Secundicerii* (29); *a IIII. via publica carraria .........vero renovatione datis nobis tres ſolidos denariorum Papienſium &c. & omni anno, in Feſtivitate Sancti ALEXII, reddatis nobis noſtriſque ſucceſſoribus pro pentione IIII. denariorum Papienſium; & ſemper tempore renovationis, que eſt XVIIII. annor. reddatis noſtro Moneſterio pro renovatura tres ſolidos denariorum Papienſium; & corpora veſtra, & quibus hec locatio pervenerit, prefato Monaſterio ſepelliri debent &c.* (30).

*Presbiter Gulalfredus de Banioregе teſtis.*

*Salvatus Berardi teſtis.*

*Nicolaus de Sapia teſtis.*

*Rainallus Urbetanus teſtis.*

*Jacobus Rainerii teſtis.*

*Ivannectus Mathei de Uberto teſtis.*

*Ego Bartholomeus Mathei, Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, utriuſque partis conſenſu ſcripſi, complevi rogatus.*

## XXVIII.

### Emphyteuſis horti cujuſdam in valle *Joannis Judicis* extra portam Appiam.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC. XL. III. Imperii vero Dñi Friderici, Dei gratia Romanorum Imperatoris & ſemper Auguſti, anno ejus XXIII.* A.D. 1243.

Iii *In-*

num.40. atque prae ceteris Doctiſſimus P. D. Pius Rubeus jam Familiae noſtrae Abbas Generalis in Commentar. ad Vitam S. Hieronymi cap.1. controverſ.3. Quare, ut ne judicium proferam, mihi quaeſo haec venia detur.

(28) Familiam de Berardis nobilem in Urbe fuiſſe, jam diximus pag. 381. not. (**).

(29) *De Secundiceriis & Primiceriis* vide pag.384. not.(11).

(30) Poſt annos autem quinquaginta circiter ab hac conſcripta locationis

*Indictione II. menſis Decembris die VIII.* (31). *Ego quidem Petrus de Mandulo, de conſenſu Dñi Creſcentii, cujus eſt proprietas, cui dedi pro conminus V. ſolidos proviſinorum, & conſentiente etiam mihi Romana uxore mea, renuntiante hac refutante mihi in hoc omnem jus ſui pignoris, ypothece dotis, & donationis ſue propter nuptias, & precipue adjutorium Conſulti Vellejani* (32) *Senatus, quod pro mulieribus introductum eſt, & omne juris auſilium, quod in ſubſcripto orto habet quoquo modo, tacite vel expreſſim, generaliter vel ſpecialiter, occaſione dictarum rerum, hac die, mea bona voluntate, pro me, & meis heredibus ac ſucceſſoribus, vendo, & per Johannem Gregorii, quem ad hoc meum Procuratorem coſtituo, inveſtiens poſſeſſionem trado tibi vero Dominico Nycolai, tuiſque heredibus ac ſucceſſoribus, ſicut apparet in cartula locationis, ideſt unum ortum, cum introitu & exitu ſuo, omnibus ſuis utilitatibus & pertinentiis, poſitum ex.... portam Appie, in valle, que vocatur Johannis Judicis* (33), *inter hos fines: a I. latere tenet Monaſterium Sancti Pauli; a II. Peregrina; a III. ego teneo; a IIII. Guilielmus de Saſſo, juris dicti Dñi &c. Hanc venditionem, traditionem tibi facio; eo quod in preſentia....... Scriniarii & teſtium, recipio a te nomine pretii dicti orti IIII. libras proviſinorum Senatus, de quibus me bene quietum voco, renuntians,*

tionis chartula, cautum eſt, ne quis ex Clericis aut Monachis Chriſtianos adigeret ad extremum funeris & ſepulturae honorem ſuis in Templis curandum, ut legitur in Sexto Decretalium lib. 3. tit. 12. cap. 1. Vide ſup. pag. 249. not. (9).

(31) Annis Imperii Friderici II. qui magna ex parte patrimonium Eccleſiae occupaverat, haec quoque charta adnotata eſt, quum tamen adnotari debuiſſet annus I. Pontificatus Innocentii IV. qui Anagniae electus die 24. Junii, Romam venerat ſub finem Octobris ejuſdem Anni 1243.

(32) *Senatus Conſulto Vellejano*, quod M. Silano & Vellejo Tutore Coſſ. latum eſt, cavebatur, ne mulieres virorum obligationes in ſe ſuſciperent, neve actioni, qua viri tenebantur, ſe ſubjicerent. Vide Jo. Vincent. Gravinam Originum Juris Civilis lib. III. de Legibus & Senatus Conſultis cap. LXXI.

(33) *Vallis Joannis Judicis*, quae antea dicebatur Cupula, ut ex Append. num. XII. pag. 401.

Digitized by Google

*tians, me nullo in tempore exceptionem non numerati & non ſoluti pretii opponiturum, tali tenore, quod omni anno, in Aſſuntione Sanƈte Marie, dabis Dño Creſcentio & ſuis heredibus pro pentione X. ſolidos proviſinorum Senatus, & omnia, que in cartula locationis continentur & leguntur, diƈto Dño Creſcentio obſervabitis & adimpletis &c.*

*Petrus de Johanne teſtis.*

*Angelus . . . Petri . . . Jacobus Margarite teſtis.*

*Riccardus Bal . . . . . . . Oddo Frejapanis de Gradelle* (34).

*Ego Angelus Thomaſii Sacri Romani Imperii Scriniarius ſcripſi & conplevi.*

## XXIX.

### Chartula locationis fundi rubl. VII. in agro Albano, ſeu *in Verrano & Luzano ad rivum ſiccum.*

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC.XLVI. Indiƈtione IIII. menſis Martii die XVIIII.* (35). *Ego quidem Laurentius Abbas Venerabilis Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII de Aventino, una cum conſenſu & voluntate* A.D. 1246.

Iii 2

(34) *Frajapani* in tres olim Familias diſtinguebantur, quarum altera, quae a Cincio Leonis junioris filio, Cincii nepote, & Leonis majoris pronepote originem habuit, *de Gradellis* vocabatur, teſte Panvinio. *Haec de Gradellis diƈta eſt, quod forte ejus poſteri ipſius oppidi Domini fuerunt. Habuerunt hi Fregepanii domus trans Tyberim, & eorum monumenta ſeu ſepulcra fuerunt in Eccleſia S. Caeciliae, quorum Clypeus ſive Inſignia diverſa fuerunt a ſuperioribus, ut in ipſis ſepulcrorum lapidibus videtur.* Haƈtenus Panvinius in ſaepe laudato cod. de Gente Fregepania cap. XVIII. Ego vero ſuſpicor, oppidum Gradellae nuſquam fuiſſe; & *Frajapanes de Gradella* ita nuncupatos, propterea quod habitarent *ad Gradellas* not. (26) prope Amphitheatrum Flavium pag. 407. not. (68), ideoque diſtinguendos a *Frajapanibus*, quorum domus erat trans Tyberim.

(35) Neque Imperatoris neque Pontificis anni hoc in Inſtrumento adnotantur; ſed tunc Innocentius IV. Pontificatus annum II. Fredericus vero Annum XXVI. Imperii agebat.

Digitized by Google

*luntate Monachorum dicti Monaſterii, ſcilicet Fratris Jacobi Camerarii ejuſdem Monaſterii, Fratris Raynaldi, & Fratris Pauli, hac preſenti die, ex noſtra bona voluntate, in preſentia Dñi Petri Oddonis Judicis, & mei Berardi Judicis & Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, locamus, & jure locationis poſſeſſionem, quam habetis, infraſcripte terre confirmamus vobis Jacobo Oddonis Judicis pro te, & tamquam legitime perſone Angeli filii tui, pro ipſo Angelo, vita veſtra, & vita filiorum veſtrorum maſculorum legitimorum, ex veſtro legitimo matrimonio natis tantum, & ſi ad mortem veſtram filios legitimos maſculos non habueritis, ſubſcriptam terram relinquatis uni filie veſtre femine, vita ejus tantum, & ſi filios maſculos neque feminam ad mortem veſtram non habueritis, relinquatis uni perſone, que nobis placeat, vita ejus tantum, ideſt unum petium terre ſementaricie VII. ruglorum plus vel minus, poſitum Terratorio Albañ, in Verrano (36) & Luzano ad rivum ſiccum, quam terram Angelus (37) Abbas dicti Monaſterii predeceſſor noſter, una cum Monachis dicti Monaſterii, locaverunt Silveſtro Palatii, & tu, Jacobe, eam emiſtis de noſtro conſenſu, nomine tuo & Angeli filii tui, ab illis, qui eam habuerunt a ſucceſſoribus dicti Silveſtri, cum utilitatibus, & pertinentiis, & accenſibus ſuis, inter hos fines: a I. latere tenet Johannes Burdonis via mediante, que vadit ad caſtellum (38); ab alio eſt cavonus plagiarii; ab alio Petrus Silveſtri; & ab alio eſt rivus ſiccus. Hanc autem locationem vobis facimus; pro eo quod in preſentia ſupradicti Judicis, & Notarii, & teſtium ſubſcriptorum, recipimus a te, pro te & dicto filio tuo, L. ſolidos proviſinorum, de quibus nos bene quietos vocamus; & inſuper annuatim, in Aſſumptione Sancte Marie, promittis pro te, & tamquam legitima perſona filii tui, nobis pro dicto*

(36) *In Verrano & Luzano ad rivum ſiccum.* Vid. pag. 400. not. (47).

(37) De Angelo Abbate vid. ſup. Cap. XVII. pag. 246.

(38) *Caſtellum*, fortaſſe Sabellium, mille circiter paſſus ab Albano diſſitum, de quo vide ſup. pag. 266. not. (60).

Digitized by Google

*dicto Monaſterio, nomine penſionis dicte terre, ſolvere & dare, in noſtro Monaſterio veſtris expenſis referre dimidium ruglum boni frumenti ſine malitia ad ruglum Senatus &c.*

*Alixander Johannis Alixandri teſtis. Petrus Johannis Placidi Scriñ teſtis. Johannes Pauli Jonathe teſtis. Albertus Miniſter Abbatis SS. ALEXII & BONIFATII teſtis.*

*Ego Berardus Dei gratia Sacri Romani Imperii Judex & Scriniarius complevi & abſolvi rogatus.*

## XXX.

JACOBUS Alexianus Abbas Paulo Canonico Norbertinae Familiae Sacram Aedem S. Stephani in *territorio Morinenſi* adminiſtrandam tradit, ea lege, ut illam inſtaurandam curet.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis M. CC. LII. anno vero VIIII. Pontificatus Dñi Innocentii IIII. Pape* 39), *Indictione X. menſis Decembris die XXVIII. Ego Donadeus Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, ductus a Venerabili Patre Dño Jacobo Dei gratia SS. BONIFATII & ALEXII Abbate* (40), *& precibus & rogatu ipſius Dompni Abbatis & Dompni Pauli Canonici ejuſdem Monaſterii, ea, que vidi, & in preſentia mea, & ſubſcriptorum teſtium, ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, fue..unt, publicis litteris pro perpetua memoria ſcribere curavi. Vidi namque, audivi, & interfui, quod dictus Dñs Abbas inveſtivit, dedit, & conceſſit Dompnum Paulum Canonicum SS. BONIFATII & ALE-* A.D. 1252.

(39) Innocentius IV. antea Sinibaldus Tit. S. Laurentii in Lucina Preſbyter S. R. E. Cardinalis, natione Januenſis ex Comitibus Lavaniae, electus Anagniae die 24. Junii 1243. ſedit in Cathedra Apoſtolica annos XI. menſes V. dies XIV. Defunctus eſt die 7. Decembris An. 1254. & ſepultus Neapoli in Eccleſia Cathedrali. Vide Papebrochium in Conatu Chr. Hiſt. ad Catalog. RR. PP.

(40) De Jacobo Alexiano Abbate diximus Cap. XVII. pag. 251.

Digitized by Google

*ALEXII, nomine dicti Monaſterii, & pro ipſo Monaſterio, tenendam* Eccleſiam Sancti Stephani Protomartiris *Chriſti, poſitam in* territorio Morinenſi, ſubtus caſtrum, quod vocatur Morolum (41), *ut ipſe Domnus Paulus rebedificet, & rebedificare faciat, & teneat, & poſſideat ipſam Eccleſiam, cum tenimentis & pertinentiis ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, pro jam dicto Monaſterio SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe, ad mandatum & voluntatem jam dicti Dñi Abbatis, & ſicut ei placuit.*

*Riccardus Gentilis teſtis. Laborator teſtis. Johannes Leonis teſtis. Peluccus teſtis. Oddo Jacobi Gratiani teſtis. Petrus Severini teſtis, & Jacobus Mariani teſtis.*

*Ego Donadeus Petri Rabiei Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, habens poteſtatem dandi tutores curatores, emancipandi, alimenta decernendi, teſtium teſtimonia publicandi, decretum & auctoritatem interponendi, ſcripſi, & in publicam formam redegi.*

## XXXI.

### Emphyteuſis vineolae in *deſcenſu montis de Palio*, hoc eſt, montis Teſtacei ſeu Dolioli.

A.D. 1256. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis M. CC. LVI. anno vero ſecundo Pontificatus Dñi Alexandri IIII. Pape* (42) ....... *menſis Februarii die XX. Ego Georgeus Johannis Berardi, conſentiente in hoc Joga uxore mea, & renuntiante ea in hoc omne jus ſuum ypothe* ...... *s, & donationis propter nuptias, quod habet in ſubſcripta vinea, & omni adju-*

(41) *Morolum* ſeu caſtrum *Morori*, de quo ſup.p.235. not.(34).

(42) Alexander IV. antea Raynaldus S.R.E. Cardinalis Epiſcop. Hoſtien. & Velitren. patria Campanus, de caſtro Gennae in Diocceſi Anagnina, electus R. P. die 25. Decembris Anno 1254. ſedit annos VI. menſes V. Obiit Viterbii die 25. Maji A.D. 1261. Vide Papebroch. in Conatu Chron. Hiſt.

Digitized by Google

*adjutorio legi Senatuſconſulti Vellegani* (43), *quod pro mulieribus eſt introductum, & preſentibus & conſentientibus Donpno Ballo Priore Venerabilis Eccleſie Sancti ALEXII, Fratris Scammii, Fratris Romani, & Fratris Johannis, cujus eſt proprietas ſubſcripte vinee, & recipientibus pro conſenſu XXX. proviſinos, propria mea bona & ſpontanea voluntate, vendo, inveſtiens trado, & inrevocabiliter largiens concedo tibi vero Presbitero Laurentio Sancte Marie de Plumbico* (44), *tuo nomine, tuiſque heredibus ac ſucceſſoribus in perpetuum, ideſt mediam petiam vinee plus vel minus, cum parte de vaſca & vaſcali ſuo, cum omni introitu & exitu ſuo, cum omnibus ſuis uſibus, utilitatibus, ac pertinentiis, poſite in deſcenſu montis de Palio* (45) *inter hos fines: a I. latere tenet Bonusfiliolus Arifex; a II. tenet Ferragutus Gregorii Converſani; a III. eſt via plubeca. Hanc autem venditionem, dationem, & conceſſionem tibi facio pro pretio III. librarum & dimidii bonorum proviſinorum Senatus &c. Et amodo in antea liceat tibi, tuiſque heredibus ac ſucceſſoribus, dictam vineam intrare, tenere, uti, frui, poſſidere, donare, alienare, ex ea facere quicquid*

(43) De Senatus Conſulto Velleјano vid. ſup. pag. 434. not. (32).

(44) Sacra Aedes S. Mariae de *Plumbico*, ſeu *de Publico* nunc vocatur *in Publicolis* in regione S. Angeli, prope palatium Principis de Sancta Cruce, cujus juris eſt. Vide Martinell. Rom. ex Ethnica Sacra. pag. 236.

(45) *Montis de Palio*, hoc eſt, *montis Teſtacei*, ut diximus pag. 226. not. (8). Nam ibi olim celebrabantur Ludi publici, quos vocant *la Corſa del Palio*, quae deinceps ab Arcu Domitiani, nunc a porta Flaminia fit uſque ad Aedes S. Marci a Paulo II. Pont. exaedificatas; in cujus Vita Platina haec narrat: „ Ludi autem erant pallia octo, quae „ curſu certantibus in carnis privio „ proponebantur in ſingulis diebus. „ Currebant ſenes, adoleſcentes, „ juvenes, Judaei &c..... Currebant & equi, equae, aſini, bubali „ tanta cum omnium voluptate, ut „ omnes prae riſu pedites ſtare vix „ poſſent. Curſus autem & ſtadium „ erat ab Arcu Domitiani uſque ad „ Aedes S. Marci „. Martinus V. populum Corneti ſolvit ab onere mittendi cives ſuos ad *Ludos Agonis & Teſtacei*, ut legitur apud Caſimir. *Memorie Iſtoriche de' Conventi de' FF. Minori cap. IX.* De Teſtaceo autem ſeu Doliolo vid. ſup. pag. 225. not. (4).

Digitized by Google

*quid volueritis perpetuo, eo tamen ſalvo, quod omni anno, tempore vindemiarum redentium, dicte Eccleſie redatis quartam partem totius muſti mundi & aquati, quod inde de dicta vinea exierit, & medium caniſtrum uvis, quod ſit in fundo anpium duos palmos, & unum ſummiſſum in altum, & omnia predicte Eccleſie adimpleatis, prout in carta locationis ipſius loci evidenter apparet &c.*

*Teſtes: Presbyter Laurentius S. Marie in Kaccavario* (46), *Laurentius de Rapiſis, Celanus, Ferragutus Gregorii Converſani, Johannes Nicolai de Porticu.*

*Ego Johannes Deus te adjuvet, Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, rogatus complevi & abſolvi.*

## XXXII.

### Chartula locationis horti cujuſdam in *Caſtaniola* extra portam S. Pauli factae Angelo Presbytero Eccleſiae S. Mariae in Coſmedin.

A.D. 1262. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC. LXII. anno ſecundo Pontificatus Dni Urbani Quarti Pape* (47), *Indictione VI. menſis Novembris die XXIII. In preſentia mei Johannis Judicis & Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Dompnus Jacobus Humilis Abbas Venerabilis Eccleſie Sanctorum BONIFATII Martiris & ALEXII Confeſſoris, una cum con-*

(46) *In Kaccavario.* Quae olim Eccleſia S. Mariae, nunc S. Blaſii dicitur in *Caccabario*, vel a loco, quem vulgus *Caccabarium* appellat, forte ab Herculis Muſarum Templo, quod ibi erat, ſeu verius a Caſa Marii, ut notat Martinellus, vel a Familia Romana *de Caccabariis*, ut alii arbitrantur. Vide Flor. Martinell. Roma ex Ethnica Sacra pag. 80. & 187.

(47) Urbanus IV. natione Gallus e Civitate Trecenſi, antea Jacobus Pantaleo Patriarcha Hieroſolymitanus, Viterbii electus R. P. die 29. Auguſti A. D. 1261. ſedit annos III. menſ. I. dies IV. obiit Peruſii 2. Octobris 1264. ibique ſepultus eſt in Templo Cathedrali S. Laurentii. Vide Papebroch. in Conatu Chron. Hiſtor.

Digitized by Google

*conſenſu & voluntate Fratrum ſuorum dicti Monaſterii, ſcilicet Fratris Scambii Prioris, Fratris Pauli, Fratris Romani, Fratris Rayncrii, & Fratris Leonardi, pro ipſa Eccleſia, eorum voluntate propria, locaverunt, & titulo locationis conceſſerunt, & relocaverunt, & poſſeſſionem, quam de ſubſcriptis ſubdicta Eccleſia habet, eidem confirmaverunt &c. Dño Presbytero Angelo Sancte Marie in Coſmedyn* (48), *recipienti nomine dicte Eccleſie & pro ea, in omnibus & ſingulis decem & novem annis complendis & renovandis in perpetuum, incipiendo ab odierna die in antea, ideſt unum & integrum ortum &c. qui poſitus eſt extra portam Sancti Pauli Apoſtoli, in loco, qui Caſtaniola* (49) *nuncupatur, inter hos fines: a I. latere tenet Petrus Salerni, juris Sancti Pauli; ab alio eſt rigus major; ab alio tenet dicta Eccleſia Sancte Marie; ab alio eſt forma. Pro qua quidem renovatione ſeu relocatione dicti Dompnus Abbas & Fratres, nomine dicte Eccleſie SS. BONIFATII & ALEXII, nomine mercedis & relocationis, receperunt a dicto Dño Presbytero Angelo, de pecuniis dicte Eccleſie Sancte Marie, & pro ipſa Eccleſia, XV. ſollos bonorum proviſinorum Senatus &c. Hanc autem relocationem, ut dictum eſt, dicto Dño Angelo Presbytero, nomine dicte Eccleſie Sancte Marie, dicti Abbas & Fratres fecerunt; pro eo quod dictus Presbyter Angelus, nomine dicte Eccleſie Sanctorum ALEXII & BONIFATII, promiſit dare & ſolvere dictis Dño Abbati & Fratribus, de pecuniis dicte Eccleſie Sancte Marie & pro ea, nomine pentionis dicti orti, in Feſto dicte Eccleſie*



(48) Eccleſia S. *Mariae in Coſmedin*, quam a Graeco vocabulo Κοσμητὶς ſic appellatam putat Dominicus Macri in Hierolexico, dicebatur olim *Schola Graeca*, ſive a vico, quem Graeci incolebant, ſive a Graecis Litteris, quibus Romana juventus illic imbuebatur; unde etiam Schola S. Auguſtini dicta eſt. Vid. Flor. Martinell. pag. 213. & Marium Creſcimbenum in *Iſtoria della Baſilica di S. M. in Coſmedin.*

(49) De *Caſtaniola* vide ſupra pag. 227. not. (10).

*Sancti ALEXII annuatim, VI. bonos proviſinos Senatus* (50), *& VI. alios bonos proviſinos, nomine pentionis cujuſdam grypte ſive domus, quam jure locationis dicta Eccleſia Sancte Marie detinet a dicta Eccleſia Sanctorum BONIFATII & ALEXII; & promiſit, quod, priuſquam dicti XIX. anni tranſacti erunt, dictam renovationem pro dicta Eccleſia petere, & cum dicta renovatione dictam quantitatem XV. ſollorum dare pro relocatura predicta, & ſic per ſingulos XIX. annos in perpetuum.*

*Andreas de Gregorio teſtis. Creſcibene Barberius teſtis. Nicolaus Aratarius teſtis. Jacobus de Molella teſtis. Jacobus, qui dicitur Januarius, teſtis.*

*Ego Johannes Dñi Deus te adjuvet, Sancte Romane Eccleſie Judex & Scriniarius, rogatus complevi & abſolvi.*

## XXXIII.

RAYNALDUS Abbas Sancti ALEXII Dñae Mabiliae Guidonis Aſtaldi, ejuſque filiis & nepotibus, uſque in tertiam generationem, vineta duo concedit ad montem Teſtaceum, receptis iccirco proviſinorum libris decem, quas erogandas promittit in Alexiani Templi & Coenobii inſtaurationem.

A.D. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo*
1265. *CC. LXV. anno primo Pontificatus Dñi Clementis Pape* (51), *Indictione IX. menſe Septembris, die VI. In preſentia Dño-*

(50) De proviſinis Senatus diximus pag. 199. not. (28), & pag. 247. not. (3).

(51) Clemens IV. ex Provincia Galliae Narbonenſis de villa S. Aegidii, antea Guido Groſſus S. R. E. Card. Epiſc. Sabinenſis, abſens ob Anglicanam Legationem, electus eſt. R. P. die 30. Auguſti A. D. 1264. ſed ſuae ipſius electioni conſenſit tantum die 6. Februarii A. D. 1265. Sedit annos III. menſes IX. dies XXIV. Mortuus eſt Viterbii die 29. Novembris A. D. 1268. ibique ſepultus in Templo FF. Ord. Praedicat. poſt cujus obitum vacavit Sedes annos II. menſes X. dies 27.

Digitized by Google

*Dñorum Maximi Petri Oddonis & Johannis Porcarii Judicum, & me Leonardi Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Religioſi & Diſcreti Viri, Frater Raynaldus Abbas* (52) *Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, & ejuſdem Monaſterii Conventus ſeu Capitulum, ſcilicet Frater Simeon Prior, Frater Romanus, Frater Rayncrius, & Frater Leonardus, Canonici dicti Monaſterii, pro eis & aliis Canonicis ejusdem Monaſterii, nomine ipſius Monaſterii, eorum bona voluntate, locaverunt &c. Dñe . . . . . lie . . . . olim Guidonis Tici Aſtaldi* (53), *& legitimis filiis ſuis, & nepotibus ſuis ex eis procreandis maſculis tantum, ideſt in tertiam generationem, ideſt duas petias vinee ad hereditatem &c. poſitas in Teſtacia* (54); *quibus a duobus lateribus tenet Eccleſia Sancte Marie de Aventino, & ab alio eadem Eccleſia, juris ejuſdem Monaſterii, a IV. via &c. Hanc autem locationem &c. predicti Abbas & Canonici dicte Dñe Mabilie fecerunt; pro eo quod in preſentia dictorum Judicum, & mei Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum confeſſi ſunt, ſe recepiſſe pro dicto Monaſterio a dicta Dña pro dicta locatione decem libras bonorum proviſinorum Senatus &c. quam pecuniam dicti Abbas & Canonici intendunt & promictunt erogare in refectione tectorum Eccleſie & domorum dicti Monaſterii; & pro eo quod promiſit dicta Dña Mabilia, pro ſe, ſuiſque filiis & nepotibus, ipſis Abbati & Canonicis, ſuiſque ſucceſſoribus omni anno dare in Feſto S. BONIFATII ſex proveſinos, nomine penſionis & cenſus &c.*

*Teſtes: Petrus Mirabilioſi, Angelus Bulticonis, Omniaſanctus Romani Falconcelli, Petrus Muſca in denti, Johannes Bonus Homo.*

Kkk 2 *Ego*

(52) De Raynaldo Alexiano Abbate vide ſupra Cap. XVII. pag. 252.

(53) *Dña Mabilia jam uxor Guidonis Aſtaldi* ſeu Aſtallii, de cujus antiqua Familia Romana diximus ſup. pag. 418. not. (90).

(54) *In Teſtacia*, hoc eſt, vineas ad planitiem montis Teſtacei, quae poſtea commutatae ſunt cum fundis *Oliarii* in agro Albano, ut ex Actis inferius afferendis App. num. LII.

*Ego Leonardus Jacobi Rubei Sanƈte Romane Eccleſie Notarius, quia prediƈtis interſui, rogatus ſcribſi, & in publicam formam redegi.*

## XXXIV.

Chartula locationis horti & vineolae in *hortis Praefeƈtis* extra portam S. Pauli.

A.D. 1266. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto, anno ſecundo Pontificatus Dñi Clementis Pape Quarti, Indiƈtione nona, menſe Madii die ſeptimadecima. In preſentia mei Leonardi Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Religioſi & Diſcreti Viri, Frater Raynaldus Abbas Venerabilis Monaſterii Sanƈtorum BONIFATII & ALEXII, & ejuſdem Monaſterii Capitulum ſeu Conventus, ſilicet Frater Simeon Prior, Frater Romanus, Frater Raynerius, Frater Leonardus, Frater Alexius, & Frater Marianus, Canonici diƈti Monaſterii, nomine ipſius & pro eis, bona voluntate, locaverunt & conceſſerunt Margarite uxori Nicolay Johannis de Silice pro ſe, ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus perpetuo, tenore ſubſcripto, & jure locationis de ſubſcriptis voluerunt eam inveſtiri &c. per Johannem Silicis ſocerum ſuum &c. confirmantes eidem nichilominus poſſeſſionem & tenutam, ſiquam inde habet, ipſique Margarite etiam conſenſerunt venditioni faƈte ſibi de prediƈtis a Paulo de Sambuca, ut patet Inſtrumento ſcripto per Nicolaum Scriniarium, recipientes pro conſenſu duos ſollidos proviſinorum, ideſt quatram ſeu quartam partem unius petie vinee diƈti Monaſterii &c. poſite extra portam Sanƈti Pauli in ortis Prefeƈtis* (55); *cui a primo latere tenet Eccleſia Sanƈte Sa-*

(55) *In hortis Praefeƈtis*, de quibus vid. ſup. pag. 228. not. (12). pag. 402. not. (51), & infra App. num. XXXIX. & XLII.

*Sabine (56), a ſecundo Petrus Scionus, juris dicti Monaſterii, a III. a IIII. eſt viculus publicus. Item & medietatem unius orti poſiti ibidem &c. cui a primo latere tenet dicta Eccleſia Sancte Sabine, a II. dictus Petrus Scionus, juris dicti Monaſterii, alteram medietatem orti diviſam a dicta medietate... III. Monaſterium Sancti Pauli, a IIII. rivus &c. Hanc locationem, & que dicta ſunt, ei fecerunt; pro eo quod omni anno, in Feſto Sancti ALEXII, teneatur, & promiſit ipſa pro ſe, & ſuis heredibus & ſucceſſoribus, annuatim dicto Monaſterio nomine penſionis duodecim proviſinos &c.*

*Teſtes: Oddo filius Gregorii de Fovea, Johannes Oſtiarius Monaſterii Sancti ALEXII, Thomaſſus Salvate.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei Sancte Romane Eccleſie Notarius, quia predictis interfui, rogatus ſcribſi & conplevi.*

## XXXV.

### Teſtamentum CRESCENTII *Domni Leonis*, qui Monachis Alexianis relinquit vallem, quae vocatur *Joannis Judicis*, & centum ſolidos proviſinorum *pro ſubtractis & male ablatis.*

*IN Dei nomine, amen. Anno Domini ab Incarnatione ejus millesimo ducenteſimo LXXI. Indictione XV. menſe Septembris, die ultima ejuſdem menſis, Apoſtolica Sede Paſtore vacante* A.D. 1271.

(56) *Eccleſia S. Sabinae*, in qua nunc divinis vacant officiis Dominicani, qui ſtrictioris diſciplinae normam praeferunt, jam tum pertinebat ad Religioſos ejuſdem Ordinis, quibus Honorius III. non modo Templum ipſum, ſed & partem ſuarum aedium dederat ad Coenobium conſtruendum ſeu ampliandum, ut legitur in Hiſt. S. Dominici part. prima lib. 1. cap. 31. Iſthic erat domus S. Sabinae Martyris, quam Conſtantinus Magnus, ut vulgaris fert opinio, in Templum commutavit. At vetus muſiva Inſcriptio, quae ibi adhuc exſtat, Templi auctorem memorat Petrum quemdam Illyricum, Caeleſtino I. Pontifice, quemadmodum legitur etiam in Vita Sixti Papae III. apud Anaſtaſium, ut diximus Cap. II. pag. 13. & 14. not. (20). Conſulatur Doctiſſimus Ciampinus cum cap.

Digitized by Google

*cante* (57). *Ego Creſcentius Dñi Leonis Johannis Judicis, infirmus corpore, ſanus tamen mente & pura conſcientia, cum inteſtatus decedere nolens, preſens teſtamentum michi condo & facio nuncupativum, hoc eſt, ſine ſcriptis, vel ſollempniter Civili Jure, coram Magiſtro Nicolao Scriniario, & VII. ſubſcriptis teſtibus ad hoc a me ſpecialiter vocatis & rogatis, videlicet: In primis inſtituo michi heredes pauperes Chriſti, quibus relinquo jure inſtitutionis C. ſolidos proviſinorum Senatus; & ſint contenti, & plus de bonis meis non petant. Item volo atque precipio, quod ſatisfiat de bonis meis omnibus illis perſonis, quibus teneor ex teſtamento Dñi Leonis patris mei quondam. Item relinquo Monaſterio Sancti Sebaſtiani in Catacumba montem, qui dicitur Johannis Judicis. Item relinquo Monaſterio Sancti ALEXII de Urbe vallem, que vocatur Johannis Judicis, ita tamen, quod diſcernatur & determinetur, quod ſi aliquis ex dictis Monaſteriis haberet aliquod jus pluſquam aliud ex dictis Monaſteriis in dictis monte & valle, quod illud ſit ei ſalvum; & hoc teneantur infraſcripti mei executores ducere ad effectum. Item relinquo Monaſterio Sancti ALEXII pro ſubtractis & male ablatis C. ſolidos proviſinorum. Item volo atque precipio, quod Preceptor Hoſpitalis Sancti Spiritus de Urbe* (58), *qui per*

cap. 13. de Sac. Aedificiis a Conſtantino Magno conſtructis, tum Vet. Monument. parte prima cap. 21. item *Montfaucon* Diar. Ital. cap. XII. & Martinell. Rom. Sac. pag. 297.

(57) Vacavit quidem Sedes Apoſtolica poſt obitum Clementis IV. annos II. menſes X. dies 27. ut diximus pag. 442. not. (51). ſed die ultima Septembris An. 1271. quo hujuſmodi chartula conſcripta fuit, minime vacabat. Nam Gregorius Papa X. jam electus fuerat die prima ejuſdem menſis. Quia vero Sanctus Pontifex ſuae ipſius electioni conſenſit tantum die 27. Octobris, & nonniſi die 27. Martii 1272. coronatus eſt; iccirco Acta publica eo temporis intervallo habebantur, tanquam Sede vacante.

(58) *Praeceptor Hoſpitalis S. Spiritus*, Bernardus nomine, ut ex Inſtrumento ſequenti; hinc ſuppleri poteſt ſeries ejuſmodi Praeceptorum apud *Petrum Saulnier*, qui lacunam reliquit ab Anno 1255. ad An. 1272. inter *Accurimbonum* & *Joannem* Praeceptores S. Spiritus. Vide Fr. Petri Saulnier Diſſertat. de Capite Sacri Ordinis S. Spiritus, cap. 6. arg. 5. pag. 34. edit. Lugduni 1659.

Digitized by Google

*per tempora fuerit in ipſo Hoſpitali, Frater Adinulfus de Ponticello de Ordine Fratrum Minorum, ſi tunc vixerit ſeu eſſet in Urbe in loco Fratrum Minorum de Urbe, alioquin loco ejus ſit Guardianus ejuſdem loci Fratrum Minorum, Prior* (59) *Eccleſie S. Sabine, qui per tempora fuerit, de Ordine Fratrum Predicatorum ſint executores hujus mei teſtamenti & fideicommiſſarii; quibus do plenam & liberam poteſtatem & arbitrium p..... & exigendi omnia mea bona mobilia & immobilia, jura & actiones a quibuſcumque detentoribus, tam in Judicio quam extra, & ea poſſint diſtrahere, vendere, & alienare, & poſſeſſionem tradere de omnibus meis bonis, detractis tamen dictis legatis vel relictis, que ſpecialiter ſunt relicta, in quibus eorum alienatio, venditio, & diſtractio locum non habeat, niſi quod ſecundam.... ſpecialiter continetur. Item volo & precipio, quod quodlibet dictorum Monaſteriorum & Eccleſiarum, quibus aliquid ſuperius reliqui, teneantur Abbas, & Monachi, & Clerici dictorum locorum annuatim celebrare Anniverſarium pro ſalute anime mee, ſilicet cum vigiliis, matutinis, & miſſis, & veſperis; & hoc ſpeciali teneantur ſacramento; & de hiis predictis meis executoribus curam & cautelam ydoneam facere teneantur. Item relinquo pro muris* 60) *Urbis*

(59) Prior Coenobii S. Sabinae eo anno erat F. Jacobus Bovaczanus, ut infra pag. 448. Ord. S. Dominici, ut ſup. not. (56) pag. 445.

(60) *Pro muris Urbis*, quorum ſubverſionem Poggius Florentinus ad Nicolaum V. Pont. lib. primo de Varietate Fortunae ſic deſcripſit: „ Urbis moenia ita multiplici clade „ afflicta, ita a fundamentis eruta, ut „ nedum locus eorum priſtinus, ſed „ nedum veſtigium quidem ullum „ aſpiciatur, omnium veterum mu- „ rorum ſublata memoria. Nam ea, „ quae cernis lateritia, nova ſunt, „ & poſt octingenteſimum annum, „ deletis prioribus, primum ab Ha- „ driano inchoata, collato ab Etru- „ riae populis centum auri pondo, „ tum a Gregorio uno, & item ab al- „ tero e Pontificibus perfecta. Unde „ & diverſorum Pontificum opus va- „ riam reddit murorum formam. An- „ tiqua moenia ex quadrato lapide „ poſt incenſam a Gallis Urbem con- „ ſummata Livius tradit &c. Vide lib. de Mirabilibus Romae a Franciſco Albertino editum Flor. 1515. Donatum de Urbe Roma lib. I. cap. XVIII. XIX. & XX. & Nardinum Rom. Ant. lib. 1. cap. VIII.

Digitized by Google

*Urbis XII. proviſinos. Et hec eſt ultima mea voluntas, & ultimum meum teſtamentum, quod & quam poſt mortem meam in perpetuum obſervari volo atque precipio &c.*
*Frater Alamandus de Banioreja* (61) *Ordinis Fratrum Minorum teſtis. Frater Thomas Jud. Ordinis Predicatorum teſtis. Frater Paulus Miliarus ejuſdem Ordinis teſtis. Leuctius Dni Johannis Judicis teſtis. Nicolaus Zanconus teſtis. Paulinus Sutor teſtis. Petrus de Marco teſtis.*

*Ego Magiſter Nicolaus Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, rogatus ſcripſi, & in publicam formam redegi, & ſignum nominis mei feci.*

## XXXVI.

JOANNES Abbas immittitur in poſſeſſionem antedictae vallis Joannis Judicis extra portam Appiam.

A.D. 1271. *IN Dei nomine, amen. Anno Domini ab Incarnatione ejus milleſimo ducenteſimo LXXI. Indictione XV. menſe Octubris, die XXX. ejuſdem menſis, Apoſtolica Sede Paſtore vacante* (62). *In preſentia mei Magiſtri Nicolai Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum Dnus Petrus Conſulinus Judex, Procurator conſtitutus ad infraſcripta faciendum a Religioſis Viris, ſilicet Fratre Bernardo Preceptore Hoſpitalis Sancti Spiritus, Fratre Adinulfo de Ordine Fratrum Minorum, & Fratre Jacobo Bovaczano Priore Sancte Sabine de Ordine Fratrum Predicatorum, executo-*

(61) De *Banioreja*, ideſt de civitate Balneoregii, quae nunc vocatur *Bagnarea*, patria S. Bonaventurae Cardinalis & Eccleſiae Doctoris ex eodem Ordine FF. Minorum. De Balneoregii antiquitate conſ lantur Petrus Romanus lib. 4. Pentalitologiae, Leander Alberti in Deſcript. Italiae, ubi de Faliſcis, & Ughellius in Epiſcopis Balneoregien. Ital. Sac. tom. 1.

(62) Cur annus primus Pontificatus Gregorii Papae X. adnotatus ſit in Actis, tanquam Sede vacante, jam diximus ſup. not. (57). pag. 446.

Digitized by Google

*cutoribus teſtamentariis & fideicommiſſariis Dñi Creſcentii Leonis Johannis Judicis &c. accedens perſonaliter una cum Religioſo Viro Dompno Johanne Abbate* (63) *Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII Confeſſoris, & teſtibus infraſcriptis ad locum ſeu tenimentum terrarum, ortorum, & vinearum, quod dicitur vallis Johannis Judicis* (64), *poſitum extra portam Appiam &c. inveſtivit & in poſſeſſionem miſit prephatum Abbatem, nomine dicti Monaſterii & pro eo, de quadam turricella poſita in dicta valle, & de accaſamentis dirutis poſitis juxta eam, & de terris, vineis, & ortis, & canapinis, & cum arboribus fructiferis & infructiferis in predictis exiſtentibus in dicta valle, cum introitibus & exitibus conſuetis eorum, poſſeſſis olim a Dño Creſcentio bone memorie ſupradicto, filio quondam Dñi Leonis Johannis Judicis, & cum omnibus eorum pertinentiis, uſibus, & utilitatibus: que omnia dictus Dñus Creſcentius reliquid in ſuo ultimo teſtamento Monaſterio ſupradicto. Fines quarum rerum hii ſunt: a primo latere tenet Monaſterium Sancti Pauli; ab alio eſt via vicinalis, que vadit ad Vivarium, & de ſubtus eſt quedam alia via; ab alio eſt Formellum, & per ipſum Formellum pervenitur ad quandam fractam; deinde ab ipſa fracta pervenitur ad quendam limitem, ubi eſt ſimiliter fracta; qui limes dicitur eſſe finis inter Monaſterium Sancti ALEXII predictum, & montem* (65) *Monaſterii Sancti Sebaſtiani; deinde ab ipſo limite pervenerunt ad quendam alium limitem, ubi ſunt pedes quarundam cerquarum parvarum; qui limes reſpicit ad alium limitem ſub ſe poſitum; qui limes poſtea dividit montem Sancti Sebaſtiani a dicta valle; in quo limite ſunt plures fines marmori infixi &c.*

*Magiſter Adinulfus teſtis. Jacobus Andree Clericus Sancte Ana-*



(63) De Joanne Alexiano Abbate vide Cap. XVII. pag. 252.

(64) *Vallis Joannis Judicis*, de qua ſupra num. XII. XXVIII. & XXXV. atque infra num. XXXVIII.

(65) Scilicet *montem Jo. Judicis*, qui ex hereditate ejuſdem Creſcentii Domni Leonis, ut ex num. XXXV. pervenit ad Monachos Ciſtercienſes S. Sebaſtiani, de quibus ſup. not. (23) pag. 431.

Digitized by Google

*Anaſtaſie teſtis. Leonardus Jacobi Rubei Scriniarius teſtis. Johannes Bonuccii teſtis. Leonardus Silveſtri teſtis.*

*Ego Magiſter Nicolaus Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, rogatus ſcripſi, & in publicam formam redegi de mandato dicti Judicis, & rogatu predicti Dñi Abbatis omnia predicta, quia hiis omnibus ſupradictis interſui, & ſignum nominis mei feci.*

## XXXVII.

Charta locationis, factae Monialibus Sanctae Mariae de Maxima, vinearum aliquot extra portam Appiam *ſupra S. Mariam, ubi Dominus apparuit.*

A.D. 1273. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimotertio, tempore Dñi Gregorii Decimi Pape* (66), *Indictione prima, menſe Aprilis, die viceſimaſexta. In preſentia mei Leonardi Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter ....... & rogatorum, Religioſi & Diſcreti Viri Dñs Johannes* (67) *Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, & Capitulum ſeu Conventus ejuſdem, ſilicet Frater Raynerius, Frater Petrus, Frater Landulfus, Frater Andreas, Frater Antonius, & Frater Guido, Canonici dicti Monaſterii, pro ſcipſis & dicto Monaſterio, locave-*

(66) Gregorius X. Placentinus, antea Theobaldus Archidiaconus Leodienſis, Viterbii electus R. P. die 1. Septembris A. D. 1271. quum ipſe abeſſet, & in Palaeſtina verſaretur, electioni aſſenſum praebuit die 27. Octobris, ut diximus not. (57). Vixit annos IV. menſes II. dies XV. Obiit Aretii die 7. Januarii 1276. ibique marmoreo in ſepulcro conditus eſt, cui inſculptum hoc olim legebatur Epitaphium.

*Gregorius denus, virtutum luce ſerenus,*
*Dormit in hac arca, dignus Romae Patriarcha.*
*Quem genuit Placenza, urbs Aretina tenet.*

(67) De Joanne Abbate vid. Cap. XVII. pag. 252.

Digitized by Google

*caverunt & conceſſerunt Religioſis Mulieribus, Dñe Scolaſtice Abbatiſſe Venerabilis Monaſterii Sancte Marie de Maxima (68), & Dñe Aldrude Prioriſſe, Dñe Lucie, & Dñe Margarite, Monialibus dicti Monaſterii, pro ipſo Monaſterio Sancte Marie de Maxima, earumque ſucceſſoribus in perpetuum, ideſt quatuor petias vinearum, videlicet terram earum, quam dicte Dñe Abbatiſſa & Moniales confeſſe ſunt eſſe juris & proprictatis dicti Monaſterii Sancti ALEXII; que poſite ſunt extra portam Appiam ſupra Sanctam Mariam, ubi Dominus apparuit, ſub hiis finibus: a primo latere tenet Eccleſia Sancte Lucie de Septem Solgiis (69); ab alio tenet Gregorius Ciczaronis, juris dicti Monaſterii Sancti ALEXII; ab alio via. Quam locationem eis fecerunt tali tenore, quod annuatim, in Feſto Sancti ALEXII, perpetuo predicte Dñe Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii Sancte Marie promiſerunt predictis Dño Abbati & Canonicis, ac teneantur ipſe & earum ſucceſſores dare & ſolvere ipſi Monaſterio Sancti ALEXII pro penſione quatuor bonos proveſinos &c.*

*Teſtes: Leonardus de Albericis* (70) *Scriniarius, Petronus de Leto, Petrus de Ruſtico.*

(68) ***Monaſterium S. Mariae de Maxima***, nunc S. Ambroſii ad forum Piſcarium, a ſolo fecerunt Moniales Ord. S. Benedicti. Vid. Martinell. Rom. Sac. pag. 54.

(69) ***S. Luciae de Septem Solgiis***, hoc eſt, in Septiſolio ſeu Septizonio, Templum fuit donis olim opulentiſſimum & opere magnificentiſſimum; in quo, ut fertur, electus eſt R. Pontifex Gregorius IX. Dicebatur etiam ad Septem Vias; ejuſdemque ſitus deſcribitur ab Anonymo IX. ſaeculi apud Mabillon. tom. 4. Analect. pag. 502. ***Ad Septem Vias: ibi S. Lucia & Septizonium, in ſiniſtra Circus Maximus, in dextera Palatinus.*** Et quidem ibi nunc quoque viarum divortia ſunt; & in parvo tractu ſeptem diductae viae numerantur, ſcilicet ad Arcum Conſtantini, ad SS. Joannem & Paulum, ad portam Capenam, ad S. Balbinam, ad portam Hoſtienſem, ad Circum Maximum, atque ad S. Bonaventuram, ut jam obſervavit *Montfaucon* Diar. Ital. cap. X. pag. 146.

(70) Familiam de Albericis jampridem in Urbe prope Amphitheatrum Flavium habitaſſe, ex eo conjicio, quod A. D. 1145. Eugenio III. Pontifice die XX. Septembris, *Odo filius*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei Sancte Romane Eccleſie Notarius, quia predictis interſui, rogatus ſcribſi & conplevi.*

## XXXVIII.

### Chartula donationis factae ALEXIANO Coenobio de quibuſdam vineis, hortis, & turri in antedicta valle Joannis Judicis.

A.D. 1274. *IN nomine Dñi. Anno Dominice Incarnationis MCCLXXIV.* (71), *Indictione ſecunda, menſis Martii die XII. Ego quidem Petrus filius & heres quondam Henrici Johannis Romani, data a me pace nomine Sacramenti & Chriſtiane Fidei, de infraſcriptis omnibus & ſingulis obſervandis, nec retractandis ratione minoris etatis, ſeu qualibet alia cauſa, hac die preſenti, mea bona voluntate, non cauſa mortis, ſet titulo donationis inter vivos, dono &c. tibi vero Fratri Petro Canonico Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, nomine ipſius Monaſterii, & pro eo, & ejus ſucceſſoribus in perpetuum, ideſt omnes vineas meas, ſilicet XX. petias, & ſi plures ſunt, & omnes ortos meos cum turricella ibidem, poſitos extra portam Appiam in loco, ubi dicitur vallis Johannis Judicis* (72): *que*

omnia

*filius q. Saſſonis Jo. Alberici a Coloſſeo vendit unam petiam vineae extra portam S. Joannis*, ut legitur tom. 13. mſs. DD. de Aſtalliis num. 283. Theodorus autem Amidenus ex Urbe Veteri ſuis fere temporibus Romam traductam narrat his verbis: *La Famiglia degli Alberici è nobile, ed altrettanto antica in Orvieto, quanto nova in Roma.... è conſiderabile molto, che li Veſcovi pro tempore d'Orvieto ricevono il poſſeſſo temporale dalla Famiglia Alberici, come padroni della Chieſa; alla quale perciò è dovuta la mula, che cavalca il Veſcovo nell'entrata, che fa nella città; e ſtà in queſto poſſeſſo dall'Anno* 1140. *ſenza interruptione &c.* Vid. Theod. Amidenum in ſaepe laudato mſ. cod. Biblioth. Caſanat. num. 283. de Rom. Familiis.

(71) Annus erat III. Pontificatus Gregorii X. Cur autem praeter morem hic minime adnotatus fuerit, ſane non video.

(72) *Vallis Jo. Judicis*, de qua ſup. not. (64) pag. 449.

Digitized by Google

*omnia fuere dicti quondam patris mei &c. Fines vero ſunt hii: a I. latere tenet Monaſterium Sancti Pauli; a II. Monaſterium Sancti Sebaſtiani; a III. eſt vallis cardoſa; a IV. via publica &c. Hec autem donationem, & que dicta ſunt, tibi vice & nomine dicti Monaſterii, & ad ejus opus & utilitatem, ut dictum eſt, facio ex reverentia & devotione, quam in Beatiſſimis BONIFATIO & ALEXIO, & eorum Monaſterio habeo, & melius in antea habere ſpero, & pro animabus dicti quondam patris mei & matris mee, & pro remuneratione peccatorum eorundem &c.*

*Teſtes: Petrus filius Dñi Judicis Maximi* (73), *Leonardus Jacobi Rubei, Paulus Johannis Angeli, & Bartholomeus Johannis Euangeliſte teſtis.*

*Ego Johannes de Rapiczis, Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Scriniarius, predicta ſcripſi & complevi rogatus &c.*

## XXXIX.

ASCANIUS Abbas SS. BONIFACII & ALEXII, receptis proviſinorum libris octo, aſſentitur venditioni ejuſdem vineolae in *hortis Praefectis*.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Apoſtolica Sede Paſtore vacante* (74), *Indictione quinta, menſe Madii, die viceſimaquinta. In preſentia mei Leonardi Jacobi Rubei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Religioſi Viri, Dñs Frater Scambius* (75) *Abbas Monaſterii Sanctorum* A.D. 1277.

(73) *Judicis Maximi*, ſcilicet Henrici Judicis, forſan ex Familia de Maximis, de qua agit Panvinius in mſ. codice Biblioth. Vaticanae n. 6168. Vid. ſup. pag. 320.

(74) *Sede vacante* per obitum Joannis XXI. natione Portugallenſis, qui electus die 16. Septembris Anno 1276. obierat Viterbii die 16. Maji A. D. 1277.

(75) *Scambius* ſeu Aſcanius Abbas S. Alexii, de quo ſupra Cap. XVII. pag. 253.

Digitized by Google

*ctorum BONIFATII & ALEXII ....... Conventus ejuſdem; ſilicet Frater Raynerius Prior, Frater Boniſatius, Frater Antonius, & Frater Petrus, Canonici dicti Monaſterii, pro ipſo Monaſterio, bona voluntate, conſenſerunt venditioni &c. facte Jacobo filio Bartholomei Scorſolini a Margarita uxore Nicolay Johannis Silcis, de quatra ſeu quarta parte unius petie vinee vetule plus vel minus, cui a primo latere tenet Lombardus, juris Sancte Sabine, a ſecundo Petrus Scionus, juris dicti Monaſterii Sancti ALEXII, a tertio viculus, a quarto Petrus Johannis Alexandri, & de uno petiolo paſtini, in quo olim fuit ortus, cui a primo latere tenet Eccleſia Sancte Sabine, a ſecundo dictus Petrus Scionus, juris dicti Monaſterii Sancti ALEXII, a III. Monaſterium Sancti Pauli, a IV. eſt rivus, que omnia poſita ſunt extra portam Sancti Pauli in ortis Prefectis (76), in proprietate dicti Monaſterii Sancti ALEXII, que venditio facta apparet pro octo libris proviſinorum (77), ut continetur Inſtrumento ſcripto per Munaldum Ancontani Notarii; quia receperunt ab eadem Margarita duos ſollos proviſinorum pro conminu; & quia dictus Jacobus promiſit & teneatur dicto Monaſterio obſervare & adimplere omnes tenores carte locationis facte de predictis dicte Margarite, ſcripte per me eundem Notarium Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimoſexto, anno ſecundo Pontificatus Dñi Clementis Pape IV. Indictione nona, menſe Madii, die ſeptimadecima, videlicet quod omni anno dabit & ſolvet dicto Monaſterio, in Feſto Sancti ALEXII, nomine penſionis, duodecim proviſinos &c.*

*Teſtes: Munaldus Scriniarius, Egidius Speciarius, Leonardus Johannis, & Magiſter Jacobus Guarnerii.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei, Sancte Romane Eccleſie Notarius, predictis interfui, & ea ſcribſi & complevi.*

Charta

(76) *In hortis Praefectis*, de quibus vid. not. (51) pag. 402.

(77) De proviſinis vid. not. (50) & infra not. (83).

Digitized by Google

# XL.

## Charta venditionis, factae Canonicis Sanctae Mariae Novae de Urbe, vinearum aliquot *ad Formellum* extra portam Appiam, quarum directum dominium pertinebat ad Alexianos Monachos.

*............ Incarnationis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo, Pontificatus vero Dñi Nicolay T... (78) P. ........ Indictione ſexta, menſe Januarii, die viceſima ........ & mei Leonardi Jacobi Rubei Notarii, qui hec omnia de voluntate p....... teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum ...... enſu & voluntate Dñe Nimſe matris ſue, & Dñe Romane uxoris ſue &c. hac preſenti die, propria & ſpontanea ſua bona voluntate ...... dit, & titulo venditionis conceſſit Diſcreto & Religioſo Viro Dompno Bono Priori* (79) *Eccleſie Sancte Marie Nove de Urbe, recipienti vice & nomine ipſius Eccleſie & pro ea in perpetuum, ideſt duo tenimen......us ſunt vinee & orti, poſita extra portam Appie in loco, qui dicitur* (80) *Formellus &c. juris Monaſterii Sancti ALEXII, inter hos fines: ab uno latere a pede eſt vicolus... pergit ............ ejuſdem Monaſterii; ab alio latere ſunt vinee tenimenti de Monumento, juris* (81) *ejuſdem Monaſterii; ab alio via carraria, & tenet Eccleſia Sancti Johannis ante* A.D. 1278.

(78) Supplendum *Nicolai III. Papae anno primo*, ut ex dicendis paullo infra not. (84).

(79) *Dompno Bono Priori* ex Canonicis Auguſtinianis, qui tum Coenobium & Templum S. Mariae Novae poſſidebant. Anno autem 1351. utrumque obtinuerunt Monachi Ord. S.B. Congregationis Olivetanae ex Diplomate Clementis VI. Appellabatur olim *S. Maria Minor, & S. Maria Antiqua.* Vid. pag. 254. not. (23), & Martinell. Rom. Sac. pag. 157. & 230.

(80) *Formellus*, de quo ſup. pag. 254. not. (24), & pag. 402. not. (54).

(81) *De Monumento*, fortaſſis Caeciliae Metelli filiae, nunc *Capo di Bove*, extra portam Appiam. Vid. pag. 236. not. (40).

Digitized by Google

*te portam Latinam* (82); *ab alio eſt mons vinearum dicti Monaſterii . . . . . aria, & tenet Simon Velletranus, juris ejuſdem Monaſterii &c. Item dedit, conceſſit, ceſſit . . . . . davit dictus Nicolaus dicto Dño Priori &c. omne jus &c. quod &c. ipſe Nicolaus habuit, & ſibi competit in dictis vineis & ortis &c. ſalvo jure Monaſterii predicti Sancti ALEXII, cujus Monaſterii eſt proprietas predictorum; cui Monaſterio, in Feſto Sancti ALEXII, reddet ipſa Eccleſia Sancte Marie Nove, nomine penſionis, tres ſollos bonorum proviſinorum Senatus &c. Hanc autem venditionem, & omnia & ſingula ſupradicta predictus venditor predicto Dño Priori &c. fecit; pro eo quod in preſentia predicti Judicis, & Gregorii, & mei Leonardi Notariorum &c. predictus venditor recepit a dicto Dño Priore de pecunia dicte Eccleſie Sancte Marie Nove &c. mille libras* (83) *bonorum proviſinorum Senatus &c. Cui predicte venditioni & omnibus & ſingulis ſupradictis Dñus Frater Scambius Abbas Monaſterii Sancti ALEXII, & Frater Raynerius Prior ejuſdem Monaſterii, pro ſe & aliis Fratribus eorum Canonicis ejuſdem Monaſterii, nomine dicti Monaſterii & pro eo, conſenſerunt dicto Dño Priori pro dicta Eccleſia Sancte Marie Nove; pro eo quod receperunt pro conſenſu, nomine conminus, centum ſollos bonorum proviſinorum Senatus, ſecundum tenorem Inſtrumenti predicti dicte locationis dictarum terrarum &c.*

*Teſtes:*

(82) *Eccleſia S. Joan. ante portam Latinam*, in qua tunc divinis vacabant officiis Canonici Regulares, ut narrat Pennotus Hiſt. Trip. lib. 2. cap. 16. *Iſta Eccleſia erat membrum antiquae Congregationis Lateranenſis; verum Canonicis Regularibus ex Baſilica Lateranenſi per Bonifatium VIII. pulſis, etiam iſta Eccleſia ſucceſſu temporis eiſdem Canonicis fuit deſtituta.* Creſcimbenus autem a Canonicis Saecularibus adminiſtratam fuiſſe contendit, quem videſis lib. IV. *Dell' Iſtoria della Chieſa di S. Gio. avanti porta Latina, Rom.* 1716. Nunc eam obtinent Fratres Ordinis Minimorum S. Franciſci a Paula.

(83) De proviſinis diximus pag. 199. not. (28), & pag. 247. not. (3). Si autem proviſinorum libram unam obolis (*bajocchi*) quindecim cum Grimaldo aeſtimaveris, ſubducto calculo, mille librae proviſinorum, quibus haec venditio facta eſt, ſunt ſcuta argentea 150.

*Teſtes: Dñus Maximus Judex, Angelus Dñi Octaviani, Petrus Luce Petri de Roberto, Jacobus de Marcha, Maczioctus Guillelmi.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei Sancte Romane Eccleſie Notarius, predictis interfui, & ea ſcribſi, & in publicam formam redegi, una cum Gregorio Notario ſupradicto.*

## XLI.

Chartula locationis piſcinarum ad ripam Tyberis, aſſentiente ASCANIO Abbate.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC. LXXVIII. Pontificatus Dñi Nicolai Tertii Pape* (84), *Indictione VI. menſe Maji, die quarta. In preſentia mei Petri Henrici Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Diſcretus & Religioſus Vir Dñus Frater Scangius Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, & Conventus ejuſdem Monaſterii, ſilicet Frater Petrus, Frater Bonifatius, Frater Jordanus, Frater Antonius, & alter Frater Petrus, & Frater Bartholomeus, Canonici Monaſterii prelibati, eorum bonis voluntatibus, nomine dicti Monaſterii, & pro ipſo Monaſterio, & pro eis, ad piſcandum, & piſcarias faciendum dederunt & conceſſerunt Sabe Petri Oddonis de regione Sancti Angeli, & Luce Porticario de regione Ripe, preſentibus & recipientibus, piſcarias dicti Monaſterii poſitas in flumine a latere Urbis, in loco, qui dicitur Porticella, ſilicet Palatellum ſtrictum & Columpnellam, & quinque uncias unius piſcarie, que vocatur* A.D. 1278.



(84) Nicolaus III. ex Familia Urſinorum, antea Cardin. Diaconus S.Nicolai in Carcere Tulliano, electus R. P. Viterbii die 25.Novembris An. 1277. Sedit annos II. menſes VIII. dies XXX. Defunctus eſt Soriani die 23. Auguſti A.D. 1280. ſepultus Romae in Baſilica Vaticana; cujus elogium metricum legitur in Chronico F. Franciſci Pipini cap. XX. apud Murat. Rer. Ital. tom. 9. pag. 724.

Digitized by Google

*Farum, poſitas in flumine a latere trans Tiberim, junctas pro indiviſo cum aliis VII. unciis Eccleſie Sancti Salvatoris de Curtibus* (85), *pro quinque annis, incipiendo a Feſto Nativitatis Domini proxime futuro uſque ad quinque annos proximos completos tantum. Hanc autem dationem, conceſſionem, & que dicta ſunt, prefatus Dñus Abbas & Canonici, pro ſe & dicto Monaſterio, jam dictis Sabe & Luce fecerunt; pro eo quod in preſentia mei dicti Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum, ipſi Saba & Lucas, & quilibet eorum in ſolidum, legitime ſtipulantes, eorum bonis voluntatibus, promiſerunt & convenerunt dare & ſolvere jam dictis Dño Abbati & Canonicis, pro ſe ipſis & dicto Monaſterio, & ipſi Monaſterio annuatim XL. ſollos bonorum proviſinorum Senatus, nomine penſionis ſemper in Kalendis menſis Maji, & XIV. laceas bonas, groſſas, ovatas, & tales, que dicto Dño Abbati & Canonicis placeant: de quibus laceis dabunt ac reddent ipſis Dño Abbati & Canonicis VII. laceas annuatim ſemper in Kalendis menſis Aprelis, & alias VII. laceas in medietate dicti menſis Aprelis; & ſi dictas laceas ipſi Saba & Lucas, dictis terminis, prefatis Dño Abbati & Canonicis non dederint ſeu redderint, promiſerunt & convenerunt ipſis Dño Abbati & Canonicis dare & ſolvere per quamlibet laceam IV. ſollos bonorum proviſinorum Senatus, quas ex nunc tantum valere eſtimarunt & poſuerunt &c. Item convenerunt & promiſerunt ipſi Saba & Lucas jam dicto Dño Abbati pro dicto Monaſterio, de propria eorum pecunia reactare & reactari facere ipſas piſcarias, & ſterrare curſus aque ipſarum piſcariarum &c. Acta ſunt hec coram hiis teſtibus, ſilicet Leonardo Jacobi Rubei Scriniario, Leone Adhynulfi, Bonifatio Piſcivendulo, teſtibus.*

*Ego Petrus Henrici Judicis, Auctoritate Sacroſancte Romane*

*Eccle-*

(85) *Eccleſia S. Salvatoris de Curtibus* ſeu de Curte trans Tyberim, antiquiſſima & Parochialis, a Curia illic olim exſiſtente ſic dicta, ut ex leg. XII. Tabul. & ex Actis SS. Marii & Sociorum conjicit Martinellus Rom. Sac. pag. 298.

*Eccleſie Judex & Scriniarius, ſcripſi, conplevi, & abſolvi rogatus.*

## XLII.

### Emphyteuſis alterius horti *in hortis Praefectis* ab eodem ASCANIO Abbate facta.

IN *nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimonono, anno ſecundo Pontificatus Dñi Nicolai Tertii Pape, Indictione nona, menſe Novembris, die duodecima. Nos Frater Scambius Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, & Conventus ejuſdem, ſilicet Frater Petrus Prior, Frater Dominicus, Frater Henricus, & Frater Rogerius, Canonici dicti Monaſterii, nomine dicti Monaſterii, relocamus & concedimus tibi Thome Raynerii, vita tua, & tuorum filiorum maſculorum legitimorum, & nepotum maſculorum legitimorum natorum ex ipſis filiis tuis maſculis legitimis tantum, & pro eis, ideſt unum ortum dicti Monaſterii ad ortum habendum & faciendum tantum, poſitum extra portam Appiam in ortis Prefectis, in valle dicti Monaſterii inter hos fines, ab uno latere tenet Accurſus, ab alio deſuper eſt mons Sancti Pauli & via, ab alio Meulus, omnes juris dicti Monaſterii, reſervato nobis toto canneto, quod eſt a capite dicti orti, quod tu promictis pro te, & tuis filiis & nepotibus bene cultare & incidere, & ligare cannas tuis expenſis; de quo canneto nullam locationem facimus; & non poſſis ire nec venire de dicto orto ad alios ortos, ſet ibis ad ipſum ortum per cancellum cluſe ordinatum; & annuatim, in Feſto Sancte Marie Auguſti, dabitis & ſolvetis, ac dare & ſolvere teneamini nobis ſedecim ſollos proviſinorum, & unam rublicellam bonarum ceparum ad culmum, ad rublicellam Senatus* (86), *dela-* A.D. 1279.



(86) *Ad rublicellam Senatus* ſeu rublitellam, ut vocant, per diminutionem a rublo. Marmoribus autem Capitolinis in aedibus Conſervato-

*delatas veſtris expenſis ad noſtrum Monaſterium, nomine penſionis &c. & dabitis nobis, ac dicto Monaſterio reſervamus quartam partem fructuum arborum & uvarum pergulenſium, que ſunt, & allevarentur ibidem; & omni tempore liceat nobis & noſtris nuntiis ad dictum ortum ire & venire &c. Hanc relocationem, & hec omnia tibi facimus pro quindecim libris proviſinorum, quas a te nomine mercedis confitemur recepiſſe &c.*

*Teſtes: Guerrucius Johannis Pacifici de Benevento, Frater Franciſcus de Reate, Gualterius Petri, Frater Stephanus de Aſtura Oblatus Monaſterii S. ALEXII, Benevenutus Oblatus dicti Monaſterii.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei, Sancte Romane Eccleſie Notarius, conplevi & ſcribſi.....*

## XLIII.

STEPHANUS Abbas Petrum Priorem S. ALEXII Procuratorem conſtituit ad renovandam Stephaniae & Bonizae filiabus Dñae Agnetis emphyteuſim camporum *Oliurii* in agro Albano.

A.D. 1281. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, Apoſtolica Sede Paſtore vacante* (87), *Indictione nona, menſe Februarii, die ſexta. In preſentia Dñi Petri Dñi Maximi Cauſidici, & mei Leonardi Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & ...gatorum, Religioſi & Diſcreti Viri, Dñs Frater Stephanus * Abbas Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALE-*

vatorum Urbis, ubi publicae menſurae ſervantur, *rugitella* ſculptum legitur, ut jam animadvertit Lucas Petus; ex quo *rublitella dimidia pars eſt rubli, conſtans ex ſcortiis decem vel undecim juxta menſurae qualitatem.* Vid. Lucam Petum lib. 2. & 4. de Menſuris Rom. apud Graevium Ant. Rom. tom. XI. pag. 1658.

(87) *Paſtore vacante*; nam Nicolaus III. obierat die 23. Auguſti A. D. 1280. & nonniſi die 22. Februarii 1281. ſuffectus eſt Rom. Pont. Martinus II. quem alii IV. vocant.

* De Stephano Alexiano Abbate vid. cap. XVII. pag. 254.

Digitized by Google

*ALEXII, & Conventus ejuſdem, ſilicet Frater Scambius Prepoſitus, Frater Jordanus, Frater Andreas, Frater Silveſter, Frater Henricus, Frater Johannes, & Frater .... Canonici dicti Monaſterii, nomine dicti Monaſterii ....... conſtituerunt & ordinaverunt eorum & dicti Monaſterii Procuratorem &c. Religioſum Virum Fratrem Petrum Priorem dicti Monaſterii &c. ad relocandum, renovandum ...... nomine dicti Monaſterii & pro eo, Stephanie & Bonize, filiabus olim Dñe Agnetis, filie quondam Dñe Alſanie, filie olim Mathei Scriniarii, filii olim Landulfi de Landulfo Judice, pro ipſis & earum legitimis filiis & filiabus, nepotibus ...... earum legitimis tantum, & ſi ad earum hobitum filios ſeu filias, nepotes aut nepotes ad earum hobitum non haberent, liceat eis relinquere ſubſcriptas res uni perſone in morte earum, que dicte Eccleſie placeat ſine malitia ...... pedicam terre ſementaricie cum via publica infra eam, cum paſcuis & limitibus ſuis, introytibus & exitibus ſuis, omnibuſque utilitatibus & pertinentiis, poſitam in territorio Albanenſi in loco, qui vocatur Oliari, cum ciſternis infra ſe, cujus ...... ab uno latere tenuerunt heredes Pauli Johannis Boni; a ſecundo heredes (88) Johannis Greci, & Judex Ciceronus; a tertio via, que pergit ad ciſternas; a quarto Oliverius & Catanci, & heredes Petri Baronis. Fines vero moderni ...... ab uno latere deſuper tenet Eccleſia Sancte Marie de Aricia (89); ab alio Alexius Leni, & Johannes frater ejus; ab alio eſt baltiolus terre, quam tenent dicte ſorores, qui non venit in iſta locatione; & juxta baltiolum tenet Alexius ...... & ab alio tenet Curia caſtri Sa ..... i; & ab alio via,*

(88) *Heredes Joannis Graeci &c.* Stephania quaedam ſoror Joannis Graeci, & Petrus Stephani Ciceronis jam Anno 1195. poſſederunt fundum *Oliarii*, ut patet ex Litteris Caeleſtini PP. III. quas commemoravimus pag. 257. not. (38), & pag. 310.

(89) *Eccleſia S. Mariae de Aricia*, quam poſtea Alexander VII. ſolo aequavit, quum Templum magnificentiſſimum in honorem Virginis Aſſumptae exſtruxiſſet, ut ex appoſito lapide intelligitur.

DEL-

*via ; & infra dictam pedicam itur via . Item & tres petias vincarum cum duabus canepinis, poſitas territorio Aricie inter hos fines veteres ad vincas : a primo latere tenuerunt heredes Guidonis de Cecca ; a ſecundo Petrus Litulſi & Lambrectus ; a III. Petrus Candulſi & dictus Petrus Litulſi ; a IV. Jacobus Oddonis Franconis. Nunc autem hii ſunt fines : fines unius petii vinee: ab uno latere via carraria, qua itur inter... & ab alio tenet Leonardus de Baſcio ; ab alio heredes Oddonis Lambrecti ; ab alio Dñs Riccardellus ; ab alio Gentilis Buſſa illud , quod ſuit de Scuturnis. Fines moderni alterius petioli ...... ab uno latere.... carraria ; ab alio tenet Monaſterium Sancti ALEXII ; ab alio tenent heredes Oddonis Lambrecti. Fines unius orti : ab uno latere via , qua itur ad portam de Maczeſis ; ab alio tenet Re....ſanus Scriniarius...... heredes ..... colay Vicovarii ; ab alio via ſe..... la.... alter....ſive canapine : ab uno latere ..... dictus ortus mediante dicta carrarola ; ab alio tenet Monaſteriam Palaczole (90) ; ab alio ſunt ... coſte Sancte Marie..... Aricia &c. ..... quod pro penſione dictarum*

DEIPARAE IN CAELVM ASSVMPTAE

DIRVTO VETERE QVOD INFIMA IN ARICIA

HINC SORDIBVS INCOMMODVM CORRVEBAT

ALEXANDER VII. PONT. MAX. TEMPLVM ELEGANTIVS

IN LOCO NOBILIORE EXCITATVM TVRRIBVS AEDIBVS

ATQVE AREA ORNATVM AC PERFECTVM

DICAVIT ANNO SALVTIS MDCLXIV.

Vid. Barthol. Piazza in Hierarch. Cardin. pag.303. De oppido autem Ariciae , deque Aricinis conſulendus Vulpius Vet. Lat. tom. VII.

(90) *Monaſterium Palaczolae*, tunc Ordinis Ciſtercienſis, inter lacum & montem Albanum , ubi jam Albam fuiſſe tradit Livius, fortaſſe ſic appellatum a Palatio Conſulum Romanorum , quod ibi adibant , quum Jovi Latiali in vertice montis ſacrificia facturi eſſent , ut obſervat Holſtennius annotat. in Ital. Ant. pag. 180. Vide infra App. num LV.

Digitized by Google

*rum vinearum, canapinarum, ſeu ortorum reddant annuatim duos denarios Papienſes in Feſto Sanctorum BONIFATII & ALEXII &c. & quod ſi in Urbe mor ..... erint, vel ſepelliantur (91) in dicto Monaſterio, vel dent medietatem dicto Monaſterio de eo, quod pro animabus eorum erogare debetur; & quod mortuis .... predicta ad dictum Monaſterium revertantur &c.*

*Teſtes: Dñs Andreas Luce, Lucchesinus Luccenſis, Petrus de Sax ..a, Mancinus Peruſinus, Ceſarius de Nemo.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei Sancte Romane Eccleſie...... dictis interſui, & ea ſcribſi & complevi rogatus.*

## XLIV.

### Emphyteuſis vinearum aliquot in *valle Joannis Judicis* extra portam Appiam.

*IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo octuageſimoquarto, anno IV. Pontificatus Dñi Martini Pape IV. (92), Indictione XII. menſe Martii, die viceſimaſexta. Coram me Leonardo Notario, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Religioſi & Diſcreti Viri, Dñus Frater Stephanus Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, & Conventus ſeu Capitulum ipſius, ſilicet Frater Petrus Prior, Frater Scambius, Frater Franciſcus, & Frater Angelus, Canonici dicti Monaſterii, nomine ipſius Monaſterii & pro eo, locaverunt, dede-* A.D. 1284.

(91) Paullo poſt conſcriptas haſce Tabulas Bonifacius VIII. legem tulit, ne Clerici vel Monachi quempiam Chriſtianorum adigerent ad extremum funeris & ſepulturae honorem deſuis in Monaſteriis aut Templis eligendum, ut diximus pag. 249. not. (9), & pag. 433. not. (30).

(92) Martinus IV. qui II. potius nuncupandus eſt, natione Gallus, antea Simon Tit. S. Caeciliae Presbyter Cardinalis, electus eſt R. P. Viterbii die 22. Februarii Anno 1281. Sedit annos IV. menſem I. dies VII. Defunctus Peruſii die 28. Martii A. D. 1285. ibi ſepultus eſt in Templo S. Laurentii.

Digitized by Google

*dederunt, & conceſſerunt Franciſce, uxori olim Bartholomei, qui dicebatur Meulus, nepotis olim Maſſei Marci, tutrici Angelelli filii ſui, & olim dicti viri ſui, tutorio nomine pro eo, ejuſque heredibus & ſucceſſoribus perpetuo, ideſt vites & arbores duarum petiarum vinearum plus vel minus, cum vitibus & arboribus ſuis, cum vaſca propria in eadem vinea poſita, & cum alia tertia parte alterius vaſce, que juncta eſt cum aliis partibus olim Simeonis & Becci Nicolay, que vaſca poſita eſt extra viculum ipſius vinee cum verſulariis, fractis, & arenariis, introytibus & exitibus ſuis, & omnibus ſuis pertinentiis, poſitas extra portam Appiam in valle & proprietate dicti Monaſterii, que ſolet vocari vallis Johannis Judicis* (93): *ab uno latere a capite tenet Letitia uxor Alberti, juris Sancti Sebaſtiani; ab alio Paulus Buccalepore, juris Sancti Sebaſtiani*(94); *ab alio Paulus Buccalepore, juris Sancti Sebaſtiani; ab alio Accurſus via mediante, & tenet Jacobus Benedimane, juris Sancti ALEXII. Item & tertiam partem unius petie vinee plus vel minus, cum vitibus & arboribus ſuis, & cum canneto in eo, reſervatis Accurſo Marci tribus centenariis cannarum annuatim, quas debet habere de dicto canneto, cum introytibus & exitibus ſuis, & omnibus ſuis pertinentiis &c. quia omni anno tempore vindemiarum promiſit dicta tutrix pro dicto pupillo, & ipſe, pupillus teneatur ipſi Monaſterio reddere quartam partem totius muſti mundi & aquati, quod de dictis vineis exierit, & duo caniſtra & tertium, ſilicet unum per petiam, quod ſit in fundo duorum palmorum & unius ſubmiſſi altum, & quartam partem fructuum arborum dicte vinee, & manducare & bibere miniſtro dicti Monaſterii, cum iverit pro quarta &c.*

*Teſtes: Milanus Portararius, Raynerius R. ...... narius Sancti ALEXII, Janucius Petri, Paulus Jacobi Laurentii Notarius.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei, Sancte Romane Eccleſie Notarius, predictis interfui, & ea ſcripſi & complevi.*

Teſta-

(93) *Vallis Jo. Judicis*, de qua vide paullo ſuperius not. (64).

(94) *Monaſterium S. Sebaſtiani*, de quo vid. pag. 431. not. (23).

# XLV.

## Teſtamentum JOANNIS DE PAPA, qui legatum ſcripſit Alexiano Coenobio *LX. ſol. proviſinorum, & calicem, qui conſtet X. libris.*

*IN nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo ducenteſimo octuageſimoſeptimo, Apoſtolica Sede vacante (95) Paſtore, Indictione prima, menſe Novembris, die duodecima. Ego Johannes de Papa, filius quondam Dni Petri Pape (96, Legum Doctor, & Milex, licet infirmus corpore, mente tamen ſanus & conſcientia pura, quia inteſtatus decedere nolo, idcirco hoc nuncupativum teſtamentum, quod dicitur ſine ſcriptis, coram Juſtino Juſtini Judice & Scriniario, & hiis a me rogatis teſtibus, Jure Civili componere curo; in quo Dianotium & Johannutium filios meos, & ventrem Dne Paule uxoris mee, ſi pregnans eſt, & ad lucem pervenerit, mihi heredes inſtituo; cui Dianotte jure inſtitutionis & pro omni ſuo jure relinquo quadringentos florenos auri pro dote (97), & centum florenos pro guarnimentis; & ventri dicte uxoris mee, ſi feminam pepererit, unam vel plures, relinquo jure inſtitutionis, pro omni ſuo jure per quamlibet earum trecentum libras proviſinorum pro dotibus, & centum libras proviſinorum pro guarnimentis; & ſint contente, ita quod de bonis ſeu in bonis meis plus petere non poſſint; & teneantur facere generalem refutationem de bonis meis dicto Johannutio filio meo, vel poſtumo vel poſtumis meis maſculis. Omnia alia bona mea* A.D. 1287.

Nnn mo-

(95) *Sede vacante Paſtore* Honorio IV. qui obierat die tertia Aprilis ejuſdem Anni 1287. poſt cujus mortem decem menſes vacavit Sedes Apoſtolica, ut ex dictis pag. 259. not. (41).

(96) *Joannes de Papa*. In Diplomate Ottonis III. pag. 376. commemorantur *prata Papi*, quae fortaſſe, poſſidebantur a quopiam nomine Papi. Sed ab illo Familiam Papi ſeu de Papa originem duxiſſe, ego quidem pronunciare non auſim.

(97) Quam moderatae eſſent dotes, quae filiabus olim conſtituebantur, jam diximus pag. 415. not. (86).

*mobilia & immobilia, jura, actiones, & nomina relinquo Johannutio filio meo, & ventri uxoris mee, ſi maſculum pepererit unum vel plures, ita quod dicti maſculi equaliter ſuccedant. Si autem dicta uxor mea non pepererit maſculum, tunc dictus Johannutius ſit univerſalis meus heres, prout ſupra dictum eſt* (98) *&c. Inter alia capitula hujus teſtamenti relinquo item Monaſterio Sancti ALEXII LX. ſollos proviſinorum pro ſatiſfactione alicujus ........ pecunie, que debuiſſet ei ſolvi pro cenſu occaſione aliquarum poſſeſſionum, quas dicant ſe habere in tenimento caſalis mei de ortis Prefectis; & volo, quod heredes mei, dum habuerint dictum caſale, teneantur ſolvere predicte Eccleſie annuam pentionem, quam hoſtenderint ſe de jure debere habere &c.*

*Item volo, quod ſi Johannutius filius meus, & poſtumus ſeu poſtumi filii mei maſculi morerentur in pupillari etate vel poſ........filii mei maſculi decederent ſine naturali & legitima ſobole maſculina, tunc volo, quod dentur pro anima mea & parentum meorum duo millia librarum proviſinorum eroganda ſecundum infraſcriptum modum, videlicet Eccleſie Lateranenſi &c. Item Monaſterio Sancti ALEXII X. libras proviſinorum pro uno calice, qui conſtet X. libris* (99) *&c.*

*Item volo & precipio, quod predictam ſummam mille librarum extrahant predicti executores mei de bonis meis in hunc modum, videlicet infra annum a die .... quadringentas libras proviſinorum, & reliquas &c.*

*Dom-*

(98) De teſtamentis conjugum conſulendus J. Vinc. Gravin. Originum juris lib. III. cap. 52.

(99) *X. libras proviſinorum pro uno calice, qui conſtet X. libris.* Sacros calices ligneos, vitreos, aereos, vel ex auricalco fieri prohibuit Concilium Remenſe, ut notat Baronius in Martyrolog. ad diem 7. Aug. utque ſatis conſtat ex Can. *ut Calix de Conſecr.* Diſt. 1. ideoque aureos, argenteos, aut ex cupro deaurato eſſe oportebat. Si igitur de calice argenteo hic ſermo ſit, vel pondo X. librarum argenti, vel pretio X. lib. proviſinorum ſeu pruvinenſium aeſtimare debes, quorum ſingulae librae ſcuta duo & obolos quinquaginta conſtituebant ex Grimaldo, ut diximus pag. 199. not. (28); atque ita calix hujuſmodi ſcutis argenteis 25. aeſtimandus erit.

Digitized by Google

*Domnus Brancatius Santeſe Monᵃ Cripte Ferrate teſtis, Dompnus Lucas ejuſdem Monaſterii teſtis, Dñus Petrus Mardonus Cauſidicus teſtis, Dompnus Johannes de Urbe Veteri Prior Monaſterii Sancti Aneſtaxii teſtis, Dompnus Leonardus Cellararius major ejuſdem loci teſtis, Dompnus Nicolaus Subprior dicti Monaſterii teſtis, Dompnus Petrus Vacca teſtis, & Frater Vitale Monacus Sancti Aneſtaxii teſtis.*

*Ego Juſtinus Juſtini, Dei gratia Sancte Romane Eccleſie Judex & Scriniarius, quia h. . . . . teſtamento interfui, rogatu dicti teſtatoris . . . . teſtamentum ſcripſi, & publicavi, & in publicam formam redegi rogatus, & meum ſignum poſui, & iſtud . . . . cum . . . . ſcripſi, ut ſuperius continetur.*

## XLVI.

Charta venditionis factae STEPHANO Alexiano Abbati cujuſdam horti in agro Viterbienſi, pretio 200. *librarum denariorum paparenorum.*

*IN nomine Domini, amen. Anno eiuſdem Nativitatis milleſimo CCLXXXVIII. tempore Dñi Nicolai Pape IV.* (1), *menſe* A.D. 1288. *Maji, die XXIV. Indictionis prime. In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Paulus Johannis Pauli, & Mactarotius Johannis Canſor, cives Viterbienſes, Procuratores, Yconomi &c. nominati &c. a Fratre Symone de Proceno, Ordinis Fratrum Minorum, Cuſtode locorum & Fratrum Minorum Cuſtodie Viterbienſis, nomine & vice Sancti Franciſci de Viterbio & ipſius Conventus* (2) *&c. conſentiente &c. Fratre Petro*

 *de*

(1) Nicolaus IV. patria Aſculanus, antea Hieronymus Card. Epiſcopus Praeneſtinus ex Ord. Minorum, electus die 22. Febr. An. 1288. Sedit annos IV. menſem I. dies XXV. Defunctus eſt die 14. Aprilis A.D. 1292. ſepultuſque in Baſilica S. Mariae Majoris; poſt cujus obitum Sedes Apoſtolica vacavit an. II. menſes III. dies II.

(2) *Conventus*, quem ipſe S. Franciſcus, quum viveret, Viterbii obtinuit, ut ex Inſcriptione intelligitur, quae ad ſiniſtram hortorum ejuſdem Coenobii affixa eſt, & affertur a Feliciano Buſſi in Hiſt. Viterbienſ. part. prima lib. 1. pag. 66.

Digitized by Google

*de Capalvio Guardiano Fratrum ejuſdem Ordinis Conventus Viterbienſis, pro ſe eorumque ſucceſſoribus, jure proprio, & in perpetuum, vendiderunt Domino Fratri Stefano* (3) *Abbati Monaſterii Sancti ALEXII de Urbe, ementi nomine Monaſterii predicti, ortum quemdam ipſius Eccleſie Sancti Franciſci, poſitum in pertinentiis civitatis Viterbii* (4), *in contrata porte Capitis Plagie, juxta rem Mathei Stefani, mediante foſſatello communi, juxta viam publicam, rem heredum Grovi Scambii Grovi, rem olim Dñi Jacobi Guidonis, & alios ſuos confines &c. pro pretio & nomine pretii ducentarum librarum denariorum paparenorum* (5); *in cujus orti emptione, & pretio, & pagamento ſupradicto, idem Dñus Abbas & Procurator dixerunt & affirmarunt, fore converſos, datos, & pagatos LII. florenos de auro* (6) *de ſumma C. florenorum auri, quos idem*
*Abbas*

(3) De Stephano Abbate S. ALEXII vid. Cap. XVII. pag. 254.

(4) Vide Felician. Buſſi *Iſtoria di Viterbo*.

(5) De denariis *paparenis* egimus pag. 255. not. (31) & (32). Si autem unam in ſummam colligas florenos aureos 52. 50. & 25. qui hoc in Inſtrumento repraeſentati dicuntur, illico invenies ducentas libras paparenorum exaequaſſe florenos CXXVII. ideoque libram unam hujuſmodi paparenorum aeſtimandam juliis duodecim cum ſemiſſe, ut diximus pag. 256.

(6) Floreni aurei, de quibus diximus pag. 271. not. (73) Florentiae primum cuſi ſunt A. D. 1252. cum ſigno floris lilii ex una parte, unde florenorum nomen acceperunt, ex altera vero S. Joannis Baptiſtae; *& fiebant ex auro perfecto XXIV. caratorum, quorum octo erant ponderis unius unciae*, ut ex Chron. S. Antonini par. III. tit. XIX. cap. 6. §. 6. Illorum formam, ut pote publicis commerciis aptiorem commodioremque plerique Europaei Principes deinde imitati ſunt; & quandoque pro temporum varietate *ducatus* & *ſcuta* appellarunt, etſi pondus alterius ab altero haud parum diſcrepans fuerit. Nunc dicuntur *zecchini*, *gigliatti*, *ruſpi* *&c.* de quibus omnibus fuſe agit Clariſſ. Victorius Equitum Ordinis S. Stephani Commendator in plurimae eruditionis libro, cujus titulus: *Il Fiorino d'oro antico illuſtrato, Firenze* 1748. Sed de florenis & ducatis aureis, ut ajunt de Camera conſulendus Benedictus Floravantes, qui primus omnium Acta publica contractus olim initi inter S.R.E. Camerarios & officinae monetariae Praefectos evulgavit in lib. de antiquis RR.PP. denariis pag. 117. 131. 140. &c.

Digitized by Google

*Abbas aſſeruit ſe recepiſſe a Magiſtro Bartholomeo Medico de Urbe de pretio terre & vignalis poſiti in valle Ariccie juxta ſuos confines, & L. florenos de auro, quos idem Abbas dixit ſe habuiſſe a Dño Angelo Petri Mathei de Urbe in tranſactione & occaſione tranſactionis habite ſeu habende inter eos de quodam petio terre, que dicitur pedica crite Valeriane, poſite in territorio Albanenſi, & XXV. florenos de auro in alia manu, quos dixit ſe habuiſſe a Dño Johanne Arzone Dñi Petri Jacobi de Urbe, occaſione afrancationis, liberationis, & abſolutionis faciende per ipſum Dñum Abbatem & Fratres ſuos de parte caſalis* (7) *Quatralis poſiti extra portam Majorem Urbis &c.*

*Actum eſt hoc Viterbii in Scolis Eccleſie Sancti Franciſci de Viterbio, preſentibus Scambio Tebaldi, Fratre Jacobo de Urbe Veteri, Benencaſa Tadei, Andrea Nicolai Odoline, Perfido Scambii, & Lello Nicolai, teſtibus ad hoc vocatis & rogatis.*

*Et ego Vitus Bartholomei, Auctoritate Alme Urbis Prefecti Judex Ordinarius atque Notarius, hiis omnibus interfui, & omnia ſupradicta, ut legitur, rogatus ſcripſi & publicavi.*

## XLVII.

Charta emptionis alterius horti agri Viterbienſis ab eodem Abbate STEPHANO factae pretio CCCV. *librarum denariorum paparenorum.*

IN *nomine Domini, amen. Anno ejuſdem Nativitatis milleſimo ducenteſimo octuageſimo octavo, temporibus* (8) *Dñi Nicolai Pape IV. menſis Novembris die viceſimotertio, Indictionis* A.D. 1288.

(7) *Caſale Quatralis*, nunc *Quadraro*, latifundium rubl. 396. quarto ab Urbe lapide extra portam Majorem ad Alexianos jam pertinuit, ut ex domeſtici Tabularii chartis plane evincitur. Sed poſtea ob eas forte cauſſas, quas innuimus pag. 269. & ſeqq. ad Dominos de Aſtalliis pervenit, qui non ita pridem illud vendiderunt Principi Sciarrae Columnae, Vid. App.n.LXIX. Eſchin.Deſcr.Agri Romani,&Tab.Topograph. Cingolani.

(8) *Temporibus Dñi Nicolai IV.* ideſt menſe IX. anni primi Pontificatus

Digitized by Google

*ctionis prime. In preſentia mei infraſcripti Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Magiſter Franciſcus quondam Petri Guarnolſi Notarius, per ſe, ſuoſque heredes & ſucceſſores, ſponte ſua bona & libera voluntate, jure proprio & in perpetuum vendidit, tradidit, & conceſſit Venerabili Viro Dño Fratri Stephano Abbati Monaſterii & Conventus Sancti ALEXII de Urbe, ementi & ſtipulanti vice & nomine dictorum Monaſterii & Conventus, & pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, quemdam ortum liberum & abſolutum ab omni honere ſervitutis, & cenſu, redditu & nexu obligationis, poſitum in pertinentiis Viterbii in contrata Grazani, vel ſi quod eſt aliud loci vocabulum, juxta viam vicinalem, juxta rem heredum Magiſtri Angeli de Baſſano, juxta rem Petrutii Magiſtri Benedicti, juxta rem Magiſtri Petri Leonardi Notarii, juxta rem Dñe Amate, & juxta rem Dñe Bonaventure &c. pro pretio tricentarum & quinque librarum bonorum denariorum* (9) *paparenorum minutorum; in cujus quidem orti pretio, emptione, & pagamento idem Dñs Abbas dixit, aſſeruit, & affirmavit, fore converſos, datos, & pagatos XLVIII. florenos de auro, quos idem Abbas dixit ſe habuiſſe & recepiſſe a Magiſtro Bartholomeo Medico de Urbe, de ſumma centum florinorum auri, de pretio terre & vignalis poſiti in valle Ariccie juxta ſuos confines, item XIII. florinos, quos idem Abbas dixit ſe recepiſſe a Jacobo Zamarulis de Urbe, pro affrancatione locationis perpetue cujuſdam vinee poſite in Caſtaniola, pro qua reſpondebat annuatim pro penſione dicto Monaſterio VIII. ſollos proviſinorum tantum, item IV. libras proviſinorum, quas dixit ſe recepiſſe a Jacobo Rubeo pro affrancatione cujuſdam perpetue locationis cujuſdam domus poſite in contrata Campitelli, pro qua reſpondebat dicto Monaſterio IV.*

*pro-*

tus ejuſdem Nicolai, quem diximus electum R. P. A. D. 1288. die 22. Februarii.

(9) *Paparenorum minutorum*, quos juliis ferme quinque conſtitiſſe diximus pag. 256. ut vel ex hoc Inſtr. facile quiſque conjiciet.

Digitized by Google

*proviſinos annuatim pro penſione tantum, item IV. florinos, quos dixit ſe recepiſſe a Franciſco Falconcelli de Urbe pro affrancatione cujuſdam perpetue locationis unius vinee poſite extra portam Appiam prope Eccleſiam Sancte Marie, ubi Dominus apparuit* (10), *pro penſione cujus reſpondebat dicto Monaſterio annuatim V. denarios & dimidium tantum, item duos florenos auri, quos aſſeruit idem Dñus Abbas recepiſſe a Johanne Capoadterra Sutore de contrata turris de Serra pro affrancatione perpetue locationis cujuſdam vinee poſite extra portam Appiam, ubi dicitur Cripta Solarata, pro penſione cujus reſpondebat dicto Monaſterio annuatim II. proviſinos tantum, item IV. libras proviſinorum, quas dixit ſe recepiſſe a Petro Pauli Johannis Zii, a Johanne, Romano, & Nicolao, filiis olim Petri Johannis Zii, pro affrancatione cujuſdam perpetue locationis unius vinee poſite intra portam Sancti Pauli, ubi dicitur Orrea, pro qua nomine penſionis annuatim reſpondebant dicto Monaſterio VII. proviſinos tantum &c.*

*Acta ſunt hec Viterbii in domo* (11) *dicti Dñi Abbatis & Monaſterii Sancti ALEXII, preſentibus Mattarotio Johannis Canſore, Magiſtro Philippo Johannis Notario, Marano Calzolario, Petro olim Scambii de Picoca, Ranaldatio Funario, & Petrutio Blaſcii, teſtibus vocatis ad hec ſpecialiter & rogatis.*

*Et ego Petrus olim Raſmi, Imperiali Auctoritate Notarius publicus, predictis &c. interſui, & ea omnia ſcribere rogatus, ut ſuperius legitur, ſcripſi, & publicavi, & propria manu ſcripſi & ſignavi.*

Char-

(10) *Ubi Dominus apparuit* ad Petrum Apoſtolum Roma revertentem, primo ab Urbe lapide extra portam Appiam, nunc dicitur *Domine quo vadis*. Vid. pag. 253. not.(20), & Martinell. Rom. Sac. pag. 100. & 232.

(11) Hortos quoſdam & campos in agro Viterbienſi etiamnum poſſidemus. At ſi domunculas tres excipias, quarum dominium, ut ajunt, directum ad nos pertinet, nulla nobis domus ad habitandum nunc ibi reliqua eſt.

Digitized by Google

# XLVIII.

## Chartula locationis agri Alexianorum ad caſtrum Marini.

A.D. 1289. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo CC. octuageſimonono, tempore Nicolai* (12) ..... *Indictione tertia, menſe Nov..... die viceſimaſexta. Corum me Leonardo Notario, & teſtibus ſubſcriptis ad hec vocatis ...... Religioſi & Diſcreti Viri, Dñus Stephanus Abbas Monaſterii Sancti ALEXII de Urbe, & Frater Scambius Prepoſitus ipſius Monaſterii, pro d...... Monaſterio, ſponte ad majeſicandum & bene laborandum pro dicto Monaſterio dederunt & conceſſerunt Marino Nicolay....... de caſtro Marini unum petium terre dicti Monaſterii poſite territorio caſtri Marini* (13), *cui ab uno latere eſt area, que dicitur de Curtibus, & ſtratella, ab alio eſt hedificium antiquum, quod vocatur Cripta Vaſcellum, ab alio tenet Eccleſia Sancti Gregorii de Grecis* (14) *de Marmorata, ab alio eſt criptella, pro tribus majeſicaturis, computata in ipſis tribus majeſicaturis hac majeſicatura facta per eum in dicta terra, que ſeminata eſt in majeſe* (15). *Et in*

(12) Ideſt Nicolai IV. Pontificis anno II. menſe IX. Vid. not. (1).

(13) *Caſtri Marini* ad radices montis Albani, quod a Cajo Mario ſepties Conſule nominis originem deduxiſſe fertur, & jam dudum a Columnenſibus poſſidetur. Vid. Roc. Vulpium tom. 7. Vet. Latii lib. XII. cap. X. & Eſchinard. Deſcript. Agri Rom. part. 2. cap. 8. pag. 285.

(14) *Eccleſia S. Gregorii de Graecis*, quam in *Marmorata* fuiſſe, nunc primum ex hoc Inſtr. intelligimus. Nam Martinellus, qui de Templis Sanctorum obſoletis in Urbe fuſe agit cap. XII. Rom. Sac. nullam de illa mentionem facit. Cencius autem Camerarius commemorat inter eas, quibus dabatur Presbyterium, at ubi fuerit, nullatenus indicat. En ejus verba: *S. Gregorio Graecorum VI. den.* ex Ord. Rom. XII. apud Mabillon. Muſ. Ital. tom. 2. & Pet. Morettum Lucub. de Presbyter. par. 3. ſect. V. pag. 245.

(15) *Majeſe*, hoc eſt, terra novalis, quae anno ceſſat, Italis *maggeſe* & *maggiatica*.

*in omni majeſicatura dabit dictus Marinus, & dare promiſit dicto Monaſterio pro introytu, in Feſto Sancte Marie Auguſti, quatuor florenos auri... delatos in dicto Monaſterio &c. Et pro dicta majeſicatura facta confeſſi ſunt, ab eo recepiſſe pro introytu quatuor florenos auri, & dimidium &c. Et totam ipſam terram ſeminabit, & ſeminare teneatur & promiſit in majeſe & culto, & eidem Monaſterio reddere quartam* (16) *omnium bladorum, que ibi in majeſe & culto ſeminabitur, & procurare & facere, quod omnes, qui ibi ſeminabunt, dictum redditum facient &c.*

*Teſtes: Urbevetanus de Urbeveteri Procurator in Curia Romana, Sixtus de Advocato, Deodatus de Jardino.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei, Sancte Romane Eccleſie Notarius, predictis interfui, & ea ſcribſi & conplevi rogatus.*

## XLIX.

### Charta emptionis alterius horti in agro Viterbienſi pretio librarum CLXX. *denariorum paparenorum.*

*IN nomine Domini, amen. Anno Domini M. CC. LXXXXI.* A.D. 1291. *tempore Dñi Nicolai Quarti Pape, menſe Maji die XIX. intrante, Indictione IV. In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Henricus filius quondam Dñi Burgundionis, per ſe, ſuoſque heredes & ſucceſſores, ſponte ſua bona & libera voluntate, jure proprio & in perpetuum vendidit, tradidit, & conceſſit Venerabili Viro Dño Fratri Stephano Abbati Monaſterii & Conventus Sancti ALEXII de Urbe, ementi & ſtipulanti vice & nomine dictorum Monaſterii & Conventus, & pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, quemdam ſuum ortum, liberum*



(16) *Quartam*, ſcilicet frumenti, quod colligeretur, quartam partem, juxta antiquam conſuetudinem. Nam legimus, quod Hugo Farfenſis Abbas circa Ann. 1012. fundos quoſdam conceſſit *ad quartam reddendam, & de vino mundo medietatem*. Vid. Chron. Farf. apud Murat. Rer. Ital. tom. 2. p. 2.

Digitized by Google

*& abſolutum ab omni honere ſervitutis, & cenſu, redditu & nexu, ab obligatione, poſitum in pertinentiis Viterbii in contrata vallis Pectinalis* (17), *juxta rem dicti Monaſterii Sancti ALEXII, rem Veraldi Dñi Angeli, rem Colutie & Curradini Raynerii, & viam publicam &c. pro pretio & pagamento centum ſetuaginta librarum bonorum denariorum paparenorum* (18) *minutorum &c. in cujuſquidem orti pretio, emptio, & pagamento idem Dñus Abbas dixit aſſeruit, fore converſos, datos, & pagatos XLIV. florenos de auro* (19), *quos idem Abbas dixit ſe habuiſſe & recepiſſe a Dño Jacobo Thomaſſo & Branca de Saracenis, pro affrancatione unius territorii, quod vocatur Meroli, juxta ſuos confines: de quo territorio reddebant annuatim in Feſto Sancti ALEXII X. libras cere &c.*

*Actum eſt hoc Viterbii in Capitulo Ecclesie Sancti Franciſci* (20), *preſente Fratre Jacobo de Cerclaria, Fratre Petro de Monteflaſcone, Fratre Petro de Urbeveteri, Fratre Luca di Viterbio, Magiſtro Angelo Jounnis Cere Notario, & Mancino Magiſtri Petri, teſtibus ad hec vocatis & rogatis.*

*Et ego Johannes Petri Egidie, Autoritate Alme Urbis Prefecti Notarius, hiis omnibus interſui, & rogatus ſcribere ſcripſi & publicavi.*

## L.

### Charta emptionis factae a PANDULPHO SABELLO cujuſdam fundi *Oliarii* in agro Albano, qui ad Alexianos pervenit, ut ex num. LI.

*. . . . . nno Dominice I. . . . . ationis milleſimo ducenteſimo nonageſimoſexto, tempore Dñi Bonifatii Pape O. . . . vi* (21), *In-*

(17) *Vallis Pectinalis*, nunc etiam vocatur *valle Pettinara*, in qua hortos quinque Viterbii ſuburbanos etiamnum poſſidemus.

(18) *De paparenis* vide quae diximus pag. 255. & paullo ſuperius not. (5) & (8).

(19) Floreni aurei, de quibus vide ſup. not. (6).

(20) *Eccleſiae S. Franciſci*, de qua vide ſup. pag. 467. not. (2).

(21) Supplendum Bonifacii Octavi

Digitized by Google

*.ndictione nona, menſe Madii die undecima. In preſe....... Diſcreti Viri Dñi Angeli Petri Mathei Cauſidici, mei Leonardi Jacobi Rubei Sancte Romane Eccleſie Judicis & ....rii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum ... ....Religioſi Viri Frater Georgius de Bulſena Guardianus* (22) *Eccleſie Sancte Marie de Areaceli, & Frater Nicolaus de Felicibus, Ordinis Sancti Auguſtini, executores teſtamenti ſeu ultime voluntatis quondam Dñe Bonize, filie olim Tiviliardi Gregorii Johannis Gregorii de regione Ripe, a qua......poteſtatem habent bona diſtrahendi, vendendi, & alienandi, & pro anima ſua erogandi, ut Inſtrumento ſcripto per Paulum Petri Henrici Notarium plenius continetur, exe........& conceſſe.....Johanni Rubeo nuntio & familiari Nobilis Viri Dñi Pandulfi de Sabello* (23), *ementi & recipienti..... jure loca-*

Ooo 2

vi anno ſecundo. Is enim natione Campanus de Anagnia, nomine Benedictus Cajetanus, Presbyter Card. SS. Silveſtri & Martini in Montibus, electus eſt R. P. Neapoli die 24. Decembris An. 1294. ſcilicet undecimo die, poſtquam Caeleſtinus V. antea Petrus de Murrone Pontificatu ſe abdicaſſet. Romae poſtea conſecratus & coronatus eſt die 23. Januarii A.D. 1295. Sedit annos VIII. menſes IX. dies XVIII. Obiit die XI. Octobris An. 1303. Romae ſepultus in Vaticano Templo.

(22) *Guardianus* ex Ordine S. Franciſci, cui Templum & Coenobium Aracaelitanum non a Bonifacio VIII. ut perperam ſcripſerunt Bzovius & Ciacconius, ſed ab Innocentio IV. An. 1250. amotis Benedictinis, conceſſum eſt, ut ſatis patet ex tribus hujus Pontificis Diplomatibus, in quibus legitur: *Per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus Monaſterium S. Mariae de Capitolio in Urbe Ordinis S. Benedicti, cum hortis & aliis ſuis appendiciis juxta illud, nec non libris & ornamentis ipſius, Auctoritate noſtra, eiſdem Fratribus* (S. Franciſci), *ibidem ſub Ordinis ſui obſervantia Domino ſervituris, in uſus perpetuos aſſignantes, eos in praedictorum poſſeſſionem corporalem inducere procuretis, amotis inde Monachis, qui ſunt ibi, & per alia Ordinis ſui Monaſteria congrue collocatis &c.* Vid. Caſimir. *Memorie Storiche della Chieſa e Convento d'Araceli cap. III.*

(23) Pandulphus de Sabello Honorii IV. Pontificis germanus frater & Urbis Senator, ut diximus Cap. XVII. pag. 259. in genua provolutus repraeſentatur Tab. VIII. Senatoriis Inſignibus ad eundem modum ornatus, quo Joannes Columna, qui eodem ſaeculo XIII. Senatorium munus obtinuit, depictus eſt in Coenobio Aracaelitano, ad exemplum veteris

Digitized by Google

*locationis a Monaſterio Sancti ALEXII cum via publica infra ......... is, poſitam territorio Albanenſi in loco, qui vocatur Oliari, cum ciſterna infra ſe, & omnibus ....... ſunt ve ..... fines: a primo latere tenent heredes Pau ... Johannis Boni; a ſecundo heredes Johannis Greci (24) & Judex Ciceronus; a tertio via, que pergit ad ciſter .... a IV. Oliverius, & Cacanci, & heredes Petri Baronis. Fines vero moderni dicte pedice hii ſunt: a primo latere deſuper tenet Eccleſia Sancte Marie de Aricia (25); ab alio ..... Alexii Leni & Johannes frater ejus; ab alio tenet Curia caſtri Sabelli (26); ab alio via; & infra dictam pedicam itur via &c. Hanc venditionem &c. ei fecerunt pro pretio ſeptuaginta librarum proviſinorum &c.*

*Teſtes: Dñus Angelus Petri Mathei Judex, Nicolaus Cerini Notarius, Donatus familiaris Nobilis predicti, Frater Matheus, Frater Marcus, Canonici Sancti ALEXII.*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei, Sancte Romane Eccleſie Judex & Notarius, predictis interfui, & ea ſcribſi & conplevi rogatus.*

## L I.

*Nobilis Vir* PANDULPHUS de SABELLO fundum *Oliarii* antedictum in dotem conſtituit Sacelli S. Jacobi, quod poſtea *Scalae S. ALEXII* nuncupatum eſt.

A.D. 1296. *IN nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, tempore (27) Dñi Bonifatii Octavi Pape, Indictione nona ..... Junii .... madecima. Coram*

teris monumenti ex opere teſſellato, quod in aedes Columnenſes delatum eſt, ut notat Bened. Floravantes, quum viveret amicus noſter, in antiquis RR. PP. denariis pag. 23.

(24) *Joannis Graeci & Judex Ciceronus*, de quibus vid. not. (88) pag. 461.

(25) De Sacra Aede S. Mariae de Aricia vid. not. (89) pag. 461.

(26) *Caſtri Sabelli*, de quo pag. 266. not. (60).

(27) *Tempore Bonifatii VIII.* hoc eſt, Pontificatus ejuſdem Anno II. menſe VI. Vid. not. (21) pag. 474.

Digitized by Google

*ram me Leonardo Jacobi Rubei Sanĉte Romane Eccleſie Judice & Notario, & teſtibus ſubſcriptis ad hec vocatis & rogatis, Nobilis Vir Dñus Pandulfus de Sabello &c.* (28) *inter vivos donavit &c. Religioſo Viro Dño Fratri Franciſco Abbati* (29), *& Fratri Angelo Priori Monaſterii Sanĉtorum BONIFATII & ALEXII, preſentibus & recipientibus pro diĉto Monaſterio pro dote videlicet Cappelle vocate Sanĉtus Jacobus* (30), *quam diĉtus Dñus Pandulfus, & alii de Domo ſua conſtruxerunt & conſtrui fecerunt in prediĉto Monaſterio, & pro devotione, quam habet in diĉto Monaſterio, & pro remiſſione peccatorum ſuorum, & parentum, & fratrum ſuorum, ideſt unam pedicam terre ſementaricie, quam diĉtus Nobilis acquiſivit ab executoribus olim Dñe Bonize, filie olim Tiviliardi, cum via publica infra eam, paſcuis, limitibus ſuis, introytibus & exitibus ſuis, & omnibus ſuis pertinentiis, poſitam territorio Albanenſi in loco, qui vocatur Oliari, cum ciſterna in ſe; cujus hii ſunt veteres fines: a primo latere tenuerunt heredes Pauli Johannis Boni; a ſecundo heredes Johannis Creci* (31), *& Judex Ciceronus; a tertio via, que pergit ad ciſternas; a IV. Oliverius, & Cacanci, & heredes Petri Baronis. Fines vero moderni diĉte pedice hii ſunt: ab uno latere deſuper tenet Eccleſia Sanĉte Marie de Aricia; ab alio heredes Alexii Leni & .... caſtri Sabelli; ab alio via; & infra diĉtam pedicam itur via &c.*

*Teſtes: Dñus Angelus Petri Mathei Judex, Paulus de Cervinaria, Paulus Dñe Maĉtaleonis, Jacobus Za ... a .. lis, Franciſcus ......*

*Ego Leonardus Jacobi Rubei, Sanĉte Romane Eccleſie Judex & Notarius, prediĉtis interſui, & ea ſcribſi & conplevi rogatus.*

Char-

(28) Vide ſupra not. (23), & pag. 257. not. (37).

(29) De Franciſco Alexiano Abbate diximus Cap. XVII. pag. 256. & ſeq.

(30) Sacellum S. Jacobi, quod poſtea *Scalae* S. ALEXII vocarunt, ut diximus Cap. XVII. p. 258. & 263.

(31) Vid. ſup. not. (24), & not. (88) pag. 461.

## LII.

### Charta permutationis factae Alexianos inter & Monachos S. Gregorii ad Clivum Scauri de quibuſdam vineis montis Teſtacei in alios fundos agri Albani ſeu *Oliarii*.

*IN nomine Domini. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo CCLXXXXVII. Pontificatus Dñi Bonifatii Pape Octavi anno ejus tertio, Indictione X. menſe Junii....... inter Pia & Venerabilia Loca aguntur, ſolo verbo robur & firmitatem debeant obtinere; tamen quia memoria hominum labilis eſt, niſi publicis ſcripturis ad perpetuam rei memoriam redigantur, deleri poſſent, eo......dep...... & ideo cambium & permutationem factam inter Venerabile Monaſterium Sanctorum BONIFATII & ALEXII, quod poſitum eſt in Adventino in loco, qui dicitur Balcerna, ex una parte, & Venerabile Monaſterium Sancti Gregorii in Clivo Scauri* (32) *de Urbe ex altera parte, ego ſupradictus Jacobus Leonardi Jacobi, Rubei, Inperiali Autoritate Notarius & publicis licteris de voluntate partium ſcribere procuravi. Habebat quidem dictum Monaſterium Sancti Gregorii unum petium terre ſementaricium, poſitum in territorio Albanenſi in loco, qui dicitur Carrabella* (33) *ſeu Olgiarii inter hos fines modernos, ab uno latere eſt via publica, ab alio latere tenent Dñi Sabellenſes, ab alio latere tenet Eccleſia Sancte Marie de Aricia, ab alio tenet Mo-*

(32) De Clivo Scauri vid. pag. 264. not. (52).

(33) *Carrabella* ſeu in Caccabellis prope fundum *Oliarii*, de quo pag. 257. not. (38); & quidem in Litteris Caeleſtini III. quas ibi commemoravimus, legitur: *Et condemno eoſdem Ruffredam & Maximum fratres in reſtitutionem alterius petii terrae poſiti in territorio Albanen: in Caccabellis; cui a primo latere eſt via, qua itur ad Papinianum; a ſecundo tenet Eccleſia S. Sabae; a tertio Gregorius Petri Baronis; a quarto S. Maria Rotunda de Albano &c.* quae Sacra Aedes poſtea ad nos pervenit, ut diximus pag. 239.

Digitized by Google

*Monaſterium Sancti ALEXII, ſeu Petrus Felicis Scriniarius, vel ſi qui alii ſunt veriores confines, quod non adjacet, nec contiguum eſt ſeu vicinum aliis caſalibus & terris dicti Monaſterii Sancti Gregorii, ſet eſt longinquum ab eis, quod ſubſcriptus Dñus Abbas Monaſterii Sancti Gregorii emit & acquiſivit ab executoribus olim Dñe Bonize filie olim Tiviliardi; quod Monaſterium Sancti Gregorii non habeant vineas, nec muſtum recolligant ad ſufficientiam quaſi medii temporis anni; & dictum Monaſterium Sancti ALEXII habeat ſubſcriptas vineas ad proprietatem ad quartam reddendum, ideſt terram & proprietatem duarum petiarum vinearum plus vel minus poſitarum in Teſtacia inter hos fines: a primo latere tenet Traximundus de Marmorata, juris Eccleſie Sancte Marie de Adventino (34); a ſecundo tenet Dompnus Henricus Zavactarius, juris dicte Eccleſie Sancte Marie de Adventino; a tertio eſt campus Teſtacie; a IV. Angelutius de Saxo, juris dicte Eccleſie Sancte Marie de Adventino: quas duas petias terre tenet jure locationis ad quartam reddendam Nicolaus filius olim Magiſtri Petri Medici de ponte Sancte Marie (35). Item terram & proprietatem dimidie petie vinee plus vel minus poſite in eodem loco Teſtacie inter hos fines: a primo latere tenet Petrus Blaſii Calzolarius, juris & proprietatis San-*

(34) Eccleſia S. Mariae de Aventino, quae inter antiquas XX. Urbis Abbatias tertium jam locum obtinuit, ut diximus pag. 421. not.(97), nunc pertinet ad Milites Ordinis Hieroſolymitani. Vid. Flor. Martin. Rom. Sac. pag. 186.

(35) *De ponte S. Mariae*, qui olim pons Senatorius & Palatinus appellabatur, atque nunc dicitur *ponte rotto.* Nam Auctor de Mirabilibus Urbis editus a Franciſco Albertino, de Urbis pontibus agens, inquit: *Secundus pons erat Senatorum, qui & Palatinus dicebatur, nunc vero S. Mariae.* Hoc nomen habuiſſe ferunt vel a proximo Templo S. Mariae Aegyptiacae, vel a B. Virginis Imagine, quae in ipſo ponte colebatur, quaeque tranſlata fuit in Templum S. Coſimati. Vide Donatum de Urbe Rom. lib. III. cap. XXI. & Nardinum lib. 8. cap. 3. Pontem hunc inſtaurarunt Sixtus IV. & Gregorius XIII. Sed A.D. 1598. exundante Tyberi iterum collapſum nemo hactenus reſtituit; ideoque dicitur *ponte rotto.*

*Sanƈte Marie de Porticu* (36); *a ſecundo Petrus Martualli, juris & proprietatis Monaſterii Sanƈti ALEXII; a tertio ripa fluminis; a IV. vicolus vicinalis: quam dimidiam petiam terre tenet jure locationis ad quartam reddendum Paulus Stephani Ponziani. Item terram & proprietatem unius petie vinee plus vel minus poſite in eodem loco Teſtacie &c. Et inſuper confeſſi ſunt dicti Dñus Abbas Sanƈti ALEXII, recepiſſe L. libras proviſinorum Senatus pro aditamento dicti cambii a dicto Procuratore Sanƈti Gregorii, quas convertunt in Sacriſtia & pro Sacriſtia* (37), *quam de novo hedificant in dicto Monaſterio Sanƈti ALEXII &c. Que vinee adjacent & contigue ſunt ſeu vicine Eccleſie Sanƈti Jacobi in Oreis* (38), *Cappelle dicti Monaſterii Sanƈti Gregorii; & dicte vinee Monaſterii Sanƈti ALEXII ſunt longinque aliis multis vineis ipſius Monaſterii*

(36) *S. Mariae de Porticu*, cujus S. Aedes Innocentio XI. Pontifice diruta fuit, & magnificentius reſtituta ſub nomine S. Gallae; ideoque diſtinguenda a Templo S. Mariae *in Porticu Campitelli*, quod Alexander VII. ex voto Populi Romani exaedificavit, ut ex appoſita Inſcriptione intelligitur:

S. P. Q. R. VOTVM. S.

ALEXANDER VII. P. M. S. MARIAE IN PORTICV

A FVNDAM. POS. A. M. DC. LXV.

De utroque Templo plura videſis in libro, quem Cl. Vir Antonius Erra nuper inſcripſit: *Storia dell' Immagine, e Chieſa di S. Maria in Portico*, *Roma* 1750.

(37) *Sacriſtia*, cujus veterem iconographiam repraeſentat Tab. III. Lit. E. nunc demum poſt annos amplius quadringentos & quinquaginta vetuſtate fatiſcens iterum exaedificata eſt.

(38) *Eccleſiam S. Jacobi in Oreis*, de qua neque Martinellus meminit, ubi agit de Templis Urbis obſoletis, arbitror fuiſſe prope horrea Populi Romani. Nam ut referunt Andreas Fulvius lib. IV. & Lucius Faunus lib. III. de Urbis Antiquitat. „ fuerunt „ etiam ſub Aventino inter ripam Tyberis & Teſtaceum montem diſpoſita „ centum quadraginta horrea Populi „ Romani; & erant ampla & oblonga, „ ut eorum ruinae adhuc oſtendunt &c.

*ſterii Sancti ALEXII, poſitis in loco, ubi dicitur Penna (39) & Sancta Pax, ubi dictum Monaſterium Sancti ALEXII habundat multitudine vinearum & recollectione muſti, licet ipſum Monaſterium Sancti ALEXII ſterile ſit in terris ſementariciis & recollectione grani. Propter quod de communi voluntate, & placabili concordia, & deliberato conſilio ad cambium & permutationem dicte terre ad dictas proprietates vinearum pervenerunt &c.*

*Teſtes: Petrus Guſmati Marmorarius de regione Violate, Petrus Johannis Vorrelli de Pinea, Petrus Jacobi Magiſtri, Petrus Copparius de regione Pinee, Nicolaus .... de regione Columpne.*

*Ego Jacobus Leonardi Jacobi Rubei, Inperiali Autoritate Notarius, predictis omnibus interfui, & in publicam formam redegi rogatus.*

## LIII.

Chartula emptionis horti in agro Viterbienſi factae a FRANCISCO Abbate pretio *CL. librarum paparenorum.*

*IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto, tempore Dñi Clementis Pape V.* (40), *menſis Septembris die VI. Indictione IV. Juti Girardi Rubei & Tucias* A.D. 1306.



(39) *Penna & Sancta Pax.* In monte S. Pacis ad ſiniſtram viae Hoſtienſis, ubi nunc dicitur *Turricella*, primo ab Urbe lapide, vineas aliquot etiamnum poſſidemus, ſicuti etiam fundum *Penna*, de quo vid. pag. 227. not. (9).

(40) Clemens V. antea Berthrandus de Gotho Burdegalenſis Archiepiſcopus, electus R. P. Peruſii die V. Junii An. 1305. ut Philippo Francorum Regi gratificaretur, in Galliis morari ſtatuit. Quamobrem ibi poſteaper annos LXXI. Sedes Apoſt. fuit uſque ad Gregorium XI. Clemens itaque coronatus eſt Lugduni die XIV. Novembris; qua die certo vitae periculo divina clementia ereptus eſt. Nam quum equeſtri pompa, Galliarum Rege aliiſque Principibus viris comitantibus, e Templo S. Juſti in urbem rediret, corruente muro

*cius Angeli, quilibet eorum in ſolidum &c. vendiderunt &c. Venerabili Viro Dño Fratri Franciſco Abbati Monaſterii Sancti ALEXII de Urbe, ementi vice & nomine dicti Monaſterii, quoddam eorum jardinum ſeu viridarium, poſitum in pertinentiis Viterbii in contrata Torricelle, juxta rem heredum Detajuti, rem heredum Nangeli, ſtratam publicam & vicinalem, & alios ſuos confines &c. pro pretio & pagamento centum quinquaginta librarum bonorum denariorum paparenorum &c. Et ad hec Dña Flos uxor dicti Juti, & Dña Benvenuta uxor dicti Tucii, venditorum, preſentes exiſtentes huic venditioni & obligationi, ſponte eorum voluntate conſentierunt &c.* *

## L I V.

*Magnificus Vir* D. JOANNES DE SABELLO Romanorum Proconſul Agneti Abbatiſſae S. Mariae Rotundae Albani ( cujus Aedes & bona ad Alexianos poſtea pervenerunt ) praediolum vendit florenis CL.

A.D. 1310. *IN nomine Domini, amen. Anno ejuſdem milleſimo trecenteſimo decimo, Pontificatus Dñi Clementis Pape V. anno V. Indictione VIII. menſis Aprilis die XI. In preſentia mei Johannis Barnabe Notarii de Albano, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Magnificus Vir Dñus Johannes de Sabello*(41)*Romanorum Proconſul &c. vendidit &c. Re-*

muro fere oppreſſus fuit, ipſo ex equo decidente, ac Tiara e capite excuſſa. Ex ea ruina periere Joannes Britanniae Dux & Galhardus Pontificis frater, ut legitur in ejus Vita VI. apud Baluzium in Vit. Pap. Avenionenſium tom. 1. Sedit autem Clemens V. annos VIII. menſes X. dies XVI. & obiit die XX. Aprilis A. D. 1314.

* Reliqua deſunt; nam membrana abſciſſa eſt.

(41) *Joannes de Sabello*. Is ille eſt, qui ab Henrico VII. Imperatore in cuſtodiam traditus, ſtatim inde a convivio, quo magnifico ac ſplendido inter alios Romanae Urbis Proceres fuerat acceptus, poſtmodum fuga elapſus,& praeſidiariis Roberti Siciliae

Digitized by Google

*Religioſe Dñe, Dñe Agneti Abbatiſſe Venerabilis Monaſterii Sancte Marie* (42) *Rotunde de Albano, Ordinis Sancti Auguſtini, preſenti & recipienti nomine & vice dicti Monaſterii &c. ideſt medietatem unius pedice terre ſementaricie VI. rublorum in ſemine plus vel minus, juris proprii ipſius Dñi pro diviſa ab alia medietate dicti Monaſterii Sancte Marie; que tota pedica dicitur pedica de Scriniario, poſita in tenimento Sabelli, in contrata ſeu vocabulo, quod dicitur Formales Mancacie; cujus medietatis pedice hii ſunt confines; cui a primo latere tenet dictum Monaſterium Sancte Marie, ſilicet alia medietas dicte pedice, juris proprii dicti Monaſterii; a ſecundo Epiſcopatus Albanenſis, ſilicet tenimentum S. Marie in Ferrarola, ſui proprii juris; a tertio Monaſterium Sancte Marie de Palazola* (43), *ſilicet tenimentum Pereti, ſui proprii juris; & a quarto Nobilis Vir Laurentius de Candulfis* (44) *de Urbe, ſui proprii juris, ſilicet baltiolum palatii Capolopi &c. in qua medietate eſt quedam fabrica ſeu hedificatio antiqua murorum ſive parictum dirutorum &c. pro CL. florenis boni & legalis auri, ac*



liae Regis copiis adjutus, Henricum ipſum compulit Roma excedere 13. Kal. Aug., 1312. ut legitur apud Raynaldum in Annal. Eccl. ad hunc annum §. 34. & 47. & Ludovicum Cavitellum Annal. Cremonen. Anno 1312.

(42) *S. Mariae Rotundae de Albano*, de qua vide ſupra pag. 239. atque infra App. num. LIX.

(43) *Monaſterium S. Mariae de Palazola*, de quo vid. ſup. pag. 462. not. (90), & infra App. num. LV. not. (47).

(44) Nobilis igitur jam Romae fuit Candulforum Familia. Et quidem in ſerie Senatorum Urbis ad A.D.1233. legitur apud Zabarellam *Joannettus q.D. Joannis Candulfi Senator Romae*, & apud Creſcimbenum *Giannotto d'Odone Candolfo Senatore*. In deſcriptione bonorum, quae ab Honorio IV. conſtituta ſunt in dotem Coenobii noſtri S. Pauli Albani, tunc Ordinis Guillelmitarum, prae ceteris ponitur *caſale unum, quod dicitur Mandra de Candulfis, cum ſilva contigua ipſi tenimento caſtri noſtri, quod dicitur Candulforum*, uti habetur in Actis, quae afferuntur ab Ughellio in Epiſc. Albanen. tom. 1. Ital. Sac. Hinc arbitror, *caſtrum Candulforum* ab hujus nominis Familia denominationem accepiſſe, non autem a Comite Gandulfo Sabellio, ut communis fert opinio apud Gobellinum in Comment. Pii II. lib. XI. Vulpium Vet. Lat. tom. VII. lib. XII. cap. V. alioſque plures.

Digitized by Google

*ac recti ponderis, quos preſatus Dñus Johannes a dicta Dña Abbatiſſa &c. recepit &c.*

*Hoc actum eſt in rocca caſtri dicti Dñi Johannis, quod dicitur Candulforum* (45), *preſentibus Nobilibus Viris Uguitione Dñi Sixti de Perleonibus* (46) *de Urbe, Nicolao Pauli de S...rico de Urbe, Piccardo de Senis familiare predicti Dñi Johannis, Angelo Magiſtri Angeli de Albano, Johanne Serjanni de Albano, Oddone Gregorii Callararii de Urbe, & Fenucula dicti caſtri Dñi Johannis, teſtibus rogatis &c.*

*Et ego Johannes Barnabe de Albano, Inperiali Auctoritate Notarius, predictis omnibus & ſingulis interfui, eaque ſcripxi & in p.... formam redegi rogatus.*

## L V.

### Monaſterium S. Mariae *de Palatiolis* Ord. Ciſtercienſis, ut conflatum aes alienum diſſolvat, *fundos Roſelli & Turris Epiſcopi* Monialibus S. Mariae Rotundae Albani vendit florenis CLII.

A.D. 1310. *IN nomine Domini, amen. Anno ejuſdem milleſimo trecenteſimo decimo, Pontificatus Dñi Clementis Pape Quinti anno quinto, Indictione octava, menſis Martii die III. In p.. ....mei*

(45) Oppidum nunc eſt vel eo nomine celebre, quod Romani Pontifices illuc ruſticatum ſaepe divertere conſueverunt. Ad Sabellios diu pertinuit. Sed A. D. 1389. ad Capizucchios deveniſſe conjicio ex Tabulis, quas affert Vincentius Armanni p. 18. libri, cujus titulus: *Racconto della Famiglia de' Capizucchi*, *Roma* 1668. Ex iis enim apparet, oppidanos quoſdam caſtri Nemoris *Nobili Viro Jacobello Joannis Pauli Capizucchi, tanquam Domino caſtri Turris Cancellſorum fidelitatem & vaſſallagium* jurejurando ſpopondiſſe. Quas autem quantaſque in poſterum viciſſitudines Dominorumque mutationes ſubierit, monumenta publica oſtendunt, quae in unum collegit *Dominicus Jacovacci* in lib. ad Alexandrum VII. quem inſcripſit: *Notizie di Caſtel Candolfo*. Hujus Celeberrimi Auctoris opera omnia mſs. ex Bibliotheca Ottoboniana nuper in Vaticanam illata ſunt.

(46) De Perleonum Familia egimus pag. 270. not. (71), & pag. 394. not. (*).

Digitized by Google

*..... mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum. Cum Monaſterium Sancte Marie de Palatiolis, Ordinis Ciſtercienſis* (47), *Albanenſis Dioc.. ...... tis, diverſis, variis, ac innumeris debitis fenerabilibus propter Abbatum & Gubernatorum ejuſdem Monaſterii malam, immo peſſimam adminiſtrationem* (48) *.....de bonis Monaſterii predicti, que dilapidatio bonorum potius dici poteſt & debet, dignoſcatur fore obligatum & aſtrictum, & quamplura ornamenta Monaſterii predicti pignorata & obligata, & ſpecialiter due cruces, una argentea ſine auro, & alia argentea ſupra deaurata, & una cappella de ſirico, ſilicet una planeta, una dalmatica *, & una tunicella de ſa........ jallo, cum freſis de auro, cum aliis pannis dicte capelle neceſſariis, ſint obligate & pignorate pro C. florenis boni auri Rubeo de Piſis in Romana curia mercatori, & quaſdam poſſeſſiones ejuſdem Monaſterii, quas idem Monaſterium habet in tenimento caſtri Marini* (49), *dicantur fore obligate & pignorate pro LX. florenis boni auri.... Barthellutio fratri dicti Rubei, & predicta ornamenta & poſſeſſiones in duplo dicantur excedere valorem predictorum florenorum, & pro eis recolligendis non ſit pecunia in dicto Monaſterio, nec poſſeſſiones*

(47) Monaſterium de Palatiolis, de quo ſup. pag. 462. not. (90), tunc erat Ordinis Ciſtercienſis, & ſubjectum Abbati S. Anaſtaſii ad Aquas Salvias. Sed antea fuit juris Abbatis S. Sabae, qui illud nonnullis Eremitis conceſſerat, qui primum Regulam S. Auguſtini, mox Inſtitutum Ciſtercienſe arripuerunt, ut conſtat ex Litteris Apoſtolicis Gregorii IX. & Innocentii IV. apud Ughellium Ital. Sac. tom. 1. in Epiſc. Albanen. pag. 259. Vide Caſimir. *Memorie Storiche de' Conventi de' Frati Minori cap. XVIII.*

(48) Adminiſtratorum itaque negligentia inter cauſſas imminutae Monaſteriorum dotis jure merito recenſenda eſt, ut diximus pag. 223. 237. & 269.

* *Dalmatica* latis manicis Diaconorum, anguſtis vero *tunicella* Subdiaconorum peculiare indumentum fuit, ut pluribus oſtenditur in Macri Hierolexico VV. *dalmatica* & *tunicella*. Nunc autem unam ab altera ne minimum quidem diſtingues: quod ſacris antiquis ritibus adverſari videtur.

(49) *Caſtri Marini*, quod Caji Marii ſepties Conſulis ſuburbanum fuiſſe ajunt, ut diximus pag. 472. not. (13).

*nes aliæ venales, & quæ commodius & minus utiles ad preſens vendi poſſint, quam poſſeſſiones infraſcriptæ, & ad hoc, quod ceſſet uſura, & dictum Monaſterium uſura pro dictis florenis non gravetur, cum certa alia debita honere uſurarum quamplurimum dictum Monaſterium gravetur, ita quod quolibet anno, ſolutis uſuris debitorum, fructus bonorum dicti Monaſterii vix ſufficiunt ad regimen & ſubſtentationem Monaſterii predicti, prout hec omnia, fama publica referente per totam contratam Maritime, dicantur fore publica, notoria, & manifeſta, & tam Abbatis quam Conventus dicti Monaſterii infraſcriptorum, ibidem preſentium & aſſeverantium teſtimonio vero & legitimo, ac relatione veridica comprobentur eſſe vera; & propterea Venerabilis Pater Dñus Frater Benedictus dictus Abbas (50) Monaſterii prelibati, & Conventus ejuſdem Monaſterii, videlicet Frater Andreas Subprior, Frater Johannes de Cortona, Frater Johannes de Provincia, Frater Nicolaus Theotonicus, & Frater Petrus Theotonicus, Monaci, & Frater Fatius Converſus Monaſterii ſupradicti, univerſaliter & ſollempniter, ut moris eſt, congregati ante cameram dicti Dñi Abbatis predicti ad ſonum campane de mandato Dñi Abbatis predicti, pro infraſcriptis omnibus & ſingulis ſpecialiter peragendis, volentes recolligere ornamenta & poſſeſſiones predictas, & carere uſuris, quas frequenter ſolvere ſe dicebant pro eis, habita prius ſecum matura deliberatione, & longo tractatu inter eos facto, aſſerentes ſe ſe licentiam, poteſtatem, & auctoritatem, & ſpeciale ac expreſſum mandatum habere a Reverendo*

(50) Benedictus Abbas ex Ordine Ciſtercienſi, aliique, qui hic commemorantur Religioſi Viri, ſi Caſimiro innotuiſſent, haud quaquam affirmaſſet *pag.* 231. Monaſterium illud jam ab Anno 1250. Monachis omnino deſtitutum fuiſſe, quemadmodum revera fuit Anno 1391. quo anno ad Carthuſianos S. Crucis in Hieruſalem devenit ex Diplomate Bonifacii IX. in quo legitur: *Monaſterium S. Mariae de Palazzolo Ciſtercien. Ordinis Albanen. Dioeceſis, quod ad praeſens Abbate & Monachis caret omnino, ac ſpinis & vepribus eſt repletum, & quod dilectus filius Thomas* (de Perleonibus) .... *obtinet in Commendam .... ſtatuimus, quod deinceps .... non Ciſtercienſis, ſed Carthuſienſis Ordinis exſiſtat & cenſeatur &c.* Vid. Caſimir. ubi ſup. not. (47).

Digitized by Google

*rendo in Chriſto Patre Dño Fratre Leonardo Abbate Monaſterii Sancti Anaſtaſii (51), quod poſitum eſt ad Aquam Salviam de Urbe, Patre Abbate dicti Monaſterii Palatiolis, eis factum oraculo vive vocis pro infraſcriptis omnibus & ſingulis ſpecialiter peragendis, cui Patri Abbati dicitur fuiſſe facta commiſſio per Capitulum Generale celebratum apud Ciſternum tempore Capituli Generalis pro vendendis quibuſdam poſſeſſionibus ad ipſius Monaſterii debita perſolvenda, prout in patentibus litteris dicte commiſſionis mihi dicto Notario viſis & oſtenſis plenius continetur, unanimiter & concorditer &c. vendiderunt &c. Johanni Serjanni de Albano, preſenti & recipienti nomine & vice Venerabilis Monaſterii Sancte Marie Rotunde de Albano, de Ordine Sancti Auguſtini &c. ideſt unum baltiolum terre ſementaricie V. rubitellarum in ſemine plus vel minus, juris & proprietatis dicti Monaſterii Palatiolis, poſitum in tenimento Albani ſive Sabelli in contrata, que dicitur Turris Epiſcopi (52), inter hos fines; cui a duobus lateribus tenet dictum tenimentum Turris Epiſcopi, ſive Epiſcopatus Albanenſis, juris proprii ipſius Epiſcopatus; a tertio Nobilis Vir Laurentius de Candulſis de Urbe (53), ſilicet pedica pala...... & Monaſterium Sancti Pauli de Albano (54), ſilicet baltiolum Margani, juris proprii dictorum Laurentii & Monaſterii; & a quarto via publica prati Paterni. Item & unum ali..... baltiolum dicti Monaſterii Palatiolis terre ſementaricie unius rubitelle in ſemine plus vel minus, juris proprii dicti Monaſterii, poſitum in tenimento Albani in contrata, que dici .... Raſclli inter hos fines; cui a primo latere eſt*

(51) Vel hinc patet, ejuſmodi Monaſterium ſubjectum fuiſſe Abbati S. Anaſtaſii ad Aquas Salvias, ut diximus not. (47).

(52) Quo loci nunc etiam campos aliquot poſſidemus, qui dicuntur *Torre de' Veſcovi*; quique conſtituti ſunt in partem dotis Coenobii noſtri S. Pauli Albani.

(53) *Nobilis Vir Laurentius de Candulſis* ſuperius commemoratus num. LIV. pag. 483. not. (44).

(54) *Monaſterium S. Pauli de Albano*, tunc Ordinis Guillelmitarum, cujus Fundationis Tabulas & Litteras Apoſtolicas Honorii IV. Ughellius affert in Epiſcop. Albanenſ. Ital. Sac. tom. I.

Digitized by Google

*eſt via publica; a ſecundo tenet Magiſter Franciſcus Sutor, & Raynaldus Nicolai Pauli de Albano, juris Curie Albanenſis; a III. Petrus Calzolarius de Albano, juris dicte Curie; & a quarto Jacobus olim Andree Nicolai Andree dicte terre, juris Curie predicte. Item unum aliud baltiolum duorum ſcorzorum terre ſementaricie plus vel minus, juris proprii dicti Monaſterii, poſitum in eadem contrata; cui a primo latere tenet Eccleſia Sancti Petri de Albano* (55)*, ſui juris; a ſecundo & tertio Paulus Dñi Nicolai de Albano, ſui juris; & a quarto dicta Eccleſia Sancti Petri. Item unum aliud baltiolum IV. rublorum cum dimidio in ſemine terre ſementaricie plus vel minus, juris proprii dicti Monaſterii, poſitum in contrata predicta inter hos fines; cui a I. latere tenent predicti Paulus Dñi Nicolai, & Eccleſia Sancti Petri, eorum proprii juris; a II. via publica & Eccleſia Sancte Marie in Pre.o..o, ſui juris; a III. ſtrata publica, & dictus Paulus Dñi Nicolai, ſui proprii juris; & a quarto dicta Eccleſia Sancte Marie in Pre.. de.....& Nobilis Vir Laurentius de Canduiſis* (56)*..... via publica mediante; & intra dictos fines in dicto baltiolo ſunt quidam baltioli dicti Monaſterii Sancte Marie Rotunde, ſui proprii juris, junti cum baltiolo predicto &c. Hanc autem venditionem &c. prefatus Dñus Abbas & Conventus memoratu, nomine & vice dicti Monaſterii Sancte Marie de Palatioliss & pro eo, eidem Johanni, preſenti & recipienti nomine & vice dicti Monaſterii Sancte Marie Rotunde, & pro eo, fecerunt, ut dictum eſt; pro eo quod predicti Dñus Abbas & Conventus preſentialiter & manualiter receperunt a predicto Johanne ibidem preſente & ſolvente CLII. florenos boni & legalis auri, ac recti ponderis, ſilicet LXXII. florenos pro pretio dicti baltioli ſiti in contrata Turris Epiſcopi, & LXXX. florenos pro pretio dictorum baltiolorum ſitorum in contrata de Roſellis* (57) *&c.*

*Hoc*

(55) *Eccleſia S. Petri de Albano* etiamnum ſtat, & *Cathedralis*, ut ajunt, fuit, antequam magnificum ibi S. Pancratii Templum exaedificaretur. Vide infra not. (73).

(56) Vid. ſupra not. (53).

(57) Nunc dicitur *Pian Ruſſelli*, quo

*Hoc actum eſt apud dictum Monaſterium ante cameram dicti Dni Abbatis, preſente Angelo Magiſtri Angeli de Albano, Angelo Fratris Leonardi dicte terre, Andrea Orlandi de Per....o, Nicolao Oddonis Perne de Velletro, Nicolao de Tyano, & Vanni de Monte Politiano, teſtibus rogatis &c, ......arnabe de Alb..... omnibus & predictorum ſingulis interſui, eaque ſcripxi & conplevi rogatus.*

## L V I.

YSUARDUS Archiepiſcopus Thebanus, & Supremi Pontificis in Urbe Vicarius, lata ſententia Monachos Alexianos in poſſeſſionem immittit vinearum, quas Monaſterium S. Sebaſtiani ad Catacumbas injuſte occupaverat extra portam Appiam.

I*N nomine Domini. Nos Nicolaus de civitate Theatina Decretorum Doctor, Cauſarum Auditor Generalis Venerabilis Patris Dni Yſuardi* (58) *Thebani Archiepiſcopi Dni Pape in Urbe Vicarii Generalis, & Cognitor Cauſe infraſcripte vertentis inter Monaſterium Sancti ALEXII de Urbe, Abbatem, & Conventum ejuſdem, & Maximum Andacumdei Notarium, Procuratorem & legitimam perſonam eorum pro eis ex una parte, & Monaſterium Sancti Sabaſtiani in Catacombam* (59), *Abatem, & Conventum ejuſdem, & Petrum Romanum Johannis Boni Notarium, Procuratorem & legitimam perſonam eorum & pro eis ex parte altera; in qua quidem Cauſa pro parte dicti Monaſterii* A.D. 1310.

Qqq *San-*

quo loci vinearum aliquot dominium, quod vocant directum, ad Alexianum Coenobium adhuc pertinet.

(58) *Yſuardi*, ad quem exſtant Litterae Clementis Papae V. quae Bonifacii VIII. innocentiam & famam vindicant, & afferuntur a Raynaldo in Annal. Eccleſ. ad An. 1310. ſic inſcriptae: *Venerabilibus Fratribus Yſnardo Archiepiſcopo Thebano Vicario noſtro in Spiritualibus in Urbe, Jacobo Avenionenſi & Altegardo Vicentino Epiſcopis &c.*

(59) De Monaſterio S. Sebaſtiani ad Catacumbas vide ſup. pag. 431. not. (23).

*Sanɗi ALEXII, Abbatis, & Conventus ejuſdem, & diɗi Procuratoris eorum pro eis, oblatus fuit libellus in hac forma: In nomine Domini. Coram vobis Diſcreto Viro Dño Nicolao de civitate Theatina Legum Doɗore, Auditore Reverendi Patris Dñi Yſuardi Thebani Archiepiſcopi Dñi Pape in Urbe Vicarii Generalis, proponit & agit Maximus Andacumdei Notarius, legitima perſona Monaſterii Sanɗi ALEXII de Urbe, Abbatis, & Conventus ejuſdem & pro eis, contra Monaſterium Sanɗi Sabaſtiani in Catacomba, Abbatem, & Conventum ejuſdem, & legitimam eorum perſonam pro eis in Judicio conparentem, dicens, quod prediɗi Abas & Conventus Sanɗi Sabaſtiani injuſte tenent & poſſident proprietatem & terram infraſcriptarum vinearum, pertinentium ad diɗum Monaſterium Sanɗi ALEXII jure dominii vel quaſi, quamque ſub certis paɗis & modis pro locatione recepit a diɗo Monaſterio Sanɗi ALEXII olim Presbiter Jacobus, Reɗor olim Eccleſie Sanɗe Marie ubi Dominus apparuit (60), recipiens pro ipſa Eccleſia Sanɗe Marie, que ſubeſt ipſi Monaſterio Sanɗi Sabaſtiani, & ad ipſum Monaſterium Sanɗi Sabaſtiani in temporalibus & ſpiritualibus pertinet, & ex perſona diɗi Presbiteri ipſas vineas acquirentis pervenerunt ad ipſum Monaſterium Sanɗi Sabaſtiani: que vinee & terra poſite ſunt extra portam Apiam ſupra Eccleſiam ubi Dominus apparuit, inter hos fines; quibus ab uno latere eſt proprietas diɗi Monaſterii S. Sabaſtiani; ab alio eſt via publica, per quam itur ad ipſum Monaſterium Sanɗi Sabaſtiani; ab alio tenuit olim Angelus Johannis Landi, & nunc tenent heredes olim Franciſci Azaccaferri de Piſcina, vel ſiqui alii ſunt veriores confines. Quare cum paɗa & tenores locationis prediɗe, ſcripte olim per Leonardum Jacobi Rubei Notarium, non fuerunt nec ſint ſervata per diɗum Monaſterium Sanɗi Sabaſtiani, Abbatem, & Conventum ejuſdem, & ceſſatum in ſolutione canonis per tempus & tempora, neque renovatio ipſius locationis petita & faɗa ſecundum modum locationis prediɗe, petit idem Maximus Procura-*

(60) *Ubi Dominus apparuit*. Vide pag. 253. not. (20).

Digitized by Google

*curator procuratorio nomine, quo ſupra, cogi & condempnari ſibi pro dicto Monaſterio Sancti ALEXII, Abbati, & Conventui ejuſdem, & pro eo, necnon & ſibi Maximo legitime perſone eorum pro eis, dictum Abbatem, & Conventum Sancti Sabaſtiani, & legitimam eorum perſonam pro eis in Judicio comparentem, ad reſtitutionem proprietatis & terre dictarum vinearum, & poſſeſſiones earumdem, & ad id, ſi opus fuerit, eoſdem per cenſuram eccleſiaſticam compelli, & per vos ſententialiter condepnari. Predicta petit cum fructibus perceptis & percipiendis, & cum dampnis, & expenſis, & omni legitima cauſa, ſalva poteſtate &c...... interloquendo pronumptiamus in hiis ſcriptis in contumaciam partis adverſe, predictum Maximum, Procuratorem & legitimam perſonam dicti Monaſterii Sancti ALEXII, Abbatis, & Conventus ejuſdem pro eis, mictendo & remicti debere in tenutam & poſſeſſionem dictarum vinearum, terre ſcilicet & proprietatis ipſarum; quia predicti Abbas, & Conventus dicti Monaſterii Sancti Sabaſtiani, & dictus eorum Procurator pro eis, legitime vocati & requiſiti coram nobis, quod venirent reſponſuri dicto Monaſterio Sancti ALEXII, Abbati, & Conventui ejuſdem &c. comparere ceſſarunt; & quia dictus Maximus, Procurator & legitima perſona dicti Monaſterii Sancti ALEXII, Abbatis, & Conventus ejuſdem, juravit & ſummarie declaravit coram nobis, quod predicta per malitiam non petebat.*

*Lecta & pronuntiata per dictum Auditorem ſedentem ad bancam pro Tribunali ad jura reddenda, preſente & petente dicto Maximo, Procuratore & legitima perſona dicti Monaſterii Sancti ALEXII, Abbatis, & Conventus ejuſdem pro eis, apud Sanctum Baſilium* (61) *de Urbe ſub Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo, tempore Dñi Clementis Quinti Pape, anno ejus quinto, menſis Octubris die ultimo, none Indictionis, preſentibus*

 *hiis*

(61) *Apud S. Baſilium* in regione Montium, ut arbitror, prope Forum Nervae; quo de Templo agit Martinellus Rom. Sac. pag. 79. Nam quae nunc Aedes Divi Baſilii vocatur, atque ad Monachos Baſilianos pertinet prope Barberinos, Innocentio XI. Pontifice inſtaurata eſt.

*hiis teſtibus, ſcilicet Laurentio Leporis, Phylippo Nicolai, & Andrea de ........ Notariis dicti Dñi Vicarii, Presbitero Franciſco, Jacobo de Petrata Tabernario, Presbitero Petro Sancti Bartholomei de Arenula.*

*Eodem anno, Indictione, & menſis Maji die XXV. In preſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Paulus Johannis Guicti Canonicus Ecclesie Sanctorum Quirici & Julitte* (62), *Nunzolus Curie Venerabilis Patris Dñi Fratris Tſuardi Thebani Archiepiſcopi, Dñi Pape in Urbe in Spiritualibus Vicarii Generalis, ex vigore mandati & commiſſionis ſibi facte per Dñum Mattheum Angeli Johannis Cinthii dicti Dñi Vicarii & ejus Curie Auditorem, ejus bona voluntate inveſtivit corporaliter Dñum Fratrem Bonifatium, Priorem & Procuratorem Monaſterii Sancti ALEXII de Urbe, & Maximum Andacumdei Notarium, legitimam perſonam dicti Monaſterii, & pro eis, de terris & vineis predictis in dicto libello contentis, aſſignando ſibi de ipſis terris & arboribus ejuſdem pacifice & quiete poſſeſſionem earumdem. Actum preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Paulo Dñi Maximi, Paulo Dñi Johannis Berzi Canonico Eccleſie Sancti Angeli Foro Piſcium* (63), *& Nello Benvenuti de Peruſcio.*

*Et ego Julianus Guicti Johannis Aſtalli, Dei gratia Sacri Prefecti Auctoritate Notarius, & nunc Notarius dicti Dñi Vicarii, predicta ſcripſi, publicavi, & in publicam formam redegi rogatus, de mandato ſupradicti Dñi Auditoris.*

HIE-

(62) *Eccleſia SS. Quirici & Julittae* in regione Montium, quae antiquitus appellabatur Suburrana, & erat *Collegiata Canonicorum*, ut ait Martinellus pag. 294. a Paulo V. reſtituta fuit, & nunc Parochialis eſt, quam ab Innocentio XIII. Dominicani adminiſtrandam obtinuerunt.

(63) *S. Angeli in Foro Piſcium* Aedes antiquiſſima a Bonifacio II. exſtructa, atque a Stephano III. A.D. 752. inſtaurata, nunc eſt Titulus Diacon. S. R. E. Cardinalium.

## LVII.

### HIERONYMUS Alexianus Abbas aſſentitur venditioni cujuſdam domus Viterbii factae Priori SS. Lucae & Fauſtini.

*IN nomine Domini amen. Anno ejuſdem Nativitatis milleſimo .CCC. decimo, tempore Dñi Clementis Pape V. Indictione octava, menſis Octubris die XXVII. intrante. In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Reverendus Vir Dñus Frater Geronamus* (64), *Dei gratia Abbas Monaſterii Sanctorum Bonifatii & Alexii de Urbe, & Frater Riccus Prior ejuſdem Monaſterii, per ſe ſuoſque ſucceſſores, promiſerunt & convenerunt Dño Falcono Magiſtri Rollandi Priori Eccleſie Sanctorum Luce & Fauſtini* (65), *ex pacto habito inter eos, quod ipſe Dñus Falconus & ejus Canonici conſenſerunt cuidam venditioni cujuſdam caſalini, poſiti in contrata Sancti Luce juxta rem dicti Monaſterii & viam publicam, & juxta viam, qua itur ad molendinum dicte Eccleſie Sancti Luce, & alios ſuos confines, facte per ....... Magiſtri Mathei eidem Dño Abbati, ut patet de predictis publicum Inſtrumentum, ſcriptum manu mei Caciati Notarii infraſcripti, dare & ſolvere octo libras bonorum denariorum paparenorum hinc ad duos annos proxime venturos &c. Actum eſt hoc Viterbii in domo Monaſterii predicti, preſentibus ......... Rollandi, Presbytero Synerio Oblato dicti Monaſterii, Rogerio Franciſci, Bucio Guidonis, & Ser Lucio Notario de Urbeveteri, teſtibus ad hec ſpecialiter vocatis & rogatis.* A.D. 1310.

*Et ego Caciatus Magiſtri Johannis Notarii, Auctoritate Alme Urbis Prefecti Judex Ordinarius & Notarius, predictis interfui, & rogatus ſcripſi, & publicavi.*

Ale-

(64) De Hieronymo Alexiano Abbate vid. pag. 264.

(65) Aedes antiqua SS. Lucae & Fauſtini Viterbii nunc ſubjecta eſt Priori SS. Fauſtini & Jovitae; de qua vide Buſſium Hiſtor. Viterb. pag. 64.

# LVIII.

Alexianorum *caſale de S. Euphemia* ab eodem Abbate HIERONYMO datur in emphyteuſim.

A.D. 1315. *IN nomine Domini. Anno Nativitatis Dñi milleſimo CCCXV. Apoſtolica Sede Paſtore vacante per mortem Dñi Clementis Pape V. Indictione XIII. menſe Januario, die XI. In preſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Reverendus Pater Dñus Frater Conradus* (66), *Dei gratia Abbas Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, Canonici, & Conventus ejuſdem Monaſterii, ſcilicet Frater Franciſcus Prior, Frater Jacobus Prepoſitus, Frater Alexius, Frater Nicolaus, & Frater Stephanus, eorum bonis & ſpontaneis voluntatibus, pro ſeipſis & dicto Monaſterio, dederunt & conceſſerunt ad laborandum pro quinque annis proxime futuris Nicolao Johannis Lato, & Macthеo Angeli Abbatis, ambobus de caſtro Dñi Johannis de Sabello* (67), *preſentibus & recipientibus pro ſeipſis, eorumque heredibus & ſucceſſoribus ſecundum tenores ſubſcriptos, ideſt unum caſale dicti Monaſterii, quod dicitur de Sancta Fumia* (68), *cum omnibus ſuis juribus, yntroitibus, exitibus, pertinentiis, & adjacentiis ejuſdem, quod poſitum eſt extra portam Apie in tenimento dicti caſtri inter hos fines; ab I. latere eſt tenimentum caſtri Sabelli; ab alio caſale de Pereto; ab alio tenet Dñus Petrus Nicolatri; ab alio tenet Paulus Berardi Piſciafore; ab alio eſt tenimentum Caſtellutie &c. Hanc autem dationem & conceſſionem fecerunt eiſdem; pro eo quod*

(66) De Conrado Alexiano Abbate vid. pag. 266.

(67) De caſtro Sabellio vid. pag. 266. not. (60). De Joanne autem Sabellio vid. num. LIV. pag. 481. not. (41).

(68) *Caſale de S. Fumia*, de quo ſup. pag. 230. not. (18), pag. 408. not. (72), & pag. 417. num. XX. not. (88).

Digitized by Google

*quod promiſerunt ſolvere dicto Monaſterio quolibet anno in Feſto Natalis Domini pro yntroitu dicti caſalis XIII. libras proviſinorum, quem introitum & pecuniam dicti Dñus Abbas & Canonici confexi ſunt ſe recepiſſe pro hoc preſenti anno; & pro eo quod promiſerunt quolibet anno, ab hoc anno in antea, ſolvere dictum introitum in Feſto Natalis, ut dictum eſt, quod ſi non ſolverint in dicto Feſto, in Octavo duplicabunt; & pro eo quod promiſerunt annuatim tempore meſſium dare & tradere in areis dicti caſalis predictis Dño Abbati & Canonicis, ſeu eorum factori & nunctio quartam partem totius grani, ordei & cujuslibet alterius bladi, quod annuatim ex dictis terris recoligent, & denunctiare eis, quando volent tritare, per unum diem, antequam tritent, & dare manducare & bibere nunctio ſeu factori dicti Monaſterii, quando iverit pro dicta quarta recoligenda &c. Finito dicto tempore V. annorum, dictum caſale libere redeat ad dictum Monaſterium, & hec carta vacua ſit &c.*

*Actum in dicto Monaſterio, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Cecco Orlandi, Salvato Magiſtri Frederici Jubarellario, Petro Sancti Angeli, Presbytero Johanne Sancte Marie Madalene de monte Male.*

*Ego Petrus Maximi, Dei gratia Alme Urbis Illuſtris Prefecti (69) Auctoritate publicus Notarius, quia predictis omnibus interfui, ea ſcripſi & publicavi rogatus.*

Dedi-

(69) De Romanae Praefecturae poteſtate & juriſdictione agit Contelorius in lib. de Praefecto Urbis cap. IV. ubi num. 44. publicis ex Tabulis evincit, jus fuiſſe Praefectis Urbis creandi Judices & Notarios, qui hac formula utebantur: *Ego NN. Auctoritate Almae Urbis Praefecti Notarius &c.* vel *Ego NN. Dei gratia Sacrae Romanae Praefecturae Judex & Scriniarius*. Hujus formulae originem Contelorius repetit ab Anno 1270. Sed illius exempla frequentiora ſunt Saeculo XIV. uti vel ex hac ipſa noſtra Appendice conſtat num. XLIX. LVI. LX. & ſeq. De Notariis autem conſulendus Muratorius diſſ. XII. Ant. Ital. med. aevi tom. I.

Digitized by Google

# LIX.

## Dedicatio Templi & Altarium S. Mariae Rotundae Albani (70).

A.D. 1316. *UNiverſis Sancte Matris Eccleſie filiis, preſentes Licteras inſpecturis, Frater Nicolaus (71), miſeratione divina Tortibulenſis Epiſcopus, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.*

*Meritis Sacre Religionis inducimur, ut favoris benigni gratia juſtos deprecantia jugiter proſequamur, in hiis precipue, que noſcuntur ad Divini cultum Nominis pertinere. Cum itaque ex parte dilecte in Chriſto filie noſtre Agnetis (72) Abbatiſſe Venerabilis Monaſterii Sancte Marie Rotunde, ejuſque Sororum, de caſtro Albani Dyoceſis Albanenſis, nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut accedere perſonaliter deberemus ad Monaſterium prelibatum, pro Conſacratione majoris Altaris Sancte Marie Eccleſie ſupradicte, necnon quatuor Altarium conſacrandorum in eadem Eccleſia exiſtentium, infraſcriptorum vocabulorum, videlicet Sancti Johannis, Sancti Nicolai, Sancti Bartholomei, Sancti Auguſtini; nos vero earumdem precibus inclinati, conſiderantes tam pium opus urgens & expedi-*

(70) Quandoquidem Aedes & bona Monialium S. Mariae Rotundae Albani ad nos devenerunt A.D. 1444. ipſaque unio apparet ex Eugenii IV. Diplomate Dat. Non. Junii, Pont. An. XIV. ut diximus pag. 239. iccirco Acta Dedicationis hujuſce Templi minime praetereunda exiſtimavimus.

(71) *Nicolaus Epiſcopus*, cujus nomine ſuppleri & augeri poterit ſeries Epiſcoporum Turtibulenſium apud Ughellium, qui lacunam reliquit ab A. D. 1300. uſque ad A. D. 1366. & ſeptem dumtaxat ejus Sedis Antiſtites recenſuit Ital. Sac. tom. VIII. col. 389. Sed antiquus hujuſmodi Epiſcopatus Turtibulenſis in Provincia Capitanatae Regni Neapolitani, ſubjectus olim Metropolitae Beneventano, ad campeſtris Archipresbyteri gradum nunc dejectus eſt, & unitus Eccleſiae Lucerinae.

(72) *Agnetis Abbatiſſae*, de qua vid. App. num. LIV.

*pedibile miniſterium, annuimus votis ſuis; & illico ad Monaſterium ejuſdem Eccleſie accedentes cum venerabili devotione, & cum manda ſollempnitate adibita coram aſtanti Clero & populo, eadem Altaria conſacravimus, & conſacrando reperimus in majori Altari ejuſdem Eccleſie quamdam caſſam reverenter ornatam cum multis, inmenſis, & innumerabilibus Sanctorum Reliquiis, quas per Religioſum Virum Fratrem.. Gardianum Sancti Pangratii (73) de Albano hoſtendi fecimus; quorum quedam ſpecialiter deſignantur: in primis* de Ligno Crucis, de Reliquiis Beati Philippi, Sancti Romani Martiris, Apoſtolorum Simonis & Jude, de Veſtimento Beati Johannis, Sanctorum Johannis & Pauli, Sancti Silveſtri, de Sepulcro Domini, Sancti Mathie, Sanctorum Goſme & Damiani, Sanctorum Urbani & Ypoliti, Sancte Marie Madalene, de Sanguine plurimorum Martirum, Sancti Ciriaci, de Pane Menſe Domini, Sancti Savini Martiris, Sancti Stephani, de Capite Beati Andree Apoſtoli, aliorumque plurimorum Sanctorum. *Inſuper invenimus quamdam cartam infraſcripti tenoris, cujus tenor per omnia talis eſt: In nomine Domini, amen. Anno ejuſdem milleſimo CCCXVI. Indictione XIIII. menſe Junii, die XXVIIII. Ego Frater Marchus Monachus & Sacriſta Monaſterii Sancte Marie Gripte Ferrate* (74), *& Dopnus Simon dicti Monaſterii Monachus, in pre-*



(73) *S. Pancratii* Eccleſiam, quae nunc Albani Cathedralis eſt, & ab Archipresbytero, atque Archidiacono, una cum Canonicis octo adminiſtratur, Anno 1316. pertinuiſſe ſuſpicor ad Religioſos Viros Ordinis S. Franciſci, quorum Praeſes ſeu *Guardianus*, ut vocant, hic commemoretur. Vetus enim Albani Baſilica aut *S. Petro*, ut diximus not.(55) pag.488. aut *S. Joanni Baptiſtae* ſacra fuit, & a Conſtantino Magno, ut fertur, exaedificata. *Iiſdem temporibus fecit idem Auguſtus in civitate Albanenſi Baſilicam in honorem Sancti Joannis Baptiſtae &c.* Ex Anaſtaſ. Biblioth. in Vita S.Silveſtri apud Vignolium lib. Pontifical. num.XXX. & apud Blanchinum tom.2. ſect.46.

(74) *Cryptae Ferratae* jam tum Ordinis Monachorum S.Baſilii, cujus Sacram Aedem B. Virgini Immaculatae ſacram a ſolo fecerat Beatus Bartholomaeus Abbas, ut legitur in ejus Vita not. XXXI. Vide *Note ed Oſſervazioni alla Vita di S. Bartolomeo IV. per opera del P. D. Giacomo Sciommari, Roma* 1728.

Digitized by Google

*ſentia Dopni Jacobi Presbiteri Sancte Marie in Aquiro* (75) *de Urbe, Presbiteri Johannis Rectoris Sancti Andree de Columpna* (76) *de Urbe, & Presbiteri Gentilis Cappellani Monaſterii Sancte Marie Rotunde de Albano, notum facimus & teſtamur, quod in Altari majori dicti Monaſterii Sancte Marie Rotunde reperimus quamdam caſſam reverenter ornatam cum multis & innumerabilibus Reliquiis Sanctorum, cum quadam carta infraſcripti tenoris, cujus tenor per omnia talis eſt*: Hoc factum eſt ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beate Marie ſemper Virginis, Sancti Savini Martiris adque Pontificis, Sancti Silveſtri Pape, & Sipe, & Sancti Johannis & Pauli, a Dompno Bonifatio (77) Albanenſi Epiſcopo, Anno ab Incarnatione Domini M. ſexageſimo, tempore Nicolai Secundi Pape (78), Indictione XIII. VII. Ydus Decembris. Gregorius Archidyaconus, cum duobus ſigillis predictorum Cardinalium & Archidiaconorum, & duabus ampullis cum Reverendiſſimis Reliquiis, & cum quadam caſſa tribus figuris picta Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beate Marie Virginis, & Sancti Laurentii, quorum omnium Reliquie intus erant. *Poſtmodum invenimus quaſdam Grecas litteras amplam & magnam Indulgentiam continentes, in quodam*

(75) *S. Mariae de Aquiro* Templum antiquiſſimum in regione Columnae prope aedes Capranicorum ab Anaſtaſio Pontifice conditum, a Gregorio XIII. ampliorem in formam reſtitutum, cui nunc adjectum eſt Collegium Salviatum. Vid. Martinell. Rom. Sac. p.215.

(76) *S. Andreae de Columna* Sacra olim Aedes prope Baſilicam XII. Apoſtolorum, ut conjicit Martinellus pag.336. Rom. Sac.

(77) Bonifacius Albanenſis Epiſcopus ex Familia de Comitibus a Leone IX. Pont.Max. in Sacrum R.E. Cardinalium Collegium cooptatus, de quo plene agunt Ughellius in Epiſc. Albanen. tom. primo Ital. Sac. & Ciacconius RR. PP. tom. primo ad An. 1049. in Hiſt. RR. PP.

(78) Nicolaus II. antea Gerardus, natione Burgundio, Epiſcopus Florentinus, electus eſt R. Pontifex Senis die IX. Decembris An. 1058. Sedit annos II. menſes IV. dies 25. Obiit Florentiae die 24. Junii A. D. 1061. ibidemque ſepultus eſt in Templo Sanctae Reparatae. Vid. Papebroch. in Conatu Hiſt. Chronolog. RR. PP.

Digitized by Google

*quodam marmoreo Pytaphio ſculptas, quas de Greco in Latinum, dante Domino, transferri juximus. Hiis reverenter hoſtenſis, omnibuſque fideliter declaratis, & dictis Altarium Conſacrationibus perfectis, Miſſam alta voce ſollempniter decantavimus; & ea celebrata, circa Indulgentiam Eccleſie antedicte curam & ſollicitudinem ſollempnem habere volentes, conſiderantes, quod Sancti Patres ob remiſſionem peccatorum in Eccleſiis conſueverunt Indulgentiam exibere, invenimus, quod bone memorie Dñus Bonifatius Papa VIII.* (79) *pro ſingulis vocabulis Dedicationum Eccleſiarum IIII. annos & XL. dies, necnon pro ſingulis Altaribus conſacrandis IIII. alios annos & totidem XL. dies indulgendo manus porrexerit gratioſas, ut ex Privilegio dicti Dñi Bonifatii colligimus evidenter. Inſuper invenimus Eccleſie ſupradicte trium annorum & totidem XL. dierum Indulgentiam fuiſſe conceſſam, ut ex ſerie Privilegii Eccleſie predicte conceſſi apparere dignoſcitur manifeſte; noſque conſiderantes, quod ex poteſtate a Canone nobis tradita & conceſſa in unaquaque Eccleſie Conſacratione ſeu Altaris, unum annum & XL. dies pro Indulgentia de jure poſſumus elargiri, univerſitati veſtre tenore preſentium damus notum, quod hac die preſenti cum debita ſollempnitate adibita, in Feſtivitatibus ſeu etiam Sollepnitatibus Beate Marie Virginis, Sancti Johannis, Sancti Nicolai, Sancti Bartholomei, & Sancti Auguſtini dumtaxat, Indulgentiam XXXII. annorum & totidem XL. dierum, ac etiam in earumdem Feſtivitatum Octabis, facta coacervatione omnium Indulgentiarum in dicta Eccleſia Sancte Marie Rotunde, nuntiamus, declaramus, ac etiam publicamus, ſtatuentes & firmiter declarantes, ut quicumque vere penitens & confexus, qui vel que predictam Eccleſiam in ejus Feſtivitatibus & Sollempnitatibus, & earumdem Octabis, & ipſorum Altarium Conſacrationibus, cum devotione & cordis contritione viſitaverit, manuſque porrexerit adjutrices, predictam Indulgentiam conſequatur. In*

 *cujus*

(79) Bonifacius PP. VIII. de quo ſup. vid. pag.474. not. (21).

*cujus rei teſtimonium & fiduciam pleniorem, has preſentes Licteras ſcribi juximus, & noſtri ſigilli appentione muniri. Datum apud dictum Monaſterium Eccleſie Sancte Marie Rotunde de Albano, Anno Domini milleſimo trecenteſimo XVI. Indictione XIIII. tempore Pontificatus Dñi Johannis Pape XXII, (80) anno ejus primo, menſe Septembris, die VIII.*

*Locus ✠ Sigilli.*

## L X.

JOANNES Abbas Procuratorem Alexiani Monaſterii nominat Cacciatum Magiſtri de Viterbio.

A.D. 1319. *IN nomine Domini. Anno Nativitatis Domini milleſimo CCCXVIIII. tempore Dñi Johannis XXII. Pape, Indictione ſecunda, menſe Junii, die XII. In preſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Reverendus Pater Dñus Frater Johannes (81) Dei gratia Abbas Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, Canonici, & Conventus ejuſdem Monaſterii, ſcilicet Frater Jacobus Prior, Frater Paulus, Frater Nicolaus, & Frater Johannes, de mandato dicti Dñi Abbatis in dicto Monaſterio more ſolito congregati, eorum bonis & ſpontaneis voluntatibus, pro ſeipſis & vice & nomine dicti Monaſterii, fecerunt, conſtituerunt, & ordinaverunt eorum & dicti Monaſterii verum & legitimum Scyndicum, Procuratorem, Yconimum, Factorem, Defenſorem, & Nunctium ſpecialem in civitate*

*vitate*

(80) Joannes XXII. Jacobus de Oſſa ex civitate Caturci ( Gallice *Caors* ) Card. Epiſc. Portuenſis, Lugduni electus R. P. die 7. Auguſti An. 1316. Sedit annos XVIII. menſes III. dies 28. defunctus Avenione die 4. Decembris A. D. 1334. ibique ſepultus in Templo S. Mariae de Donis. Is primus fuit ex Romanis Pontificibus, qui aureos nummos cuderit, ut conjicit Floravantes de antiquis RR. PP. denariis in Joanne XXII. pag. 52.

(81) De Joanne Alexiano Abbate diximus Cap. XVII. pag. 266.

Digitized by Google

*vitate Viterbii & ejus Curia Providum & Diſcretum Virum Cacciatum Magiſtri Johannis de Viterbio, licet abſentem tamquam preſentem, ad omnes eorum & dicti Monaſterii cauſas, lites, & queſtiones, quas habent & habituri ſunt in dicta civitate Viterbii & ejus Curia contra omnes perſonas, loca, & univerſitates, & coram Curia Patrimonii Beati Petri in Tuſcia, & coram Curia majori & minori dicte civitatis, civiliter & criminaliter, & in qualibet alia Curia Eccleſiaſtica & Seculari, & coram quolibet Judice ad agendum, petendum, reſpondendum, defendendum &c. & generaliter ad omnia alia faciendum, que merita cauſarum requirunt, & que ipſi facere poſſent, ſi perſonaliter intereſſent &c.*

*Actum in dicto Monaſterio preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Mattheo Picciolini, Stephanello Pellipario, Nicolao Petri Egidii, teſtibus.*

*Ego Petrus Maximi* (82) *de Urbe, Dei gratia Alme Urbis Illuſtris Prefecti Auctoritate publicus Notarius, quia predictis omnibus interfui, ea ſcripſi & publicavi rogatus.*

## LXI.

JACOBUS Abbas hereditatem capit bonorum Viterbii, quae Alexianis obvenerant ex teſtamento *Catharinae uxoris Ricchi Corbuli.*

*IN nomine Domini, amen. Anno ejuſdem Nativitatis milleſimo CCCXXX. tempore Dñi Johannis XXII. Pape, Indictione XIII. menſe Auguſti, die XXV. intrante. In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, cum Dña Catarina, uxor Ricchi Corboli* * *de Peruſcia, ſana mente & corpore ſuum condiderit teſtamentum, in quo inſtituit ſibi heredem Fra-* A.D. 1330.

(82) Petrus Maximi idem, qui ſup. pag.495. not. (69), fortaſſis ex nobili Familia de Maximis, de qua egimus pag.320. & ſeq.

* *Corbuli*. Familiam de Corbuſiquam & praenobilem fuiſſe conjicio ex Tabulis, quas affert Ughel-

*Fratrem Matheum* (83) *Abbatem Monaſterii Sancti ALEXII de Urbe, contemplatione dicti Monaſterii, & Riccum virum ſuum; & dictus Riccus & dicta Dña Catarina mortui ſint, & Reverendus Vir Dñus Frater Jacobus* (84) *Abbas dicti Monaſterii Sancti Alexii de Urbe, volens hereditatem & bona, que fuerunt olim dicte Dne Catarine acquirere Monaſterio ſupradicto, hereditatem dicte Dñe Catarine adhiverit; adcedens ad quamdam vineam poſitam in pertinentiis Viterbii in contrata Amandrualis, vel ſiquod eſt aliud loci vocabulum, juxta rem heredum Clementis de Bagnaria* (85), *rem Mutii Laurentii, rem heredum Caſoli, viam publicam, & alios ſuos confines, & ad terras poſitas in pertinentiis civitatis Viterbii in contrata de Buſſetis, juxta rem & alios ſuos confines, que bona fuerunt in bonis & de bonis dicte Dñe Catarine, & in ejus hereditate remanſerunt tempore mortis ſue, corporalem poſſeſſionem dictarum vinee cum fructibus exſiſtentibus in ea, & predictarum terrarum intravit & apprehendit, nemine contradicente, dicens, ſe velle dicta bona nomine dicti Monaſterii animo & corpore poſſidere.*

*Acta ſunt hec in bonis predictis & quolibet eorum, preſentibus Jutio Vannis, Blaſcio Sandrii, Valentino Magiſtri Locti,*

&

Ughellius in Epiſc. Ravenn. tom. 2. Ital. Sac. n. 78. In iis enim legitur Bonifatius Comitiſſae Mathildis nepos, & *Corbuli* frater, ſcilicet: *Anno ab Incarnat. Dñi MCLVIII. Dño Hadriano Papa Eccleſiae Dei praeſidente... Ego quidem in Dei nomine Bonifatius filius Lamberti Comitis, pro me & pro CORBULO FRATRE MEO &c... dono & concedo &c... tibi praeſenti D. Anſelmo Dei gratia S. Ravenn. Eccleſiae Archiepiſcopo, tuiſque ſucceſſoribus &c... medietatem caſtri Muſtioli integram, quam pater meus acquiſivit &c.*

(83) de Matthaeo Abbate vid. Cap. XVII. pag. 266.

(84) De Jacobo Abbate vide ibidem pag. 266. & mendum corrige, quod irrepſit; nam *Jacobus*, non *Joannes alter* legendum eſt.

(85) *Bagnaria* ſuburbanum mille paſſus a Viterbio diſtans, quo loci Jo. Franciſcus Card. Gambara villam optimam inſtruxit, cultiſſimam, & amoeniſſimam, quam nunc obtinet Fredericus S.R.E. Cardinalis Lantes, Princeps omnium ſermone celebratiſſimus.

Digitized by Google

*& Raynutio Cintii, teſtibus ad hec ſpecialiter vocatis & rogatis.*

*Et ego Caciatus Magiſtri Johannis Notarius de Viterbio, Auctoritate Alme Urbis Prefecti Judex Ordinarius & Notarius, predictis omnibus interfui, & rogatus ſcribere ſcripſi, & publicavi.*

## LXII.

*Magnificus Vir* FATIOLUS DE PRAEFECTIS, Viterbii Dominus, & ratas habet teſtamenti tabulas antedictae Catharinae, & praedia ejuſdem, quae locationis titulo ipſe receperat, Alexianis dimittit.

*IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimoquarto, tempore Dni Johannis Pape XXII.* (86), *Indictione ſecunda, menſe Martii, die VII. intrante.* A.D. 1334. *In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, ad petitionem & inſtantiam Reverendi Patris & Dni, Dni Fratris Guilelmi* (87) *Abbatis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, nomine & vice dicti Monaſterii petentis, recipientis, & legitime ſtipulantis, Magnificus Vir Fatiolus de Prefectis* (88) *dixit, aſſeruit, & recognovit pro vero, ſe totum podere olim Dñe Caterine uxoris quondam Ricchi Corbuli de Perusio, videlicet quemdam campum cum prato, poſitum in pertinentiis civitatis Viterbii in contrata de Buſ-*

(86) Joannes XXII. de quo ſupra not. (80).

(87) De Guillelmo Alexiano Abbate vid. Cap. XVII. p. 266. & ſeq.

(88) *Fatiolus de Praefectis*, de quo ſup. pag. 266. not. (65), fuit ex Familia Vicana ſeu de Vico, quae Praefecturae dignitatem per duo & amplius Saecula obtinuit. Benedictus Floravantes nummum refert Sixti PP. IV. Viterbii cuſum, in cujus una parte totam aream occupat littera P, quae prima eſt nominis Praefecti, in altera Leo ſex panibus ad nummi oram diſpoſitis, qui ab unoquoque piſtoriae artis in ſingulos dies Praefecto Urbis pendebantur. Vid. *Floravant. antiqui Rom. Pont. denarii* in Sixto IV. num. V. pag. 143.

Digitized by Google

*de Buſſetis, juxta rem olim Mattucii Jacobi Johannis Peruſini, & nunc Magiſtri Johannis Sandri, juxta rem olim Magiſtri Leonardi Medici, rem Jacobutii olim Gerardi, alias dicti Caldi, rem Scambii Thome Periſ.......... zari, & juxta viam publicam, & alios ſuos confines, & quamdam vineam poſitam in pertinentiis dicte civitatis Viterbii in contrata Amandrujalis, juxta rem heredum Clementis de Bagnaria, rem Tucii Caſole de dicto caſtro, juxta viam, & alios ſuos confines, item quamdam domum poſitam in dicta civitate Viterbii (89) in contrata Sancti Stephani, juxta rem Cicci Dni Paltoni, rem Clementis Rubei Macellarii, juxta viam publicam, & alios ſuos confines, item quamdam aliam domum poſitam in dicta contrata juxta ſupradictos confines, item quamdam aliam domum cum apotheca, poſitam in dicta civitate Viterbii in ſupradicta contrata Sancti Stephani, juxta rem heredum Matheutii Mutii Petri Mathei, rem Eccleſie Sancti Stephani, juxta ſtratam & viam, & alios ſuos confines, olim relict. ut dicitur, per ipſam Dnam Caterinam dicto Monaſterio Sanctorum BONIFATII & ALEXII in ſuo ultimo teſtamento, jam ſunt duo anni & plus tenuiſſe, & nunc tenere nomine ipſius Monaſterii, & pro ipſo Monaſterio, titulo cujuſdam locationis olim ſibi facte per Reverendum Patrem & Dñum, Dñum Fratrem Jacobum, olim & tunc Abbatem Monaſterii prelibati, ut de dicta locatione eidem Fatiolo facta pro decem annis, ad... certam annuam penſionem reddendum per ipſum Fatiolum Monaſterio ſupradicto, poderis predicti aſſerit patere manibus Ser Egidii Ser Franciſci Scambii Maczangnoni Notarii de Viterbio. Et ipſam locationem prefatus Fatiolus videns & cognoſcens pro vero non modicum dicto Monaſterio fuiſſe & eſſe dampnoſam, nolens eccleſiaſtica bona exurpare (90), ſed potius Eccleſias & earum bona manute-*

(89) De civitate Viterbii vide Felicianum Buſſi in Hiſtor. Viterbien.

(90) Perrarum moderationis & aequitatis exemplum in viris praepotentibus, qui aliena uſurpare conſueverunt; &, quod ſemel impetrarunt, nunquam dimittunt, ut diximus pag. 270.

Digitized by Google

*nutenere, & juxta poſſe defendere, ipſi locationi, & omnibus & ſingulis in dicto Inſtrumento locationis contentis, non vi, non dolo, nec metu ductus, ſed ſua bona propria & ſpontanea volumptate, liberoque arbitrio, preſente ibidem, recipiente, & ſtipulante legitime Dño Fratre Guillelmo Abbate predicto, nomine dicti Monaſterii & pro ipſo Monaſterio, renuntiavit expreſſe, non obſtante, quod dicta locatio facta eſſet pro X. annis, ut ſuperius eſt expreſſum; & ipſum podere, ac bona, & poſſeſſiones omnes ſupradictas eidem Dno Abbati, quo ſupra, nomine recipienti, libere relapſavit, ac eidem verbo & facto reſtituit; & eidem Dño Abbati, quo ſupra, nomine dictum podere, ac bona, & poſſeſſiones jam dictas dictus Fatiolus a dicta locatione ſibi facta, & qualibet alià obligatione, ſibi de jure vel de facto ipſorum bonorum debita, nomine & occaſione locationis predicte, abſolvit & liberavit expreſſe; & ſiquod jus ſibi acquiſitum eſſet in podere, bonis, & poſſeſſionibus ſupradictis, occaſione locationis jam dicte, dictus Fatiolus eidem Dño Abbati, quo ſupra, nomine recipienti, remiſit &c.*

*Actum eſt hoc Viterbii ante domum ſupradicti Viri Magnifici Fatioli de Prefectis, preſentibus Provido Viro Ser Egidio M. Franciſci de Viterbio Notario, Ligi dicto, alias Predepaczo, olim de Urbe Veteri* (91), *Cecco Johannis de Balneoregio* (92), *& Muczarello Jannis, olim de Gallexio, teſtibus ad hec vocatis ſpecialiter & rogatis.*

*Et ego Johannes quondam M. Mathei Nutii de Viterbio, Alme Urbis Prefecti Auctoritate Notarius & Judex Ordinarius, predictis omnibus interfui, & rogatus predicta ſcribere, ſcripſi & publicavi.*



(91 *De Urbe Veteri*. Urbs Vetus, Italis *Orvieto*, Etruſcorum civitas, millia paſſuum ſexaginta ab Urbe diſtans.

(92) *De Balneoregio* diximus not. (61) pag. 448.

# LXIII.

ANGELUS Viterbienſis Epiſcopus, & Rom. Pontificis in Urbe Vicarius, anathematis ſententia animadvertendum mandat in quemdam Viterbienſem, *Riſtorium* nomine, qui in Alexianum Monachum violentas manus injecerat.

A.D. 1334. IN *nomine Domini, amen. Hoc eſt exemplum quarumdam Litterarum ſcriptarum in carta bombicina, tenor quarum eſt talis*: Angelus Dei & Apoſtolice Sedis gratia Viterbienſis & Thuſcanenſis Epiſcopus (93), ac Summi Pontificis in Alma Urbe Vicarius Generalis, univerſis & ſingulis Prioribus, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Rectoribus civitatis Viterbii ſalutem in Domino.

*Pro parte Venerabilis Viri Fratris G. Abbatis Monaſterii Sancti ALEXII de Urbe coram nobis cum querela fuit expoſitum, quod Riſtorius Borſciarius, habitator civitatis Viterbii, & parochianus Eccleſie Sancti Quirici Viterbienſis, Dei timore poſpoſito, & nullum ad Clericalem Ordinem habens reſpectum, publice & notorie in perſona Fratris Petri, Monachi dicti Monaſterii, & in Sacris Ordinibus conſtituti, manus injecit temere violentas; propter quod excommunicationis ſententiam a Jure prolatam non eſt dubium incurriſſe. Quare di-*

(93) *Angelus Viterbienſis & Thuſcanenſis Epiſcopus*. Angelus de Tineoſis Romanus, a Joan. XXII. Pont. elect. Ep. Viterbien. An. 1318. univerſalem Synodum ſuae Dioeceſis celebravit. Romae fato functus eſt, atque ſepultus in Templo S. Mariae ſupra Minervam prope Sacellum S. Hyacinthi, cujus Epitaphium ſic legitur apud Ughellium:

*Hic jacet V. D. P. Angelus de Tineoſi de Urbe Viterbien. ac Tuſcanen. Epiſcopus, qui fuit Inquiſitor miraculorum S. Thomae de Aquino, & Vicarius Domini Papae; qui obiit Anno Domini MCCCXLIII. d. VII. Decembris; cujus anima requieſcat in pace, amen.*

Digitized by Google

*re dictus Abbas a nobis ſuppliciter petiit, in tali exceſſu de ſalutis remedio provideri, maxime poſtquam de tali exceſſu per eum nobis in noſtra Curia fuit facta plena fides. Ideoque vobis & veſtrum cuilibet, ad quos Lictere preſentes pervenerint, preſentium tenore conmictimus, & ſub excommunicationis pena mandamus, quatenus eumdem Riſtorium taliter a Jure excommunicatum, & ab Eccleſie unitate preciſum in veſtris Eccleſiis diebus Dominicis & Feſtivis intra Miſſarum ſollempnia coram aſtante populo, campanis pulzatis, & candelis accenſis pariter & extintis, juxta ritum Sancte Romane Eccleſie debeatis publice nuntiare, donec dicte perſone leſe, ac Monaſterio ſupradicto de dictis injuriis congrue ſatiſfecerit, & ab illo ..... qui ſuper hoc poteſtatem habuerit, meruerit abſolutionis beneficium obtinere. Has autem Lictteras ad cautelam in Actis noſtre Curie mandamus regiſtrari, & ſigilli noſtri impreſſione muniri. Data apud montem Flaſconem (94), die VIII. Decembris, Indictione ſecunda &c.*

*Et ego Nicola Magiſtri Fuſci de Viterbio, Auctoritate Alme Urbis Prefecti Notarius, prout inveni in dictis Licteris, nil addito vel minuto, quo rei veritas mutaretur, ita hic fideliter ſcripſi & exemplavi, & de mandato dicti Judicis Ordinarii preſens exemplum in publicam formam reddegi.*

## LXIV.

Charta donationis factae a Dña BLANCOFLORE Monialibus S. Mariae Rotundae Albani, quarum bona ad nos poſtea obvenerunt.

I*N nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo CCCXLIII. Pontificatus Dñi Clementis Pape VI.* (95), A.D. 1343.

 *In-*

(94) *Apud montem Flaſconem* ſeu montem Phyſcon, Volſinio lacui imminentem, VIII. millia paſs. a Viterbio diſſitum. Urbs eſt ab Urbano V. Rom. Pont. Sede Epiſcopali inſignita, & vino celebris.

(95) Clemens VI. Petrus Rogerius Lemovicenſis, ex Archiep. Rothoma-

*Indictione XI. menſis Auguſti die VI. In preſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Dña Blancoſlore uxor quondam Franciſci Bobolini de regione Ripe* (96) *&c. obtulit & dedicavit ſe Deo & Beate Virgini Marie &c. inter vivos & irrevocabiliter donavit, dedit, ceſſit, & conceſſit in perpetuum &c. videlicet unam domum ipſius Dñe Blancoſloris ſolaratam, cum mingiano* (97) *& ſtatio ante ſe, & cum ſcalis lapideis infra ſe, cum introytibus &c. poſitam in dicta regione inter hos fines: ab uno latere tenet Paulus Baſtardella; retro tenent heredes Andreucii de ...... ab aliis duobus lateribus ſunt vie publice. Item & inter vivos & irrevocabiliter dicta Dña Blancoſlore donavit &c. nomine, quo ſupra, in perpetuum omnia & ſingula jura, actiones &c...... ſibi nunc & in futurum conpetunt & competere poſſunt in bonis & hereditate Petri Pauli Paſqualis Equendoli de regione Caccabariorum* (98), *patris Ceccole filie & heredis dicti quondam Petri Pauli Paſqualis mortui ab inteſtato, ac etiam in bonis &*

magenſi Presbyter Card. SS. Nerei & Achillei, electus Rom. Pont. Avenione die 7. Maji An. 1342. ſedit annos X. menſes 6. dies 30. obiit ibidem die 6. Decembris A. D. 1352. & ſepultus eſt in Monaſterio *Caſae Dei*, cui olim Abbas praefuit. Vid. Steph. Baluzium in Vita Pap. Avenionen.

(96) *Ripae*, quo nomine etiamnum vocatur regio Urbis XII. Munificentiae autem *Benedicti* XIV. Pont. Opt. Maxim. debemus, quod XIV. REGIONES. VRBIS. TERMINIS. AD. LIMITES. DISCERNENDOS. CONSTITVTIS. COMMODIVS. DEFINIVERIT. ut vel ex ipſo Lapide intelligitur, qui propterea in aedibus Capitolinis affixus eſt in hujus rei memoriam ſempiternam.

(97) *Mingiano* ſeu meniano. Meniana enim aedificia vocantur pergulae projectae, ita dictae a Menio quodam ſcurra, qui, quum domum ſuam venderet Catoni & Flacco Cenſoribus, ut ibi Baſilica aedificaretur, excepit ſibi jus unius columnae, extra quam tigna projiceret, tabulaſque ſuperponeret; unde & ipſe & poſteri ejus ſpectare Ludos Gladiatorios poſſent, qui etiamtum in foro fiebant. *Aſcon. in Divin. & Suetonius in Caligula.*

(98) *Regio Caccabariorum*, a Familia ejus nominis ſic forſan appellata, ut diximus not. (46) pag. 440. nunc continetur in regione Arenulae, quae eſt Urbis ſeptima. Videſis opuſculum haud ita pridem editum hoc titulo: *Deſcrizione del novo ripartimento de' Rioni di Roma del Conte Bernardino Bernardini, Roma.* 1744.

Digitized by Google

*& hereditate quondam Pauli Paſqualis avii ipſius Ceccole, & etiam jura ſibi conpetentia in dictis bonis & hereditate predictorum, occaſione dotis, & jurium dotalium, & guarnimentorum quondam Dñe Amate uxoris quondam dicti Pauli Paſqualis avie paterne dicte Ceccole: que jura omnia ad ipſam Dnam Blancoflorem pervenerunt ex donatione ſibi facta a dicta Ceccola filia & herede quondam dicti Petri Pauli Paſqualis Equendoli de regione Caccabariorum, ſicut patet publico Inſtrumento ſcripto per Angelum Johannis Judicis Satulli Notarii, a me Notario viſis & lectis. Item & dicta Dña Blancoflore inter vivos & irrevocabiliter donavit &c. omne jus & actionem &c. quod & quam ipſa Dña Blancoflore habet &c. nunc & in futurum contra Johannem Stati de regione Sancti Adriani* (99), *in bonis dicti Johannis Stati de regione Sancti Adriani, occaſione dotis & jurium dotalium dicte Ceccole uxoris dicti Johannis Stati, que ſubſtituta eſt ad ipſam Dñam Blancoflorem, ſicut patet publico Inſtrumento dotali ipſius Ceccole ſcripto per dictum Angelum Johannis Judicis Satulli Imperiali Auctoritate Notarii, a me Notario viſo & lecto &c. Hanc autem oblationem, dationem, inter vivos donationem &c. predicta Dña Blancoflore &c. fecit ob amorem & reverentiam Omnipotentis Dei & Beate Virginis Marie, & propter amorem, & dilectionem, & devotionem, quam habet ad dictum Monaſterium, & dictas Dñam Abbatiſſam, Moniales, & Conventum ejuſdem, & pro multis gratiis, ſervitiis, & beneficiis, que ab eis confexa eſt ſe recepiſſe & habuiſſe &c. & pro eo fecit, quod ipſe Procurator, quo ſupra nomine, promiſit & convenit eidem Dñe Blancoflori, quod Dña Abbatiſſa dicti Monaſterii dabit ſibi gubernationem de bonis dicti Monaſterii toto tempore vite ſue. Inſuper dicta Dna Blancoflore in predictis ſibi reſervavit, quod poſtquam fuerit reddacta pecunia de juribus ſupradictis, & ad*

(99) *De regione S. Adriani*, quae nunc continetur in regione Montium, & eſt Urbis prima. Quare ſuſpicor, vel numero plures tunc fuiſſe regiones Urbis, vel earum ſaltem nomina paſſim fuiſſe immutata. De antiquiſſimis autem Urbis regionibus, earumque priſcis nominibus conſulendus Nardinus *Roma Antica lib. II. cap. IV. & V.*

Digitized by Google

*ad manus ipſius Dñe Abbatiſſe pervenerit, quod dicta Dña Abbatiſſa dabit dicte Dñe Blancoflori L. libras proviſinorum de pecunia reddacta de dictis juribus ad faciendum de dictis L. libris quicquid voluerit ipſa Dña Blancoflore &c.*

*Actum in domo ipſius Dñe Blancofloris, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Petro de Turre, Paulo de Pucaris, Johanne Cecchi Mancini, & Nucio Cecchi Sancti de regione Columpne, & Bucio Jannocti Mandatario de regione Sancti Marci.*

*Ego Nicolaus Dñi Petri Sancti, Dei gratia Imperiali Auctoritate Notarius, quia predictis omnibus interfui, ideo ſcripſi & publicavi rogatus.*

## L X V.

### Teſtamentum BARTHOLOMAEI Speciarii, qui Moniales S. Mariae Rotundae Albani heredes inſtituit camporum aliquot ad *Fontem Marginem* extra portam Latinam.

A.D. 1345. *IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CCCXLV. Pontificatus Dñi Clementis PP. Sexti* (1), *Indictione XIII. menſis Junii die primo. Ego Johannes Bartholomei Speciarius de regione Campitelli & contrata Mercati, licet infirmus corpore,*

(1) Supplendum *anno quarto.* Nam Clemens VI. electus eſt Rom. Pont. die 7. Maji An. 1342. ut diximus not. (95) p. 507. Is ille fuit, qui ab Joanna Roberti Siciliae Regis nepte, quum ad ſe confugiſset, & pecuniae inopia premeretur, ad avitum Regnum recuperandum, Avenionenſem urbem emit, & regionem circumpoſitam, ſoluto pretio octoginta millium aureorum florenorum, qui Clementi obvenerant ex indictisSacerdotiorum decimis, gemmiſque Pontificiis oppignoratis, ut refert Raynaldus Annal. Eccl. tom. 16. ad An. 1348. & ſatis conſtat ex publicis emptionis & venditionisTabulis apudCaſtruccium in Hiſtoria Italica civitatis Avenionenſis lib. 2. cap. V. num. 22. Quamobrem oppido falluntur, qui venditionem hanc fictam ſimulatamque fuiſse contendunt, ut recte monet Franciſcus Pagius in Vita Clem. VI. Nam, ea pecunia conductis decem Liguſticis triremibus, Joanna in Regnum Neapolitanum rediit, illudque, ejectis Hungaris, recuperavit.

Digitized by Google

*pore, mente tamen ſanus & conſcientia pura, timens future mortis periculum, & quia inteſtatus decedere nolo, idcirco coram Goſmato Petri Mereſcalci Notario infraſcripto, & ſeptem ſubſcriptis teſtibus a me vocatis & rogatis, nuncupativum facio teſtamentum, quod ſine ſcriptis dicitur Jure Civili; in quo quidem meo teſtamento mihi heredes inſtituo ventrem Dñe Perne uxoris mee, ſi pregnans eſt, & ad lucem pervenerit, & ſi filium maſculum unum ſeu plures pepererit, ipſum vel ipſos mihi univerſales heredes omnium bonorum meorum inſtituo, cui vel quibus relinquo omnia bona mea mobilia & immobilia, jura, actiones, & nomina, que & quas habeo contra quaſcumque perſonas & loca; ſi vero filiam feminam pepererit unam ſeu plures, relinquo eis vel ei intra dotem* (2) *& guarnimenta de bonis meis ducentos florenos boni & puri auri, & facio ipſam vel ipſas contentas, quod plus de bonis meis non petat vel petant, nec petere poſſint aliquo modo, jure, titulo, ſive cauſa. Item relinquo Dñe Perne uxori mee dotem, quam ab ea recepi tempore contracti matrimonii cum ea, & omnia alia ſua jura dotalia. Item volo & mando, quod ille terre, que ſunt Monaſterii Sancte Marie Rotunde de caſtro Albani, que ſunt poſite extra portam Latinam*(3)*ad Fontem Marginem, & in ejus contrata, quas ego paſtinavi & paſtinari feci, ſint & eſſe debeant dicti Monaſterii Sancte Marie Rotunde, & ipſas dicto Monaſterio relinquo. Item relinquo pro anima mea viginti florenos auri diſpenzandos per manus infraſcriptorum executorum meorum; de quibus XX. florenis relinquo Nobili Viro Franciſco de Sabello* (4) *XV. florenos auri. Executores*

*&*

(2) De moderatione dotis, quae filiabus in matrimonio locandis olim conſtituebatur, vid. not. (86) p. 415.

(3) *Ad Fontem Marginem*, legendum fortaſſe *Marganum*; nam adhuc ibi dicitur Palatium Marganum, ut ex Tab. Topograph. Ameti.

(4) *Franciſcus de Sabello*, cujus tantum nomen memoratur a Sanſovino, ubi de Sabellis pag. 316. *Origine delle Caſe Illuſtri d'Italia*. Is autem ille fuit, qui ſervo ſuo Nicolao Laurentii (*Cola di Rienzo*), quum R. Populi Tribunus creatus eſſet, obſequium ac fidem jurejurando promiſit, non ſecus ac plerique omnes Romanae urbis Proceres. *Tutti li Baroni li juraro obbedientia con paura; e a lo*

*buo-*

Digitized by Google

*& fideicommiſſarios hujus mei teſtamenti & ultime voluntatis facio, conſtituo, & ordino, & relinquo Dñam Abbatiſſam Monaſterii Sancte Marie Rotunde de Albano, & Johannem Dñi Jacobi Gratiani de regione Sancti Angeli preſentes, quibus relinquo pro eorum laboribus unum florenum* (5) *auri pro quolibet ipſorum; quibus meis executoribus do & concedo plenam & liberam poteſtatem capiendi de bonis meis, & ipſis vendendis &c. Item relinquo defenſorem omnium bonorum meorum Nobilem Virum Franciſcum de Sabello Dñum meum. Hoc eſt ultimum meum teſtamentum &c.*

*Actum Rome, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Butio Falco Aurifice, Paulo & Stefanello fratribus & filiis quondam Petri Judei, Ceccolo filio Andreotii Alli, Cola de Podio, omnibus de regione Campitelli, Johanne Genaczani, & Johanne Preite de caſtro Fajole, ad hec vocatis & rogatis.*

*Et ego Goſmatus Petri Mereſcalci, Dei gratia Sacroſancte Prefecture publicus Auctoritate Notarius, predicta ſcripſi, & publicavi rogatus, meoque ſingno conſueto ſingnavi.*

## L X V I.

### Monaſterium antedictum S. Mariae Rotundae Albani, quo tempore Urbis dominatum uſurpaverat Nicolaus Laurentii, Romani Populi Tribunus, immittitur in poſſeſſionem hereditatis Dñae Blancofloris.

A.D. 1347. *IN nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo CCCXLVII. Pontificatus Dñi Clementis PP. VI. tempore Regiminis Nobilis Viri, Candidati Spiritus Sancti, Militis,*

*buono ſtato offierzero le loro proprie perſone, e le caſtella, e li vaſſalli in ſuſſidio della Cittate. FRANCESCO SAVIELLO fo ſio ſpecial Signiore; nientedimeno venne a jurare ſubjettione.* Ex Vita Nicolai Laurentii cap. VIII. de qua vide infra not. (6).

(5) *Florenus aureus* Florentiae primum cuſus fuit A. D. 1252. uti teſtantur Vincentius Borghinius in diſſert. de urbe Floren. par. 2. pag. 129. & Scipio Ammiratus Hiſtor. Floren. tom. 1. pag. 97. edit. II. Quamobrem fallitur *Leblanchus*, qui in tra-

Digitized by Google

*litis, Dñi Nicolai, Severi, & Clementis, ac Tribuni Auguſti (6), Indictione prima, menſis Novembris die octavo. Sapiens & Diſcretus Vir Dñus Angelus de Tibure, Judex Palatinus ſuper inveſtimentis factis deputatus, ſedens ad bancum ad jura redendum pro Tribunali in Palatio Capitolii, ad petitionem & inſtantiam Stefani Jacobi Henrici Notarii, Procuratoris, Scindici, & perſone legitime Venerabilium Dñarum Dñe Paule Abbatiſſe, Monialium, & Conventus Monaſterii S. Marie Rotunde de Albano, procuratorio nomine pro eis, commiſit & mandavit Petro Pallonis Mandatario Curie preſenti & audienti, quatenus vadat, & in corporalem tenutam & poſſeſſionem reducat & immictat dictum Procuratorem & Scindicum, procuratorio & ſcindicario nomine predictarum Abbatiſſe, Monialium, & Conventus dicti Monaſterii, de domo ſupraſcripta in ſupraſcripta offertione (7) & oblatione contenta &c.*

Ttt *Die*

tractatu de monetis Gallicis pag. 154. ſimilem aureum nummum tribuit Ludovico VI. qui obiit A. D. 1137. Vid. pag. 271. not. (73), & p. 468. not. (6).

(6) Quot ſplendidis facetiſque titulis inſigniri voluerit Nicolaus ille Laurentii, qui A. D. 1347. Romanae urbis dominium uſurpaverat, nullus ignorat, niſi ſiquis Hiſtoriam illius temporis plane ignorat. Illud autem non praeteream, Nicolai Populique Romani contra Rempublicam conſpirationem in Aventino monte ſancitam confirmatamque fuiſſe. *Moiti Romani puopolari, diſcreti e buoni uomini... a la fine adunao Cola di Rienzo ne lo monte de Aventino, e'n uno luoco ſecreto; la fo deliberato de intennere a lo buono ſtato*. Ex cap. IV. Vitae Nicolai de Laurentio, de quo vid. pag. 319. not. (13.) Quis autem Auctor fuerit hujus Hiſtoriae, adhuc dubium & obſcurum. Sunt qui Scriptorem illius putant Thomam *Fortifioca*, cujus nomine bis edita eſt Bracciani Saec. XVII. ſed immerito; nam deſumpta eſt ex cap. 18. Hiſtoriae Romanae, quam ex mſs. codicibus primus omnium ex integro in lucem emiſit Cl. Muratorius tom III. Ant. Ital. medii aevi. Nuper autem Nicolai Laurentii res geſtas concinne eleganterque Gallico idiomate conſcripſit P. *du Cerceau* Soc. Jeſu, hoc titulo: *Conjuration de Nicolas Gabrini dit de Rienzi Tyran de Rome en 1347. Ouvrage poſthume, Amſterdam 1734.*

(7) *Oblatione* ſeu charta donationis factae a Dña Blancoflore, quam ſuperius dedimus num. LXIV.

Digitized by Google

*Die duodecimo menſis Novembris. Petrus Pallonis Mandatarius Curie retulit mihi ſubſcripto Notario, ſe die Sabbati X. dicti menſis proxime preteriti reduxiſſe & poſuiſſe in tenutam & poſſeſſionem corporalem ſupradictum Stephanum Procuratorem & Scindicum ſupradictarum Dñarum Abbatiſſe, Monialium, & Conventus Monaſterii ſupradicti, procuratorio & ſcindicario nomine earum & pro eis, de ſupradicta domo cum omnibus ſuis pertinentiis, preſentibus, videntibus, & audientibus hiis teſtibus, ſilicet Cola Cipriani Mandatario de regione Columpne, Laurentio Leonardelli dicto Gravolo, Macellario de regione Ripe &c.*

*Scriptum per me Johannem Oddonis, Notarium Palatinum ſuper inveſtimentis factis deputatum, de mandato Dñi Angeli Judicis ſupradicti.*

## LXVII.

Charta venditionis *quartae partis caſalis, quod vocatur Schiaci extra portam S. Pauli*, Monachis Alexianis, atque iis etiam S.Sebaſtiani ad Catacumbas factae a BARTHOLOMAEA uxore *q. Nobilis Viri Nicolai Callarellae de Perleonibus*.

A.D. 1349. *IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CCCXL. nono Pontificatus Dñi Clementis Pape Sexti, Indictione ſecunda, menſe Martii, die XXVIII. In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum &c. Nobilis mulier Dña Bartholomea, relicta quondam Nobilis Viri Nicolai Callarelle de Perleonibus* (8), *ſua bona &c. voluntate vendidit &c. Venerabilibus & Religioſis Viris, Dño Fratri Duraguerre Humili Abbati Venerabilis Monaſterii Eccleſie Sancti Sebaſtiani ad Catacumbas, & Dño Fratri Bartholomeo* (9) *Humili Abba-*

(8) De Perleonibus vid. pag. 270. not. (71), & pag. 394. not. (*).

(9) De Bartholomaeo Abbate diximus Cap. XVII. pag. 270.

Digitized by Google

*Abbati Venerabilis Monaſterii Eccleſie Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, nomine predictorum Monaſteriorum, & pro dictis Monaſteriis &c. ideſt proprietatem quarte partis cujuſdam caſalis, quod vocatur Schiaci, ipſius Dñe, retento ſibi uſufructu dicte quarte partis toto tempore vite ipſius Dñe Bartholomee, poſt mortem vero ejus dictus uſufructus ad dicta Monaſteria & Conventus libere revertatur, cum terris cultis & incultis, ſilvis, ſtirpetis, pratis, pratarinis &c. turris, & accaſamentorum, & rediminis reclauſtri, & cum introytibus &c. & adjacentiis univerſis tam antiquis quam modernis, juncte pro indiviſo cum aliis tribus partibus Nucii filii quondam Petrucii Ybelli; quod quidem totum caſale poſitum eſt extra portam Sancti Pauli & in Maritima, inter hos fines ad totum dictum caſale: ab uno latere eſt caſale, quod vocatur Valleranum (10); ab alio eſt caſale, quod vocatur Caſaferrata (11); ab alio eſt caſale, quod vocatur la Maſſima (12); ab alio eſt caſale, quod vocatur Pingivocti de Sanctangilenſibus; ab alio eſt caſale, quod vocatur la Cicognola (13); ab alio tenet Monaſterium Sancti Anaſtaxii (14); & ab alio*

 *tenet*

(10) *Valleranum*, de quo vide not. (21) pag. 231.

(11) *Caſaferrata*, nunc *Caſaferratella* extra portam S. Pauli, ubi fundus rubl. 70. poſſidetur ab heredibus Franciſci Comitis Cardelli.

(12) *La Maſſima*, quo vocabulo etiamnum appellatur latifundium rubl. 54. extra portam Hoſtienſem, quod pertinet ad Moniales S. Ambroſii de Maxima, de quibus vid. Append. num. XXXVII. pag. 451. not. (68).

(13) *Cicognola*, de qua diximus pag. 229. not. (14).

(14) S. Anaſtaſii ad Aquas Salvias Coenobium, quod vocatur Trium Fontium, juris olim Monaſterii S. Pauli, ut ex Diplomate S. Gregorii Papae. Poſtea ab Innocentio II. Pont. A. D. 1140. S. Bernardo Abbati Claraevallenſi conceſſum eſt, qui Monachos Ciſtercienſes illic inſtituit; quorum primus Abbas fuit Eugenius Papa III. Nunc quoque inhabitatur a Ciſtercienſibus Provinciae Tuſciae. Sed a ducentis ferme annis in Commendam, quam vocant, redactum eſt, quam nunc obtinet Emus Proſper S. R. E. Cardinalis Sciarra Columna, Princeps doctrina, pietate, prudentia, aeque ac nobilitate ſpectatiſſimus, quem honoris cauſſa nomino.

Digitized by Google

*tenet Eccleſia Sancte Marie de Porticu* (15) *&c. Hanc autem venditionem &c. prefata venditrix eiſdem emptoribus &c. fecit pro pretio &c. quatringentorum decem florenorum* (16) *boni & puri auri &c. Actum preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Bucio Romani Speciario de platea Judeorum, Fratre Jacobo de Roccha Seccha Converſo Sancti Sebaſtiani, Fratre Angelo de Sancto Alexio, & Toſcano Berarducii.*

*Ego Johannes Aniballi* (17), *Imperiali Auctoritate publicus Notarius & Judex Ordinarius, predictis omnibus interfui, ſcripſi, & publicavi rogatus.*

## LXVIII.

### Acta litis conteſtatae Alexianos inter, atque DD. Urſinos & Annibaldenſes de caſtro Verpoſae.

A.D. 1358. *IN nomine Domini, amen. Hic eſt quidam Proceſſus factus inter Venerabilem & Religioſum Virum Dñum Fratrem Bartholomeum Abbatem Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, ſeu Johannem de Bulgaminis Notarium, Syndicum, & Procuratorem dicti Monaſterii, & dicti Dñi Abbatis, & Canonicorum ex una parte, & Nobilem Virum Jacobellum Urſinum, ſeu ejus legitimum Procuratorem, necnon & Johannem Pauli Nicolai de Anibaldis, qui ſe adverſarium paravit. ex parte altera, occaſione cujuſdam caſtri, quod vocatur Verpoſa* (18); *quod quidem caſtrum dictus Dñus Abbas dicebat ſpectare & pertinere ad dictum Monaſterium, currentibus Annis Domini milleſimo*

(15) *Eccleſia S. Mariae de Porticu*, quae nunc vocatur S. Gallae, ut diximus not. (36) pag. 480.

(16) De florenis aureis vid. ſup. not. (5) pag. 512.

(17) *Aniballi*, forſan ex Annibaldensium Familia, de qua vide pag. 273. not. (75), & infra App. num. LXIX.

(18) *Verpoſa*, nunc *Bonripoſo*, ut diximus pag. 231. not. (22). Vide ſup. Append. num. XXIII. & infra num. LXXII.

Digitized by Google

*leſimo CCCLVIII. Pontificatus Dñi Innocentii Pape VI. menſibus & diebus infraſcriptis, tempore Senatus Nobilis Viri Dñi Raymundi de Tholomeis de Senis* (19), *Militis, Alme Urbis Senatoris Illuſtris, ſub examine Sapientum & Diſcretorum Virorum Dnorum Bartholomei Dñi Juliani de Mutina & Auguſtini de Senis, Legum Doctorum, Judicum dicti Officii, & aliorum infraſcriptorum Senatorum, & Judicum; cujus quidem Proceſſus tenor talis eſt &c.*

QUae conſequuntur Acta exceptionis perſonarum, appellationis, obteſtationis, vocationis in jus, aliaque hujuſmodi, jam tum uſitata turbae forenſis effugia, lubens praetereo, tum ne legentibus faſtidium creem, tum quod, quis eſset hujus Cauſsae ſtatus, ad ſatietatem uſque intelligitur ex Actis examinis teſtium, quae hic ſubjicio.

## ACTA EXAMINIS TESTIUM.

*IN nomine Domini. Hic eſt quidam Proceſſus factus coram Sapientibus Viris Dnis Mattheo de Baccariis Judice Palatino ſuper appellationibus & aliis extraordinariis cauſis deputato, & Aguſtino de Senis ſucceſſore in dicto Officio ſupradicti Dni Mathei, ac etiam ad perpetuam rei memoriam teſtium infraſcriptorum examinatio ſuper infraſcriptis capitulis productis & aſſignatis pro parte Venerabilis Viri Dni Fratris* A.D. 1358.

(19) Raimundus de Ptolemaeis de Senis primus fuit exterae nationis, qui Senator Urbis conſtitueretur, uti narrat Flavius Blondus Hiſtoriarum lib.X. decad.II. „ Diſcordia in „ plebe orta, unicus in alterum an„ num Senator Joannes de Comite „ ſuffectus; Pontifexque Innocen„ tius, earumdem Populi diſſenſio„ num occaſione fretus, obtinuit, „ Senatorem Urbi deinceps a ſe alie„ nigenam immitti; quo Anno un„ de ſexageſimo Salutis terdecieſ„ que centeno *Raimundus de Gente* „ *Ptolemaea de Senis* nobilis, primus „ externorum Senatorum munus „ geſſit; & altero qui ſecutus eſt „ anno Ludovicus de Rocca Piſa„ nus, & Hungarus Saxoferraten„ ſis, ſemeſtrem uterque Senatum „ habuit. Vide Seriem Senatorum Urbis, de qua diximus pag. 259. not. (43).

*tris Bartholomei Humilis Abbatis Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, Canonicorum, & Capituli ejuſdem Monaſterii, & per me Andream Notarium infraſcriptum examinatorum de mandato dicti Dni Mathei, ac etiam coram Sapiente Viro Dño Angelo de Cantalupo, Judice tunc Curiae civitatis Velletri, ex commiſſione ſibi facta per dictos Dnos Mattheum & Aguſtinum, ut patet manu mei Andree Notarii ſupradicti & infraſcripti, & ex commiſſione mihi facta per ipſum Dñum Matheum ſcripta manu Antonii Stephani Angeli....... Notarii, ſub Anno Domini milleſimo CCC. LVIII. Pontificatus Dñi Innocentii Pape VI.* (20), *& tempore Senatus Magnifici Viri Johannis quondam Dni Pauli de Comite* (21), *Dei gratia Alme Urbis tunc temporis Senatoris Illuſtris, & Magnifici Viri Dñi Raymundi de Tholomeis de Senis* (22) *Militis, Alme Urbis nunc Senatoris Illuſtris, Indictione, menſibus, & diebus infraſcriptis; quorum capitulorum &c. tenor per omnia talis eſt:*

*In nomine Domini. Coram vobis Sapiente Viro Dño Matheo de Baccariis Judice Palatino &c. Venerabilis Vir Dñus Frater Bartholomeus Humilis Abbas Venerabilis Monaſterii San-*

(20) Innocentius VI. antea Stephanus Alberti, natione Lemovicenſis, S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis, electus Rom. Pont. Avenione die 18. Decembris An. 1352. Sedit annos IX. menſes VIII. d. 26. Obiit Avenione die 12. Septembris A. D. 1362. & ſepultus eſt apud Chartuſianos Villae Novae prope Avenionem.

(21) Joannes Pauli de Comite Senator fuit initio Anni 1358. Nam in Statutis Urbis legitur: *Nos Joannes Dñi Pauli de Comitibus Dei gratia Almae Urbis Senator, Decreto & Auctoritate Sacri Senatus, confirmamus &c. die IX. Januarii An. 1358. Indict. XI. &c.* Ex ms. codice Biblioth. Frangipanae *de Senatoribus & Conſulibus Romanis* ab Anno 908. ad 1399.

(22) Raimundus de Ptolemaeis, de quo ſup. not.(19), Senatoriam Dignitatem obtinuiſſe videtur eodem Anno 1358. ut oſtendemus infra not. (37), non autem Anno tantum 1359. ut Flavius Blondus, aliique aſſeruerunt in Serie Chronologica Senatorum, de qua pag. 259. not. (43).

Digitized by Google

*Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, Canonici, & Capitulum dicti Monaſterii, dubitantes, ne proceſſu temporis probationum copia valeat deperire, petunt a vobis, infraſcriptos teſtes recipi & examinari per vos, & ut eorum atteſtationes & dicta faciatis per veſtrum Notarium publicari, & ad perpetuam rei memoriam in publica reddegi documenta ſuper capitulis infraſcriptis, ut de eis valeat haberi perpetuo plena fides. In primis quod antiquis temporibus, ac etiam de proximo, cujus memoria eſtat & apparet, Abbates, Capitulum, & Canonici dicti Monaſterii predeceſſores ipſorum habuerunt, & nunc etiam habent &c. in caſtro Verpoſe ſyto in Maritima, quod fuit Dñorum de Annibaldis, quamdam Eccleſiam, que vocatur Eccleſia Sancte Marie de Verpoſa* (23), *cum domibus & accaſamentis ipſius Eccleſie intus dictum caſtrum. Item quod dicti predeceſſores Abbates &c. dicti Monaſterii conſueverant tenere & poſſidere ſemper & continuo dictam Eccleſiam, domos, & accaſamenta ipſius poſita intus dictum caſtrum pro Eccleſia, domibus, & accaſamentis eorum & dicti ipſorum Monaſterii, & tamquam ſua, ſcientibus, patientibus, & non contradicentibus ſingulis Dominis dicti caſtri, a quatraginta annis citra & ultra, & in ipſis Eccleſia & domibus habere & retinere unum, duo, tres, & interdum plures & pauciores Fratres & Canonicos* (24) *ipſorum & dicti eorum Monaſterii, ad tenendum, poſſidendum, & officiandum dictam Eccleſiam, & ibi Feſtum dicti ejus vocabuli colendum, dictas domos poſſidendum, collationes & obventiones recipiendum, tamquam de Eccleſia & domibus dicti Monaſterii. Item quod dictum Monaſterium, ac predeceſſores Dñi Abbates &c. habuerunt & habent in tenimento dicti caſtri Verpoſe infraſcriptas terras, caſalia, & poſſeſſiones eorum*

(23) *Eccleſia S. Mariae de Verpoſa*, quae ſcilicet cum vineis, hortis, & rublis XX. agri culti excepta fuerat in Tabulis emphyteuſeos ab Alexianis factae Petro Frajapani, ut legitur num. XXIII. App. pag. 426.

(24) *Canonicos* Ordinis Praemonſtratenſis, qui tunc poſſidebant Templum & Coenobium SS. BONIFACII & ALEXII.

Digitized by Google

*rum & dicti ipſorum Monaſterii, ſcilicet duo petia ſeu duas pedicas terre ſymentaricie, que vocantur Caſarena, poſitus in tenimento dicti caſtri Verpoſe in viam, qua itur ad caſtrum Sancti Petri in Formis, a manu ſiniſtra & aliam viam, qua itur ad caſtrum Nuctune (25), a manu dextra procedendo a dicto caſtro Verpoſe uſque ad capocrucem rivi ſeu loci, qui dicitur Bobino, inter hos fines: ab uno latere eſt vallis dolata dicti Monaſterii; ab alio latere eſt piſcina longa; ab alio latere eſt ſtirparium; ab alio latere eſt ſylva, que vocatur Carucceto (26); ab alio latere eſt locus, qui vocatur Amato Calvo; ab alio latere eſt vallis Sancte Marie. Item omnia prata dicte vallis Sancte Marie. Item & terras dicti tenimenti vallis dolate uſque in dictam piſcinam longam, & multas terras ſementaritias, & ſylvas dicti tenimenti Verpoſe. Item & terras & loci Arani, & collis Meriani...... Picchioni, vallis dolate predicte, & dicti Carucceti, & Cornu Cerbuni (27), & aliorum diverſorum locorum & vocabulorum, etiam eorum confinibus poſitorum, qui & quanti ſint veriores. Item quod dicti Predeceſſores Dni Abbates, Canonici, & Capitulum dicti Monaſterii pro ipſo Monaſterio per ſeſe, ac poſitos Canonicos eorum & Cappellanos, in dicta eorum Eccleſia dicti caſtri Verpoſe a dictis quatraginta annis citra, ſpatio triginta annorum & ultra, tenuerunt, poſſiderunt, & fructificaverunt dictam Eccleſiam, omnes ejus domos, terras, ſylvas, prata, & poſſeſſiones pro ſuis, & tamquam ſua, & dicti eorum Monaſterii, ſcientibus, patientibus, & non con-*

(25) *Nuctune* ſive Neptunii oppidum eſt in Latio prope portum ſeu navale Antiatum, de quo vide Cluerium Ital. Antiq. & Vulpium in Vet. Latio.

(26) *Carucceto*. Carocetum locus adhuc eo nomine celebris, quod ibi repente conſtructis ampliſſimis aedibus ligneis, magnificentiſſimo hoſpitio a Burgheſiis exceptus fuerit Innocentius XII. Pont. Maximus quum ad Antii portum diverteret A. D. 1697. cujus iccirco Pontificis exſtant Apoſtolicae Litterae *Dat. Caroceti*.

(27) *Cornu Cerbuni* ſeu *Cornu Cervinum*, ut habetur in Litteris Honorii III. ſup. pag. 232.

*contradicentibus ſingulis dñis dicti caſtri Verpoſe, & poſſidentibus illud. Item quod de predictis omnibus & ſingulis fuit & eſt publica vox & fama &c.*

*Nos Johannes de Comite* (28), *Dei gratia Alme Urbis Senator Illuſtris, mandamus vobis heredibus, & bonorum poſſeſſoribus, juris & facti, quondam Magnifici Viri Pauli Nicolai de Anibaldis, & ſpecialiter Magnifico Viro Johanni filio, & heredi, & bonorum poſſeſſori dicti quondam Pauli patris ſui, & Dñe Marſibilie relicte dicti quondam Pauli, & cujuslibet ipſorum, quatenus hinc ad tres dies proxime futuros poſt aſſignationem preſentium, per vos vel legitimum veſtrum reſponſalem conpareatis in Curiam noſtram coram Sapiente Viro Dño Matheo de Baccariis noſtro Judice Palatino, ad viddendum examinationem teſtium, quam facere intendunt Abbas, Canonici, & Capitulum Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe ſuper infraſcriptis capitulis, que vobis una cum preſenti edicto deſtinantur, que aſſignare & producere intendunt &c. & teſtium juramenta, quos ad perpetuam rei memoriam ſuper ipſis capitulis examinari petunt ad declarationem jurium Eccleſie Sancte Marie de caſtro Verpoſe ipſius Monaſterii, terrarum, jurium, & pertinentiarum ejuſdem, alioquin elapſo dicto termino, ad dictam examinationem ad petitionem dictorum Abbatis, Canonicorum, & Capituli, prout de jure fuerit, legitime procedetur. Datum in Capitolio die nono menſis Martii, XI. Indictionis. Heunufrius loco Petronis de Sabello Scriba Senatus. Andreas de Buccamatiis Notarius inveſt. fact. & dictae Cauſe aſſignatus &c.*

*Nos ſeptem Reformatores* * *Reypublice, & Vicarii Magnifici Viri Johannis de Comite Alme Urbis Senatoris Illuſtris abſentis*



(28) *Jo. de Comite*, de quo not. (21), ex nobili Familia Comitum Signiae, ut arbitratur Theod. Amidenus de Rom. Famil. ſ. 102. in mſ. cod. Bibliothec. Caſanattenſis num. 283.

* *Septem Reformatores*; nam, ut narrat Platina in Vita Innocentii VI. „ Romani, pulſo Senatore, ſeptem „ cives creaverunt cum ſumma po„ teſtate, quos Reformatores totius „ Rei-

*ſentis ab Urbe, juxta de cauſa mandamus vobis Cincio Palgicie.. filiis Petri Mancini, filiis Johannis Mancini, Jacobo Mancini de civitate Velletri, & Johanni Camerini de caſtro Putealee, & cuilibet veſtrum, quatenus ad penam & bandum C. librarum proviſinorum pro quolibet, ſtatim viſis preſentibus, compareatis & comparere debeatis coram Sapiente Viro Dno Angelo de Cantalupo Judice Curie civitatis Velletri* (29), *perhibituri teſtimonium veritatis ſuper capitulis &c. productis &c. pro parte Abbatis, Canonicorum, & Capituli Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe contra & adverſus heredes & bonorum poſſeſſores &c. quondam Magnifici Viri Pauli Nicolai de Anibaldis, & ſpecialiter Johannem filium & heredem dicti quondam Pauli, & Dnam Marſibiliam relictam dicti quondam Pauli, alioquin elapſo dicto termino, contra vos, & veſtrum quemlibet ad exactionem dicte pene, & ad alia gravamina, prout de jure fuerit, legitime procedemus. Datum in Capitolio die XXVIII. menſis Julii, XI. Indictionis. Andreas de Buccamatiis Notarius appellationum & dicte Cauſe &c.*

*Nos ſeptem Reformatores Reipublice & Vicarii Magnifici Viri Johannis de Comite Alme Urbis Senatoris Illuſtris mandamus*

„ Reipublicae vocarunt. Hanc ob „ rem Innocentius Ugonem Luſignaneum Cypri Regem ... Senatorem creavit, mandavitque, ut „ Magiſtratum Reformatorum omnino aboleret „. His ſimilia referunt Jacobus Boſius Hiſtor. Melit. p. 2. lib. 3. & Flavius Blondus Hiſtoriarum decade II. lib. X. aliique. Sed omnes in eo mihi erraſſe videntur, quod hujuſmodi Magiſtratus Epocham repetant ab Anno 1360. & quidem *ad hujus anni finem*, ut Blondus, quum vel ex hiſce Actis appareat, altius deducendam eſſe ab Anno ſaltem 1358. Sed neque Innocentius VI. hunc Magiſtratum omnino delevit. Nam ſeptem Reformatorum nomina leguntur uſque ad An. 1367. tum in Serie Chronologica Senatorum apud Creſcimbenum lib. III. cap. IV. Hiſtor. S. Mariae in Coſmedin, tum in ms. codice Biblioth. Frangipanae de Senatoribus & Conſulibus Urbis ab An. 908. ad 1399.

(29) *Civitatis Velletri.* Velitrae urbs Latii XX. mille paſſ. ab Urbe in via Appia, vel poſtremo bello Auſtriacos inter atque Borbonios notiſsima; de quo diſerte ſcripſit Caſtrucius Bonamicus in Commentario de rebus ad Velitras geſtis.

Digitized by Google

*damus vobis heredibus & bonorum poſſeſſoribus &c. quondam Magnifici Viri Pauli Nicolai de Anibaldis, & ſpecialiter Johanni filio & heredi dicti quondam Pauli, & Dn̄e Marſibilie relicte dicti quondam Pauli, & cuilibet veſtrum, quatenus hinc ad tres dies proxime futuros poſt aſſignationem preſentium conpareatis vel mictatis in civitatem Velletri coram Sapiente Viro Dn̄o Angelo de Cantalupo Judice Curie dicte civitatis, ad viddendum & audiendum productionem &c. capitulorum aſſignatorum pro parte &c. Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, ac etiam juramenta teſtium examinandorum ſuper ipſis capitulis, & ad faciendum interrogatorium, ſi facere volueritis, alioquin elapſo dicto termino, ad dictam examinationem legitime procedetur. Datum in Capitolio XXVIII. menſis Julii, XI. Indictionis. Heunufrius loco Petroni de Sabello Scribe Senatus, Andreas de Buccamatiis Notarius appellationum & dicte Cauſe &c.*

*In nomine Domini. Infraſcripti ſunt teſtes producti, recepti &c. & examinati ad perpetuam rei memoriam ſuper capitulis productis & aſſignatis coram Sapiente Viro Dn̄o Matheo de Baccariis, Judice Palatino ſuper appellationibus & aliis extraordinariis cauſis deputato, per Venerabilem Virum Dn̄um Fratrem Bartholomeum Abbatem, Canonicos, & Capitulum Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, ut de eis valeat haberi perpetuo plena fides. Indictione XI. menſis Aprilis die XXIII. Fredericus Dn̄i Jacobi Frederici de regione Montium teſtis productus, juratus, & examinatus ſuper dictis capitulis, ſibi diligenter lectis particulariter & diſtinctim, ſuo juramento dixit, ſuper omnibus dictis capitulis ſe tantum inde ſcire, quod tempore olim bone memorie Dn̄i Bonifatii Pape* (30), *& poſt ejus mortem ipſe teſtis viddit in dicto caſtro Verpoſe tres Fratres & Canonicos, & aliquando quatuor dicti Monaſterii pro ipſo Monaſterio tenere*



(30) *Bonifacii Papae*, nempe Bonifacii VIII. ut arbitror, qui electus fuit Rom. Pont. die 24. Decembris A. D. 1294. ut diximus not. (21) pag. 474.

*nere & poſſidere Eccleſiam Sanɛte Marie de Verpoſa, & ibi continue reſidentiam facere, & duo petia, ſeu duas pedicas terre ſilvaritie, que vocantur Caſarena, poſitas extra diɛtum caſtrum in tenimento ipſius caſtri, ſcilicet in via, qua itur ad caſtrum Sanɛti Petri in Formis* (31) *a manu ſyniſtra, & alia via a manu deſtra, qua itur ad caſtrum Nuɛtune* (32); *quibus caſarenis & ſylvis ab uno latere verſus diɛtum caſtrum Verpoſe eſt diɛtum caſtrum, & proceddunt uſque ad capud crucem Bobini; ab alio latere eſt vallis dolata; ab alio latere piſcina longa uſque ad diɛtam piſcinam, & ſtirpeto; ab alio latere eſt ſilva, que vocatur Caruccieto* (33); *ab alio latere Amato Calvo; ab alio latere vallis Sanɛte Marie, item tenimentum pratorum & omnia prata diɛte vallis Sanɛte Marie, & terras tenimenti vallis dolate uſque in piſcinam longam. Interrogatus ſi diɛta Eccleſia & domus ipſius Eccleſie Sanɛte Marie, & diɛta tenimenta, ſilve, & prata fuerunt & ſunt diɛti Monaſterii S. ALEXII, dixit, quod ſic. Interrogatus &c. dixit, quod ipſe teſtis multis & diverſis vicibus audivit dici a q. Dño Riccardo de Anibaldis, tunc domino dicti caſtri Verpoſe, & ab hominibus dicti caſtri, quod predicta erant dicti Monaſterii, & viddit Fratres & Canonicos dicti Monaſterii, nomine ipſius Monaſterii & pro ipſo Monaſterio, tenere, & poſſidere, ac fructificare dictam Eccleſiam, domos, ſilvas, & tenimenta, & prata, & predicta pro bonis & rebus dicti Monaſterii pacifice & quiete, nemine contradicente, ac etiam ſciente, patiente, & non contradicendo dicto Dño Riccardo, & quolibet alio, ſpatio XXV. annorum & ultra; quia tempore dicti Dñi Riccardi, & poſtea tempore Dñi Petri & Leonis de Anibaldis, nepotum ſuorum, & poſtea tempore vite Johannis Bobonis, & poſt ejus mortem viddit dictos Fratres Canonicos dicti Monaſterii pro ipſo Monaſterio tenere, poſſidere &c.*

*Eo-*

(31) *Caſtrum S. Petri in Formis*, de quo vide not. (8) pag. 425.

(32) *Nuɛtune*, ideſt Neptunii, ut diximus ſup. not. (25).

(33) *Caruccieto*, de quo ſup. not. (26).

Digitized by Google

*Eodem die Johannes Buſarii de regione Montium teſtis eodem modo productus &c. dixit, ſuper omnibus dictis capitulis ſe tantum inde ſcire, quod tempore olim bone memorie Dni Boniſatii Pape, & poſt ejus mortem, & tempore olim Leonis Dni Petri de Anibaldis, qui tunc erant domini dicti caſtri Verpoſe, ipſe teſtis viddit multotiens duos & tres Fratres ſeu Canonicos dicti Monaſterii Sancti ALEXII exiſtentes in dicta Eccleſia Sancte Marie dicti caſtri, & ipſam Eccleſiam pro dicto Monaſterio &c. tenere & poſſidere; ac etiam viddit, tempore Feſtivitatis Sancte Marie de menſe Auguſti, Ymaginem dicte Eccleſie per totum dictum caſtrum portare, & ab hominibus dicti caſtri recipere candelas de cera, & alias oblationes, & domos, terras, & alia bona dicte Eccleſie una cum ipſa Eccleſia tenere &c. nemine contradicente, ſcientibus &c. ſupradictis dominis dicti caſtri &c.*

*Eodem die Bonus Annus de Magiſtris Luce de regione Sancti Angeli, teſtis eodem modo productus &c. dixit, ſuper omnibus dictis capitulis, ſe tantum inde ſcire, quod a tempore, quo dictum caſtrum Verpoſe &c. pervenit ad manus olim Nobilis Viri Johannis Bobonis de Boneſcis, ipſe teſtis viddit Fratres & Canonicos dicti Monaſterii Sancti ALEXII, & ſpecialiter olim Fratrem Jacobum dicti Ordinis Sancti ALEXII, nomine dicti Monaſterii &c. tenere &c. Eccleſiam Sancte Marie de dicto caſtro, domos &c. ipſius Eccleſie, ac etium terras &c. poſitas in tenimento ipſius caſtri ultra rivum, ſeu locum, qui vocatur Bobbinus &c. Item dixit, quod poſt mortem dicti olim Johannis Bobonis, tempore, quo dictum caſtrum pervenit ad filios dicti Johannis, viddit dictos Fratres &c. dicti Monaſterii pro ipſo Monaſterio tenere, poſſidere &c. omnia predicta pacifice &c. nemine contradicente, pro bonis & rebus dicti Monaſterii. Item interrogatus, quantum tempus eſt, dixit, quod ſunt XXX. anni & ultra, & audivit dici publice a pluribus perſonis, quod dictum caſtrum Verpoſe fuit locatum per Abbatem & Canonicos*



Digitized by Google

*cos predeceſſores dicti Monaſterii, reſervato* (34) *ipſi Monaſterio jure dicte Ecclcſie, cum poſſeſſionibus & juribus ſupradictis &c.*

*Indictione XI. menſis Auguſti die quarto. Cincius Palgicie de civitate Labinie* (35) *teſtis productus &c. dixit, quod ipſe teſtis vidderit, quod in dicto caſtro Verpoſe, jam ſunt XXX. anni & ultra, quod viddit unum Monacum album* (36) *in dicta Eccleſia dicti caſtri; aliud neſcit &c. Eodem die Cola filius Petri Mancini de civitate Labinie, teſtis eodem modo productus &c. dixit, quod ab antiquis temporibus, cujus memoria non extitit in contrarium, & etiam ab eo, quo tempore ipſe teſtis poteſt recordari, ipſe teſtis viddit certos Canonicos ſeu Monacos dicti Monaſterii Sancti ALEXII albos, ſtantes in dicta Eccleſia Sancte Marie de Verpoſa, & ipſam Eccleſiam cum domibus &c. tenere & poſſidere. Interrogatus quantum temporis poteſt eſſe, ipſe teſtis dixit, quod poteſt eſſe XL. anni & ultra.*

*Nos Raymundus de Tholomeis de Senis Miles, Dei gratia Alme Urbis Senator Illuſtris, mandamus vobis Magnifico Viro Johanni filio & heredi &c. quondam Pauli de Anibaldis, & Dñe Marſebilie relicte dicti quondam Pauli Nicolai de Anibaldis, & cuilibet veſtrum, quatenus hinc ad tres dies proxime futuros poſt aſſignationem preſentium, per vos, vel veſtrum legitimum reſponſalem compareatis in Curiam noſtram, coram Sapientibus Viris Dño Matheo de Baccariis dudum Judice Palatino ſuper appellationibus &c. & Dño Aguſtino de Se-*

(34) *Reſervato &c.* ut ſuperius legitur in Tabulis emphyteuſeos num. XXIII. pag. 426.

(35) *De civitate Labiniae.* Oppidulum nunc eſt, ubi proxime Lanuvium fuit ſeu Lanubium, veteris Latii urbs olim celebris in agro Laurenti jamdiu diruta. Sed Vulpius *Città Indovina* vel *Città della Vigna* fuiſſe, certiſſimis argumentis compertum putat. Vid. Cluerii Ital. Antiq. lib. III. & Vulpium Vet. Lat.

(36) *Monachum album.* Nam tunicis albis induebantur Canonici Praemonſtratenſes, qui Alexianum Coenobium, & caſtrum Verpoſae tunc poſſidebant.

Digitized by Google

*de Senis noſtro Judice Palatino ſucceſſore in dicto Officio dicti Dni Mathei, ad viddendum & audiendum publicationem teſtium productorum & examinatorum ſuper capitulis ad perpetuam rei memoriam aſſignatis pro parte Abbatis &c. Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe &c. termino VI. dierum ad opponendum contra perſonas & dicta ipſorum teſtium, alioquin elapſo dicto termino, ad dictam publicationem &c. prout de jure fuerit, legitime procedemus. Datum in Capitolio die quinto menſis Novembris, XII. Indictionis (37). Laurentius Scriba Senatus. Andreas de Buccamatiis Notarius appellationum & dicte Cauſe &c.*

*Et ego Andreas Riccardi de Buccamatiis Imperiali Auctoritate Notarius, quia predicta omnia ſcripſi de mandato dictorum Dnorum Mathei & Auguſtini Judicum ſupradictorum, & ....... dicto Proceſſu, & omnibus ſupradictis habeatur ab omnibus de cetero plena fides, ipſum publicavi, & in publicam formam reddegi, & meum ſignum appoſui conſuetum.*

## LXIX.

### Magnificus Vir JOANNES NICOLAI DE ANNIBALDIS * florenis ter millibus & ſeptingentis vendit *caſale* vocatum *lo Quatraro*, cujus directum dominium ad Alexianos pertinebat.

IN *nomine Domini........ Anno Domini milleſimo* CCC. A.D. *quinquageſimo octavo, Pontificatus Dni Innocentii Pape* 1358. *Sexti, Indictione XI. menſis Aprilis die XVIII. In preſentia Fran-*

(37) *XII. Indictionis*, quae a menſe Septembris tunc Romae incipiebat, ut diximus pag. 145. iccirco quae hic adnotatur dies quinta Novembris, ad A. D. 1358. referenda erit, qua die quum Raimundus de Senis jam eſſet Urbis Senator, plane conſtat, id muneris obtinuiſſe ante A. D. 1359. ut contra communem opinionem ſuperius monuimus not. (22). Sed de vario Indictionum uſu legendus Muratorius tom. 3. Antiq. med. aevi diſſ. 34. col. 48.

* Annibaldenſium Familia ſummae olim in Urbe potentiae, ut diximus p. 273. not. (75), originem habuiſ-

Digitized by Google

*Franciſci Vecchi Notarii, & mei Nicolai Philippi Notarii, & teſtium ſubſcriptorum &c. Sapiens & Diſcretus Vir Dñus Gergorius de Marganis Legum Doctor de regione Campitelli, Procurator &c. Magnifici Viri Johannis Nicolai de Anibaldis domini caſtri Sancti Petri in Formis* (38) *&c. vendidit &c. Leno Jaquintelli Speciario de regione Biberatice* (39), *& Theulo Petri Vetralle de regione Sancti Marchi, & cuilibet eorum pro partibus infraſcriptis, preſentibus & recipientibus pro ſe ſe ipſis, & eorum & cujuslibet ipſorum heredibus & ſucceſſoribus perpetuo &c. ſalvis ſemper & reſervatis juribus Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII, cujus eſt proprietas caſalis infraſcripti, ideſt totum & integrum caſale ........ Johannis ........ balli, quod vocatur lo Quatraro*

habuiſſe fertur a Petro Annibaldi (a) Innocentii III. ex ſorore nepote, de quo in Vita ejuſdem Pontificis prae ceteris legitur: *Petrus Annibaldi ſororius Domini Papae ... juxta Coloſeum turrem ex oppoſito coepit conſtituere, prohibentibus Jacobo Frajapane ac relicta Odonis Frajapanis, & impedientibus, prout poterant, per Coloſeum & turrem Odonis, lapidibus & ſagittis emiſſis &c.* Ex Vita Innocentii III. cap. CXL. apud Murat. Rer. Ital. tom. III. col. 566. Ego vero ſuſpicor, Familiam hujuſmodi Innocentii III. aetatem centum annis praeceſſiſſe. Nam in Chron. Sublacenſi ad An. 1090. narratur, *Agapitum Comitem Tuſculanum duas filias habuiſſe; quarum alteram nuptui tradidit Odoni Frajapani, cui reliquit caſtra Marini, Turricellae, Montis Albani, & Nemoris, & ſuam partem caſtri Montis Compatri; alteram vero Annibali Annibaldo, cui reliquit caſtra Arcis Perjurae* (Rocca Priora), *Montis Porculi, & Molariae &c.* unde Gens Molaria nomen deſumpſit, quae ab Annibaldis originem traxiſſe dicitur. Vide Zazzeram *Famiglia di S. Euſtachio* lit. B.

(38) Caſtrum S. Petri in Formis ab Annibaldenſibus ad Sabellios devenit, ac poſtea ad Vaticanae Baſilicae Canonicos. Vide pag. 425. not. (8).

(39) Vel hinc patet, quot mutationes ſubierint Urbis regiones, earumque antiqua nomina, ut diximus not. (99) p. 509. Quae regio S. Marci vocabatur, nunc continetur in regione Urbis IX. & dicitur *della Pigna*.

(a) Vide not. ad marginem codicis ms. de Romanis Familiis Theodori Amideni in Bibliotheca Frangipana.

Digitized by Google

*ro* (40), *poſitum extra portam Lateranenſem in loco, qui dicitur Favarolum* (41), *in proprietate dicti Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII, ſilicet dicto Madaleno tres partes integras de quinque principalibus partibus ſeu unciis totius dicti caſalis, & totius ſui tenimenti, & dicto Theulo duas alias reſiduas partes ſeu uncias de dictis quinque principalibus partibus ſeu unciis totius dicti caſalis, & ſui tenimenti, cum terris cultis & incultis, pratis &c. inter hos fines ad totum dictum caſale: ab uno latere eſt tenimentum caſalis Eccleſie Lateranenſis, quod vocatur lo Quajoto; ab alio latere eſt tenimentum caſalis Bonrecuperi* (42); *ab alio latere eſt tenimentum caſalis Monaſterii Sancti Sebaſtiani ad Cathacumbas, quod vocatur de Torri; ab alio latere tenet Eccleſia Sanctorum Quatuor Coronatorum; ab alio latere tenet Eccleſia Sancti Petri ad Vincula; ab alio latere tenet Eccleſia Sancti Adriani &c. Hanc autem venditionem &c. fecit ſupradictus Dnus Gergorius &c. procuratorio nomine, quo ſupra, eidem Madaleno &c. & dicto Theulo &c. emptoribus ſupradictis &c. pro pretio &c. trium millium & ſepticentorum florenorum boni & puri auri, & recti ac legalis ponderis, quos dictus Dñus Gergorius &c. preſentialiter &c. recepit a dicto Madaleno pro dictis tribus partibus &c. mille noningentos florenos boni & puri auri, & recti ponderis; & trecentos alios florenos auri reſiduos totius pretii &c. a dicto Madaleno confeſſus eſt & recognovit ſe habuiſſe & recepiſſe &c. & a dicto Theulo &c. recepit pro dictis duabus partibus &c. mille quatricentos & octuaginta florenos auri, & tertiam partem unius alterius floreni &c. Inſuper promiſit dictus Procurator vendi-*

Xxx tor

(40) *Quadrarium*, quod hic ponitur extra portam Lateranenſem, ſuperius num. XLVI. poſitum dicitur *extra portam Majorem Urbis*; unde conjicio, ab utraque porta illuc viam patuiſſe. Vid. p. 469. not. (7).

(41) *Favarolum*, de quo ſupra in Litteris Honorii III. Cap. XV. pag. 234. not. (30).

(42) *Bonrecuperi* ſeu *Bonricovero* fundus eſt rubl. 275. qui nunc pertinet ad Sancta Sanctorum. Vide Eſchinard. Deſcript. Agri Rom.

Digitized by Google

*tor prediſtus procuratorio nomine, quo ſupra, eiſdem Madaleno & Theulo, & cuilibet eorum, emptoribus ſupradiſtis &c. in prediſtis facere conſentire &c. Dnam Angelam uxorem dicti Johannis Anibaldi &c. Inſuper promiſit dictus Dnus Gergorius &c. Maduleno & Theulo emptoribus &c. in predicta venditione, & omnibus & ſingulis in ea contentis &c. facere conſentire Canonicos & Capitulum Sacroſancte Lateranenſis Eccleſie, tam ratione & occaſione relicti dicte Baſilice Lateranenſi facti per dictum quondam Nicolaum Patrem dicti Johannis, prout in teſtamento & ultima voluntate dicti quondam Nicolai continetur, quam quacumque alia occaſione &c. & ſpecialiter Magnificum Virum Johannem de Comite, & Dnum Abbatem, Capitulum, & Canonicos Monaſterii ſeu Eccleſie Sanctorum BONIFATII & ALEXII, quorum eſt proprietas* (43) *dicti caſalis &c.*

*Actum preſentibus hiis teſtibus, videlicet Laurentio Barzellone dicto Famante de regione Pinee, Religioſis & Honeſtis Viris Fratre Angelo de Calcarario Inquiſitore Heretice Pravitatis, Fratre Angelo de monte Flaſcone Guardiano, Fratre Thodiſco Cuſtode Romane Provincie, & Fratre Dominico de Marchia Sacriſtano, Fratribus Sancte Marie de Araceli Ordinis Minorum, Nicolao Johannis Angeli de Fuſſcis de Berta, dicto alias S....vo, Notario de regione ......Nutio Spene, & Cola Elene de regione Sancti Euſtachii, Johanne Proceſſi Vetrall.. & Dño Bartholomeo de Archarellis de Aſſceſa Proti, ad hec vocatis & rogatis.*

*Ego Nicolaus Philippi Franconis Dei gratia Alme Urbis Prefecti Auctoritate Notarius publicus, quia prediſtis omnibus & ſingulis interſui una cum ſupradicto & ſubſcripto Franciſco Vecchi....... ea ſcripſi, & publicavi, me quoque ſolito ſigno ſignato ſubſcripſi rogatus.*

*Ego Franciſcus Symeonis Petri Mathei dicti Vecchi Dei gratia*

(43) Patet ergo, *caſalis Quadrarii* dominium ſaltem directum ad Alexianos pertinuiſſe, ut diximus not. (7) pag. 469.

*gratia Alme Urbis Prefecti Auctoritate Notarius, quia predictis omnibus & ſingulis interfui una cum ſupradicto Nicolao, ideo me rogatus ſubſcripſi, & meum ſingnum appoſui conſuetum.*

# LXX.

## AEGIDII S.R.E. Cardinalis CARILLII Litterae delegationis Epiſcopi Nepeſini in Cauſſa appellationis Alexianorum ab Judice Viterbienſi.

EGidius (44) *miſeratione divina Epiſcopus Sabinenſis,* A.D.
*Apoſtolice Sedis Legatus, Venerabili in Chriſto Patri* 1357.
.. (45) *Epiſcopo Nepeſino ſalutem in Domino.* *ex actis*
*Sua nobis Abbas & Conventus Monaſterii Sanctorum BO-* *Anni*
*NIFATII & ALEXII de Urbe petitione monſtraverunt, quod* 1359.

Xxx 2 *cum*

(44) Hic ille eſt Aegidius Cardinalis Carillius de Albornottis Archiepiſcopus Toletanus, in Hiſtoria ejus temporis celebratiſſimus, qui Italiam pene totam, quae ex abſentia Pontificum Avenione commorantium jugum excuſſerat, prudentia & armis domuit; S. Petri Patrimonium, quod vocant, recuperavit; & Viterbii demum obiit IX. Kal. Septembris A.D. 1367. cujus cadaver (quod portenti inſtar habendum) Viterbio Toletum uſque humeris hominum ob reverentiam deportatum fuit, uti narrat Flavius Blondus Hiſtor. decad. II. lib. X. Raynaldus in Annal. Eccleſ. & Jo. Geneſius Sepulveda in libro, quem Latine conſcripſit, de rebus geſtis ab Aegidio Card. Carillio, quemque Franciſcus Stephanus in Italicum idioma tranſtulit, edidit que Bononiae A.D. 1590.

(45) *Epiſcopo Nepeſino.* Is erat Bonifacius de Ceto patria Urbevetanus Ordinis Minorum, ut ex ipſius Litteris apparet, quae in Actis hujuſce litis inſertae ſunt, ſcilicet: *Frater Bonifatius Ordinis Minorum, Dei & Apoſtolice Sedis gratia Nepeſinus Epiſcopus, ac Judex Delegatus per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dñum, Dñum Egidium Tituli S. Clementis Epiſcopum Sabinenſem, Apoſtolice Sedis Legatum in partibus Ytalie, in terris Eccleſie citra Regnum Sicilie conſiſtentibus Vicarium Generalem, in Cauſa infraſcripte appellationis inter Abbatem, Canonicos, & Conventum Monaſterii SS. BONIFATII & ALEXII de Urbe &c. ex parte una, & Jo. Verarducii Bona Spene &c. de Viterbio &c. ex parte altera &c.*

*eum inter ipſos ex parte una , & Johannem Verarducii Bona Spene Barberium , civem Viterbienſem ex altera , ſuper quadam vinea & rebus aliis, coram dilecto in Domino Roberto Angeli de Amelia , aſſerente ſe Judicem Majoris Curie causarum civilium Communis Viterbii . . . . . . . . idem Robertus perperam in hujuſmodi Cauſa procedens, diffinitivam contra Abbatem & Conventum Sententiam promulgavit iniquam; a qua pro parte dictorum Abbatis & Conventus, ſentientium exinde, ſe contra juxtitiam aggravari, fuit ad noſtram Audientiam appellatum . Quocirca Paternitati veſtre , Auctoritate, qua fungimur, preſentium tenore commictimus & mandamus, quatenus de Sententia ipſa cognoſcentes legitime , ipſam confirmare vel infirmare curetis , prout de jure fuerit faciendum. Data Florentie XVII. Kal. Octobris, Pontificatus Dni Innocentii PP. VI. anno quinto* (46).

## LXXI.

Emphyteuſis dimidiae poſſeſſionis *Merulani* , quae ad Alexianos pertinebat in agro Nepeſino .

A.D. 1360. *IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CCC.LX. tempore Dni Innocentii Pape VI. Indictione XIII. menſis Maji die XXVI. Impreſentia mei Notarii & teſtium &c. congregati &c. ut moris eſt, Venerabiles & Honeſti Viri Dnus Frater Bartholomeus Humilis Abbas infraſcripti Monaſterii, Frater Angelus de Balneoregio, Frater Nicolaus de Scroſano, Frater Symon de Cicilia, Frater Laurentius de Urbevcteri, & Frater Andreas de Viterbio, Canonici Venerabilis*

(46) *Anno quinto*, ideſt A.D. 1357. Nam Innocentius VI. electus eſt R.P. Anno 1352. ut diximus not. (20) pag. 518. Quare fallitur Ughellius, qui Bonifacium praelaudatum ab Epiſcopatu Vodienſi ad Nepeſinum translatum fuiſſe putat Anno tantum 1358. quippe Nepeſinam Sedem jam obtinebat A.D. 1357. hoc eſt, anno V. Pont. Innocentii VI. ut ex hiſce delegationis Litteris apparet.

*bilis Monaſterii Sanctorum* BONIFATII *&* ALEXII *de Urbe, vice & nomine dicti Monaſterii &c. locaverunt &c. Petrono Johannis Acti de caſtro Scroſani* (47) *preſenti, & recipienti vice & nomine Johannis Lelli Lupi, & heredum & ſucceſſorum ipſius Johannis in perpetuum &c. ideſt integram medietatem totius poſſeſſionis terrarum, vinearum, ſilvarum, & aliorum pertinentium ipſi Monaſterio, que vocatur Merolano* (48), *juntam pro indiviſo cum alia medietate dicti Monaſterii; que poſſeſſiones poſite ſunt in territorio Nepeſino inter hos ſines: ab uno latere eſt tenimentum caſtri Belmontis; ab alio tenent heredes Angeli Imperatoris tenutam, que dicitur Trivigiani; ab alio eſt tenuta caſtri Scroſani; ab alio ſunt coſte de Panzoneſchis, & terre certorum habitantium dicti caſtri Scroſani &c. Hanc autem locationem &c. fecerunt dicti Dnus Abbas, Canonici, & Capitulum dicti Monaſterii eidem Petrono preſenti, & recipienti vice & nomine dicti Johannis &c. pro eo quod dictus Petronus promiſit, & ſe principaliter obligavit pro dicto Johanne, quod dictus Johannes &c. & ſucceſſores ejus perpetuo, annuatim, in Feſto Sancti* ALEXII *de menſe Junii, dabunt &c. dicto Monaſterio pro cenſu &c. dicte medietatis dicte poſſeſſionis &c. tres libras bone cere nove ſine malitia; quas ſi in dicto Feſto non ſolverint, quod in octava duplicatas dicto Monaſterio tradere & aſſignare teneantur & debeant; & ſi in dicta octava ſic duplicatas non dederint vel aſſignaverint in dicto Monaſterio, quod dicta medietas dicte poſſeſſionis, ipſo facto & jure, & cum omni ſuo melioramento ad dictum Monaſterium libere revertatur; & ad mortem dicti Johannis, heredum & ſucceſſorum ejus, quicquid pro animabus ipſorum reliquerint* (49), *tertia pars ipſorum relictorum ad dictum Monaſterium deveniat &c.* *Actum*

(47) *De caſtro Scroſani* in agro Nepeſino, quod nunc poſſidetur a Gente Chiſia. Vide p.246. not.(2).

(48) *Merolano*, de quo vide App. num. XXIV. pag.427.

(49) Pacta ejuſmodi vix ambigendum, quin irrita fuerint poſt legem latam a Bonifacio VIII. de qua diximus pag.249. not. (9).

*Actum in dicto Monaſterio & Capitulo ipſius Monaſterii, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Rogerio Gerardi, Franciſco Turelli, Fatio Jacobelli, & Ceccholo Lelli Miccinelli Familiare ſupradicti Dñi Abbatis.*

*Ego Johannes Jacobi Jordani de Bulgaminis Dei gratia Imperiali Auctoritate Notarius, quia predictis omnibus interfui, ſcripſi & publicavi rogatus.*

## LXXII.

FRANCISCUS DE BONONIA Judex Palatinus Sententiam pronuntiat de caſtro Verpoſae pro Monachis Alexianis.

A.D. 1360. *IN Nomine Domini. Nos Franciſcus de Bononia Judex Palatinus ſuper appellationibus & aliis extraordinariis cauſis deputatus, cognoſcentes de Cauſa &c. vertenti, & que verſa eſt coram nobis inter Abbatem, Canonicos, & Capitulum Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, & Johannem de Bulgaminis Notarium &c. Procuratorem, & perſonam legitimam dictorum Dni Abbatis, Canonicorum, & Capituli dicti Monaſterii, actores ex una parte, & Nobilem Virum Jacobellum Urſinum* (50)*, Jacobellum Laurentii Lucis Notarium Procuratorem ejus, Johannem Pauli Nicolai de Anibaldis, qui ſe adverſarium paravit in dicta Cauſa, & Petrum Buccatiolam Notarium Procuratorem ejus, reos conventos ex parte altera, preteſtu & occaſione executionis petite pro parte dicti Monaſterii de caſtro Verpoſe, vigore duarum Sententiarum latarum pro ipſo ..... videlicet unius Sententie late in principali Cauſa per Dñum Franciſcum de Fabris, dudum Judicem dicti Officii, ſcripte per Paulum Smantam Notarium, & unius ...... Sententie late per nos pro dicto Monaſterio de conſilio Sapientis Viri Dñi Paparonis in Cauſa appellationis interpoſite pro parte dictorum Jacobelli*

(50) De Familia Urſina vide pag. 272. not. (74).

Digitized by Google

*cobelli, & Johannis, vel alterius ipſorum, quod ipſe Jacobellus, & Johannes, nec alter ipſorum non audirentur &c. ſine pignoris datione, vel totius caſtri, & fructuum perceptorum de dicto caſtro a novem annis citra ad rationem L. florenorum auri annuatim, ut patet manu Pauli Smante, & Johannis Dni Jacobi Notarii dicte Cauſe. Unde viſis per nos dictis Sententiis, viſo mandato facto dictis Jacobello & Johanni, quod infra certum terminum jam elapſum venirent coram nobis ad deponendum dicta...... prout in dicta Sententia continetur, que minime facere curaverunt, viſis & auditis juribus utriuſque partis &c.* Chriſti nomine invocato, *in hiis ſcriptis interloquendo &c. decernimus & declaramus, dictas Sententias &c. ad petitionem dictorum Abbatis, Canonicorum, & Capituli dicti Monaſterii &c. fuiſſe & eſſe executioni mandandas &c.*

*Lecta, lata &c. fuit dicta Sententia &c. per Dnum Franciſcum de Bononia Judicem appellationum &c. in palatio Capitolii &c. ſub Anno Domini milleſimo CCC. LX. Pontificatus Dni Innocentii Pape VI. Indictione XIII. menſis Junii die XX. preſentibus hiis teſtibus, videlicet Johanne Nicolai Coſſi Cicchareli, & Paulo Gninctonis dicto Martio Notario appellationum &c.*

*Scripta per me Paulum Smantam Notarium Palatinum ſuper appellationibus & aliis extraordinariis cauſis deputatum, & dicte Cauſe, de man ......... Bononia Judicis appellationum ſupradicti &c.*

## LXXIII.

### Acta poſſeſſionis caſtri Verpoſae ab Alexianis acceptae ex Sententia Judicis Palatini.

IN *nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo CCC. LX. Pontificatus Dni Innocentii Pape Sexti, Indictione XIII. menſis Junii die XXVII. In preſentia mei Notarii* A.D. 1360.



Digitized by Google

*tarii & teſtium ſubſcriptorum &c. Sapiens & Diſcretus Vir Dnus Franciſcus de Bononia Judex Palatinus ſuper appellationibus & aliis extraordinariis cauſis deputatus, ſedens &c. pro Tribunali &c. commiſit & mandavit mihi Paulo Notario infraſcripto, & Petro Palloni Mandatario Curie, preſentibus & audientibus, quatenus ipſe Petrus Mandatarius predictus veniat & accedat una mecum ad caſtrum Verpoſe Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, poſitum in Maritima inter hos fines, ab uno latere eſt tenimentum caſtri Fuſingiani (51), ab alio latere eſt tenimentum caſtri S. Petri in Formis (52), ab alio eſt tenimentum caſtri Noctuñ (53), ab alio eſt tenimentum civitatis Labinie (54) &c. ad inveſtiendum &c. de dicto caſtro & ejus tenimento Venerabilem Virum Dnum Fratrem Bartholomeum Abbatem, Canonicos, & Capitulum prelibati Monaſterii, ſeu Johannem de Bulgaminis Notarium Procuratorem &c. ipſorum, ſyndicario &c. nomine dicti Monaſterii, juribus & pertinentiis ſuis, ac etiam fructibus caſtri predicti, ut patet manu mei Notarii infraſcripti.*

*Actum preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Laurentio Ciccharelli, Johanne de Cangiano, & Johanne Nicolas Coſſi Notario appellationum.*

*Scriptum per me Paulum Smantam Notarium appellationum & dicte Cauſe, de mandato Dñi Franciſci Judicis appellationum ſupradicti.*

*Eodem Anno, Indictione, menſis Junii die XXVIII. In preſentia mei Notarii & teſtium &c. conſtitutus perſonaliter Johannes de Bulgaminis Notarius, Procurator &c. Abbatis, Canonicorum, & Capituli ſupradicti Monaſterii, accedens perſo-*

(51) Fuſiniani & Verpoſae latifundia nunc poſſidentur a Gente Sfortia de Caeſarinis. Vid. p.231. not. (22), & p.424. not. (4).

(52) *S. Petri in Formis*, de quo not. (8) pag.425.

(53) *Noctuñ* ſeu *Neptunii*, ut ſup. not. (25) pag.520.

(54) *Civitatis Labiniae*, de qua ſup. not. (35) pag.526.

*perſonaliter una cum me Notario inſraſcripto, & dicto Petro Palloni Mandatario, ex commiſſione ſupradicta ſibi facta per dictum Dñum Franciſcum, ſponte ipſum Johannem &c. nomine dicti Monaſterii, de dicto caſtro & ejus tenimento, juribus & pertinentiis ſuis inveſtivit, in vacuam & pacificam poſſeſſionem immiſit, intrando in dicto caſtro & arcie ipſius caſtri, aperiendo & claudendo portas caſtri & arcie predicte, ſedendo, & ſtando in eis, ducendo ipſum per tenimentum dicti caſtri; & in ſignum vere poſſeſſionis miſit de terra in ſynum dicti Johannis Procuratoris predicti, eundo, veniendo per tenimentum dicti caſtri; & ſic de dicto caſtro & ejus tenimento, juribus & pertinentiis ſuis corporalem poſſeſſionem adeptus eſt.*

*Actum preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Lello Gibelli de regione Sancti Angeli, Tucio Tordonerii de ripa fluminis, & Bucio Laurentii Guidonis de regione Campitelli.*

*Ego Paulus Leonardi Smante Dei gratia Imperiali Auctoritate publicus Notarius, quia predictis omnibus interfui, idea ipſa ſcripſi & publicavi rogatus.*

## LXXIV.

### Charta donationis *caſalis in caſtro Aſtrucii* Bartholomaeo Abbati factae a PANESSA rarae pietatis femina.

*IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CCC. LXI. tempore Dñi Innocentii Pape VI. Indictione XIIII. menſis Maji die XXV. In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum &c. Paneſſa filia quondam Doniſii, & uxor quondam Raynaldi Symonis, dudum de caſtro Aſtrucii* (55), A.D. 1361.

Yyy *& nunc*

(55) *De caſtro Aſtrucii* ſeu Aſturae, de quo vid. pag. 169. & 233. not.(27), atque App. num. III. VIII. & XIII. corrupto vocabulo diceba- tur *Aſtrucii*, & *Aſtoris*; de cujus direptione, quae contigit A.D. 1288. haec habet Bartholomaeus de Neocaſtro: *Cave tibi Aſtora, quia Occidentalis Aquila volans, ecce contra te venit; quae deſtruens nidum tuum, pullos*

& nunc de Urbe de regione Ripe &c. ſua. bona propria & ſpontanea voluntate .......... & titulo donationis inter vivos & irrevocabiliter dedit &c. Vene ......... Bartholomeo Abbati Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe preſenti, & recipienti vice & ....... Sancte Marie de inſula Aſtrucii ........ & Cappelle dicti Monaſterii & dicto Monaſterio immediate ſubjecte, ac vice & nomine Capituli & Conventus dicti Monaſterii &c. in perpetuum, ideſt unum caſale ...... Paneſſe, poſitum in dicto caſtro Aſtrucii inter hos fines: ab uno latere ten ........ alio tenet Magiſter Jacobus ......... via mediante; ante eſt via publica. Item ...... eam poſ ..... in tenimento dicti caſtri in loco, qui dicitur ... capo delle ...... prope territorium dicti Monaſterii ....... jur ........ inter hos fines: ab uno latere tenet Petrus Ca ...... alio ten .......... via publica &c. & nichilominus conſtituit ſuum Procuratorem Rogerium Gerardi teſtem preſentem ad inveſtiendum ipſum Dñum Abbatem pro dictis Eccleſia & Monaſterio &c. de dictis caſaleno & vinea. Hanc autem donationem inter vivos fecit dicta Paneſſa eidem Dño Abbati &c. ob reverentiam Ymaginis

pullos tuos devorabit, auferens plumas tuas; pro eo quod de ſanguine pulli Aquilae Orientalis Lacedaemoniorum arenas, qui Neapolim translatam extollunt, polluiſti .... Bernardus itaque de Sarriano, IV. Septembris, XV. Indictionis, in marinam plagiae Romanae, quadam die Dominica ſummo diluculo veniens cum barcis, pro eo quod plagia eſt, & cum galeis ad terram applicare non poterat, percutit in Aſtoram, & pugnans cepit eam, & depraedavit illam omnibus bonis ſuis. Interficitur lancea trajectus filius Jacobi Fragapanis dominus Aſtorae, qui Jacobus Conradinum (vid. not. 27. p. 233.) Regem tempore adverſitatis ejus cepit, & hoſtibus aſſignavit; interficiuntur & plures alii cum eodem. Demum ignem immittens, majorem partem Aſtorae combuſſit; & deinde rediens, invadit caſalia, & partes Sorrenti & Paſſitani; & quamplures alii interfecti ſunt; & ſpolia quamplurima aſportavit &c. Ex Cap. III. & IV. de deſtructione Aſtoris in Hiſt. Sicula Barthol. de Neocaſtro apud Murat. Rer. Ital. Script. tom. 13.

Digitized by Google

*nis Virginis Marie Eccleſie predicte*(56), *& pro devotione, quam habet in eam, & remiſſione peccatorum ipſius &c.*

*Actum in dicto Monaſterio, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Rogerio Gerardi, Franciſco Turelli, & Fatio Jacobelli Familiari ſupradicti Dñi Abbatis.*

*Ego Johannes Jacobi Jordani de Bulgaminis Dei gratia Imperiali Auctoritate Notarius, quia predictis omnibus interfui, ſcripſi & publicavi rogatus.*

## LXXV.

### Excerpta ex Tabulis locationis bonorum aliquot Alexiani Coenobii.

*IN nomine Domini, amen. Anno Domini MCCCLXVII.* A.D. 1367. *tempore Urbani Pape V.* (57) *&c. die X. menſis Octubris. In preſentia mei Notarii &c. Venerabilis Vir Dñus Frater Bartholomeus Humilis Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe &c. nomine dicti Monaſterii & pro eo vendidit &c. Paulo Johannis Tomarotii*



(56) Eccleſia B. M. V. Aſturae, de qua pag. 238. in Elencho Sacrarum Aedicularum, quae Alexiano Coenobio olim adjectae & ſubjectae fuerunt.

(57) *Urbanus V.* Guillelmus de Griſaco Mimatenſis, vir morum ſanctitate conſpicuus, vix ad Supremum Pontificatum evectus die 27. Octobris An. 1362. Romam petere conſtituit; ſed variis ex cauſſis profectionem diſtulit uſque ad A. D. 1367. quo Anno Avenione in Italiam iter ſuſcepit, reluctantibus licet Cardinalibus & Carolo Galliarum Rege; atque Romam ingreſſus eſt die 16. Octobris, *occurrentibus ſibi Clero & Populo Romano, ipſum ſolemniter recipientibus cum magno gaudio, & Deum laudantibus de jucundo adventu ſuo*, uti legitur in ejus Vita I. apud Baluzium. Sed A. D. 1370. Avenionem regreſſus Aulicorum ſuaſionibus, qui Gallicis deliciis aſſueti, Eccleſiae dignitatem parvi faciebant, diem ſupremum obiit 14. Kal. Januarii 1371. ſepultuſque fuit in Abbatia S. Victoris Maſſilienſis. Vid. Franc. Petrarca Rerum Senilium lib. IX. Ep. 13.

Digitized by Google

*marotii de regione Sancti Euſtachii &c. herbas groſſas & minutas totius tenimenti caſtri Verpoſe dicti Monaſterii, ad paſculandum & paſculare faciendum cum pecudibus & baccis (58), hinc ad Feſtum Sancti Angeli (59) de menſe Maji proxime futuri, reſervatis glandis & glandatico dicti tenimenti dicti caſtri Monaſterio predicto; in quibus glandis non liceat dicto Paulo mictere aliquas beſtias ad paſculandum glandas predictas, nec ad manus dictas glandas colligere, nec colligi facere; ſed liceat dicto Dño Abbati in dictis herbis mictere & tenere ad paſculandum baccas, & beſtias ſuas baccinas; quo tempore finito, dicte herbe ad dictum Monaſterium libere revertantur & remaneant. Hanc autem venditionem fecit dictus Dñus Abbas &c. eidem Paulo &c. pro pretio & nomine pretii octuaginta & quinque florenorum boni & puri auri, & recti ponderis, duorum craſtatorum, ducentarum petiarum caſei, duorum agnorum, & duorum edorum, quos ſolvere & aſſignare promiſit in hunc modum, videlicet XLII. florenos auri hinc ad Feſtum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime futurum, & alios XLII. florenos, craſtatos, caſeum, agnos, & edos hinc ad Feſtum Paſce Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime futurum; de qua quantitate dictus Dñus Abbas confexus eſt recepiſſe pro arris unum florenum aureum &c.*

A.D. 1372. *Anno Domini MCCCLXXII. tempore Gregorii Pape XI. (60), Indictione X. &c. die XI. menſis Junii. In preſentia mei Notarii &c. Venerabilis Vir Dñus Frater Bartholomeus Humi-*

(58) *Baccis*, ideſt vaccis; nam bos femina vacca dicitur etiam a Tullio lib.I. de Nat. Deorum: *Cur non geſtiret taurus equae contrectatione? equus vaccae?*

(59) *S. Angeli de menſe Maji*, Feſtum ſcilicet Apparitionis S. Michaelis Archangeli, quod anniverſaria celebratione recolitur die octava Maji.

(60) *Gregorius XI.* Petrus Rogerius Lemovicenſis electus Romanus Pont. die 30. Decembris An. 1371. in Galliis moram traxit uſque ad diem 13. Septembris An. 1376. qua die Avenione receſſit, & Maſſilia ſolvens

Digitized by Google

*Humilis Abbas Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, ſponte nomine dicti Monaſterii & pro eo, vendidit &c. Palutio Matheoli, dicto alias Garofolo, de regione Sancti Angeli &c. ideſt totam ucellatam mortitorum tantum, & venationem beſtiarum ſalvaginarum ſilvarum & tenimenti caſtri Verpoſe dicti Monaſterii, ad ucellandum & venandum, ucellari & venari faciendum, ut ſupra dictum eſt, a preſenti die per totum carnis privium proxime futurum; quo tempore finito, ad dictum Monaſterium libere remaneat &c. Hanc autem venditionem dictus Dñus Abbas &c. fecit eidem Palutio, dicto alias Garofolo &c. pro eo quod dictus Garofolus promiſit & convenit pro pretio & nomine pretii dicte ucellationis &c. dare &c. dicto Dño Abbati duos mancoſos mortitorum condecentium, & unum roſulattum condecentem, & unum crapolum condecentem; quos crapolum & roſulattum dare &c. promixit eidem Dño Abbati ad omnem petitionem &c. dicti Dñi Abbatis, & dictos duos mancoſos mortitorum tempore ucellationis mortitorum proxime future &c. Actum in Eccleſia dicti Monaſterii, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Franciſco Turelli, Ceccho Lelli Miccinelli dicto Picchio, & Petro Sapii de Francia, & nunc Coquo dicti Monaſterii &c.*

*ANno Domini MCCCLXXVII. tempore Domini Gregorii* A.D. 1377.
*Pape XI. Indictione XV. die prima Januarii &c. In preſentia mei Notarii &c. ſupradicti Dñs Abbas & Canonici ſupradicti Monaſterii inſimul congregati in camera propter infirmitatem dicti Dñi Abbatis, ſponte pro ſeſe ipſis, ac vice & nomine dicti Monaſterii locaverunt &c. Nucio Petri Gibelli de regione Sancti Angeli &c. ideſt tertiam partem cujuſdam caſalis dicti Monaſterii, quod vocatur la Cicognio-*

*la*

ſolvens per Tyberim triremi vectus, ad Baſilicam S. Pauli deſcendit; & die 17. Januarii A.D. 1377. Romam ingreſſus, ibi reduxit & fixit Sedem Pontificiam, ut legitur in ejus Vita I. apud Baluzium. Demum obiit die 27. Maji A. D. 1378. & ſepultus eſt in Templo S. Mariae Novae, quod nunc vocant S. Franciſcae Romanae, ubi magnificum ejus exſtat marmoreum monumentum.

Digitized by Google

*la* (61), *cum tertia parte totius tenimenti ſui juncta pro diviſo cum alia tertia parte Monaſterii Sancti Sabbe de Urbe, & cum alia tertia parte Monaſterii Sancti Sebaſtiani in Catacumbis, item & medietatem unius quarte partis caſalis, quod vocatur Schiaci* (62), *dicti Monaſterii, & ejus tenimenti ad dictam medietatem dicte quarte partis ſpectantis & pertinentis, junctam cum aliis partibus dicti Nucii, poſiti extra portam Sancti Pauli infra ſuos confines, pro tribus annis proxime futuris &c. Hanc autem locationem fecerunt dicti Dñs Abbas & Monaci eidem Nutio &c. pro eo quod dictus Nutius promixit & convenit eiſdem pro dicta locatione annuatim tempore recollectionis dare &c. eis &c. in area dictorum caſalium octo rubra boni grani ſine malitia ad menſuram Senatus, & ſolvere quatuor florenos auri in hunc modum, videlicet duos florenos in Feſto Paſcatis Reſurreſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & alios duos in Feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.*

*Die XXII. menſis Martii. In preſentia mei Notarii &c. Cum Venerabile Monaſterium Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe inter alias ſuas poſſeſſiones habeat duas domos terrineas & ſolaratas ſimul junctas, poſitas in regione Ripe in contrata Porticus Gallatorum* (63) *inter hos fines, ab uno latere tenent Dñi Sabellenſium, ab alio latere tenet Butius Jubarellarus, a duobus lateribus ſunt vie publice &c. & dicte domus minerent ruinam, & indigeant multis expenſis pro recuperatione & reparatione ipſarum &c. & nunc Abbas & Canonici dicti Monaſterii non habeant pecuniam pro recuperatio-*

(61) *Cicogniola*, quae in Litteris Honorii III. nominatur *Cicomola*. Vid. not. (14) pag. 229.

(62) *Schiaci*, de quo vide App. num. LXVII.

(63) *Porticus Gallatorum*, quae hic ponitur in *regione Ripae*, ſuperius num. XXVII. memoratur *ante Eccleſiam S. Mariae de Gradellis*, quam prope Septizonium fuiſſe conjecimus not. (26) pag. 432. Ut autem haec ſibi cohaereant, vel regionem Ripae iis temporibus uſque ad Septizonium extenſam fuiſſe dicendum erit,

*ratione & reparatione dictarum domorum propter creationem (64) novi Abbatis factam in dicto Monaſterio, in ejus creatione & confirmatione fuerunt facte multe expenſe, prout facere conſuetum eſt; idcircho congregati & cohadunati Venerabile Capitulum & Canonici dicti Monaſterii in Capitulo dicti Monaſterii pro infraſcripta locatione facienda ad ſonum campanelle, ut moris eſt, de mandato Venerabilis Viri Dni Petri de Muſcianis Abbatis (65) dicti Monaſterii, ſcilicet ipſo Dno Abbate, Fratre Cecho de Roma & contrata Pyſcine, Fratre Stephano de Viterbio, Fratre Alexio de Roma, Canonicis dicti Monaſterii &c. locaverunt &c. Johanni Cecchi Mancini, dicto alias Johanni de Tomaſſa, de dicta regione & contrata &c. dictas domos poſitas & confinatas, prout ſuperius dictum & declaratum eſt, pro XVIII. annis proxime futuris &c. Actum in Capitulo dicti Monaſterii, preſentibus hiis teſtibus, ſcilicet Nardolo delli Tomaſcini Spadario de regione Ripe, Lello Thome Muſciani de regione Colunpne, & Franciſcho Turelli familiare dicti Dni Abbatis, ad hec vocatis & rogatis.*

*ANno Domini MCCCLXXVII tempore Domini Gregorii Pape XI. Indictione XV. &c. die XXV. menſis Maji. In preſentia mei Notarii &c. Cum Venerabile Monaſterium Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, Abbas, & Canonici dicti Monaſterii contraxerunt certa debita tam pro exequio quondam bone memorie Fratris Bartholomei, olim Abbatis dicti Monaſterii, pro certis pannis, & aliis multis expenſis factis dicta occaſione, & in creatione preſentis novi Abbatis,* A.D. 1377.

erit, vel aliunde exquirendus ſitus *S. Mariae de Gradellis & Porticus Gallatorum*. Hanc *P. Anton. Erra* eandem arbitratur ac Porticum Octaviae, quam poſtea a parentibus S. Gallae Gallatorum denominationem accepiſſe autumat. Sed an ſcopum tetigerit, aliorum judicium eſto. Vid. *Iſtoria dell'Immagine e Chieſa di Santa Maria in Portico, Roma* 1750.

(64) Conſtat igitur, hoc Anno ante diem 17. Martii Bartholomaeum Abbatem e vivis exceſſiſſe, ut diximus pag. 273.

(65) *Petri de Muſcianis* Abbatis, de quo egimus Cap. XVII. p. 274.

Digitized by Google

*tis, pro Litteris (66), Bullis, benedictis ſeu conſacratis, & aliis occurſis dictis occaſionibus; & dictum Monaſterium, & Abbas, & Canonici dicti Monaſterii non habeant pecuniam cauſa ſolvendi dicta debita &c. idcircho &c. congregati & cohadunati Abbas & Canonici dicti Monaſterii in Capitulo dicti Monaſterii ad ſonum campanelle, ut moris eſt, de mandato Venerabilis Viri Dni Fratris Petri de Muſcianis Abbatis dicti Monaſterii, ſcilicet ipſe Dns Abbas, Frater Cecchus de Urbe, Frater Stefanus de Viterbio, & Frater Alexius de Roma, Canonici dicti Monaſterii inſimul congregati &c. deliberaverunt ſponte, pro meliori facere locationem Nicholao Valentini de regione Montium, & Ceccho Peregrini de regione Pinee, vel alteri ipſorum de caſali dicti Monaſterii, quod vocatur Sancta Fumia, poſito extra portam Apiam infra ſuos fines, pro octo annis, ad rationem LXXV. florenorum auri annuatim; quam quantitatem ab aliqua alia perſona habere non potuerunt; & ſit poſſeſſio dampnoſa dicto Monaſterio &c. Actum in Capitulo dicti Monaſterii, preſentibus hiis teſtibus, ſilicet Lello Thome Muſciani de regione Columpne, Paulo Salvatelli Marmorario de regione Trivii, & Nanne Magiſtri Jannecti Marmorario de Aretio, & nunc de Urbe, de regione Sancti Euſtachii, ad hec vocatis & rogatis.*

## LXXVI.

### Procuratorum nominatio ad agendum cum DOMINICO Alexiano Abbate de permutatione quadam in bonis Viterbii.

A.D. 1388. *IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CCC. LXXXVIII. tempore Dni Urbani divina providentia Pape Sexti (67), Indictione undecima, die XIIII. menſis Januarii. In pre-*

(66) Pontificium Diploma hic indicari autumo, quod Petrus impetraverit, ut Abbas conſtitueretur. Vide pag. 274.

(67) *Urbanus VI.* Bartholomaeus Prignianus Neapolitanus, Archiep. Ba-

Digitized by Google

*In preſentia mei Notarii & teſtium ſubſcriptorum, Nobilis Vir Giannes Franciſci Marcucii Dñi Pauli de civitate Viterbii &c. fecit &c. ſuos veros & legitimos Procuratores &c. Providos Viros Angelum Morontis de Viterbio &c. & Genactanum Franciſci alias Pantie de dicto loco &c. ad faciendum cum Venerabilibus & Religioſis Viris Dño Fratre Dominicho (68) in Sacra Pagina Magiſtrato Abate Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe, ac Monacis, Capitulo, & Conventu Monaſterii prelibati permutationem infraſcriptam, videlicet ad dandum &c. prenominatis Dño Abati, Monacis, Capitulo, & Conventui &c. medietatem cujuſdam campi dicti Giannis, communis pro indiviſo cum Dña Johanna Luce de civitate Viterbii, poſiti in tenimento Viterbii in contrata Batacciani &c. nec non ad recipiendum &c. poteſtatem &c. ducendi & inrigandi aquam per ortos Monaſterii anteſati, poſitos in tenimento civitatis Viterbii in contrata vallis Canalis &c.*

*Actum eſt hoc Viterbii in domo habitationis ſupradicti conſtituentis, preſentibus Providis Viris Presbitero Franciſco Magiſtri Franciſci, Presbitero Dominicho Vannis ..... Franciſco, & Angelino Petrucii alias ........ & Sanctoro Bartholomey de Viterbio, teſtibus ad predicta vocatis, habitis, & rogatis.*

*Et ego Tutius quondam Benedicti Tutii de Viterbio, publicus Auctoritate Alme Urbis Prefecti Notarius & Judex Ordinarius, predictis omnibus & ſingulis interfui, & ea rogatus ſcripſi, & publicavi, & ad fidem ſingno meo ſolito quoque ſinguavi.*



Barenſis electus eſt Romanus Pont. die 8. Aprilis An. 1378. Sedit annos XI. menſes VI. d. 8. Romae obiit d. 15. Octobris A. D. 1389. & in Vaticano Templo ſepultus eſt.

(68) Is ille eſt Dominicus Abbas S. ALEXII, qui ad Epiſcopatum Iſernienſem, & poſtea ad Sueſſanum translatus fuit, ut diximus pag. 274. & 277.

Digitized by Google

# LXXVII.

Deſcriptio ſeu *Inventarium*, ut vocant, bonorum omnium, quae ad Alexianum Monaſterium pertinebant, quum illud CHRISTOPHORO MARONI S. R. E. Cardinali commendatum eſt.

A.D. 1390. *IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CCC. LXXXX. tempore Dni Bonifatii Pape VIIII. Indictione XIII. menſis Maji die XXIII. In preſentia Dni Benedicti de Tibure, & mei Franciſci Johannis Pauli de Romauiis Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum. Hoc eſt quoddam Inventarium ſive memoriale bonorum, & rerum mobilium & inmobilium Venerabilis Monaſterii Sanctorum ALEXII & EUFOMIANI* (69) *de Urbe, factum per Reverendum in Chriſto Patrem & Dnum, Dnum Dominicum Epiſcopum Sergienſem* (70), *olim Abbatem dicti Monaſterii, ac etiam reſignatio ipſarum rerum & bonorum, facta per dictum Dnum Dominicum Abbatem prefatum penes & apud Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dnum, Dnum Chriſtoſanum* (71) *Dei & Apoſtolice Sedis gratia Tituli Sancti Ciriaci Presbyterum Cardinalem, cui dictum Monaſterium cum bonis, & rebus, & poſſeſſionibus ipſius Monaſterii, & omnibus juribus & juriſdictionibus ad ipſum Monaſterium quomodolibet ſpectantibus & pertinentibus, per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dnum, Dnum Bonifatium divina providentia Papam VIIII.* (72) *predictum, extitit & eſt traditum in Commendam,*

(69) Hominum religio erga Beatum ALEXIUM tunc adeo vigebat, ut ejuſdem parentem Euphemianum loco S. BONIFACII nominarent.

(70) *Sergienſem*, ideſt Iſernienſem, ab Iſernia Italice *Sergna*. Vide not. (2) pag. 282.

(71) De Chriſtophoro Cardinali Marone ſatis egimus Cap. XVIII. & XIX.

(72) Bonifacius IX. Petrus Thomacellus Neapolitanus, electus Rom. Pont. IV. Non. Novembris 1389. obiit Kal. Octobris A. D. 1404.

Digitized by Google

*dam, preſentibus, videntibus, & audientibus Fratre Cola Cole Aviti, Fratre Petro Cole Johannis Pauli, & Fratre Andrea, Monacis dicti Monaſterii. Bona autem & res ſunt infraſcripte, videlicet:*

*In primis caſale dicti Monaſterii liberum & exemptum ab omni onere. Item pars caſalis Cecognole* (73). *Item octava pars caſalis, quod vocatur Schiaci* (74), *locata Nutio Tbelli ad cenſum redendum anno quolibet Monaſterio predicto VIII. rubrorum grani, & IIII. florenorum pro erbatico, prout dictus olim Abbas reperiit in dicto Monaſterio. Item pedica poſita prope caſtrum Mareni* (75) *locata Petro Johannis Cinthii ad cenſum redendum anno quolibet dicto Monaſterio duo rubra grani; pro quo cenſu debet ſolvere de tempore preterito V. rubra plus vel minus, prout de hiis patet publicum Inſtrumentum ſcriptum manu, ut dicitur, publici Notarii. Item una alia pedica juxta & prope dictum caſtrum Mareni juxta ſuos confines. Item caſtrum Verpoſe* (76) *poſitum juxta & prope civitatem Labiniam & caſtrum Ardie, locatum filiis Graſſi pro L. florenis & uno porco annuatim. Item poſſeſſiones vinearum poſitarum in monte della Vagnara* (77). *Item in monte Sancte Pacis. Item in monte, qui vocatur lo Paviglone. Item poſſeſſiones vinearum montis Sancti ALEXII poſite juxta dictum Monaſterium; pro quibus poſſeſſionibus reſpondet Mon̄ anno quolibet filiis Cecchi Johannis Mancini XX. florenos. Item una domus poſita in regione Tranſtiberim, quam poſſidet Rentius de Hoſtia, dictus lo Viſcione, ad annuum cenſum redendum dicto Monaſterio ſollos duos proviſinorum. Item poſſeſſiones exiſtentes in tenimento Viterbii* (78), *recuperate Monaſterio*



(73) *Cecognolae* ſeu *Cicomolae*, ut ſup. not. (14) pag. 229.

(74) *Schiaci*, de quo vid. App. num. LXVII. p. 514. & num. LXXV. pag. 542.

(75) Vid. App. num. XLVIII. pag. 472.

(76) *Verpoſae*, de qua pag. 231. not. (22), & App. num. LXVIII.

(77) *Vagnara &c.* his nominibus etiamnum appellantur vineae, quas poſſidemus extra portam Sancti Pauli I. ab Urbe lapide. Vid. pag. 481. not. (39).

(78) *Poſſeſſiones Viterbii*, de quibus vide App. num. XLVI. & ſeq. item num. LIII. LVII. LX. & ſeq.

Digitized by Google

*ſterio per dictum Dñum Abbatem, que invaſe erant per certos cives de Viterbio. Item gripte & caſareni poſiti in circuitu dicti Monaſterii & in contrata, que dicitur Marmorata (79). Item duc domus poſite in regione Ripe in contrata, que dicitur Ceppitella, quas poſſidet Johannes Dñe Saxe ad cenſum redendum anno quolibet dicto Monaſterio ſollos duos. Item cenſus trium ſollorum, quos reſpondet dicto Monaſterio annuatim Monaſterium Eccleſie Sancte Marie Nove (80) pro certis vineis poſitis in proprietate dicti Monaſterii Sancti ALEXII. Item unum valzolum ſive petium terre poſitum prope Monaſterium Sancti Pauli ſupra Maceras. Item cenſus duarum librarum cere, quas anno quolibet reſpondet dicto Monaſterio Eccleſia Sancte Marie Annumptiate occaſione terratici. Item caſale, quod dicitur lo Quatraro (81), quod poſſidet lo Compare ad reſpondendum anno quolibet dicto Monaſterio ſex ſollos & novem denarios. Quas poſſeſſiones dictus Dñs olim Abbas tempore ſui regiminis dicti Monaſterii reperiit penes & apud dictum Monaſterium, & non alias, nec plures, dictis Fratribus Petro & Cola preſentibus, audientibus, & confitentibus ſic verum eſſe.*

*Item res mobiles tam de Sacriſtia quam extra Sacriſtiam in dicto Monaſterio exiſtentes ſunt infraſcripte. In primis de Sacriſtia unus tabernaculus argenteus, in quo eſt incluſum Capud S. ALEXII. Item Capud S. BONIFATII incluſum in quodam vaſe argenteo. Item unus alter Tabernaculus de criſtallo cum Reliquiis XII. Apoſtolorum. Item unus alter parvus de criſtallo cum veſtimentis Sancti Johannis Baptiſte, & certis aliis Reliquiis. Item una tabula de creta cum Reliquiis. Item una crux parva cum Ligno Crucis. Item una tabula parva ornata argento cum Reliquiis. Item una coppa vitria cum certis Reliquiis. Item una tabula depicta cum figuris Domini noſtri Yeſu Chriſti, & Beate Marie ejus matris, & plurium Sancto-*

(79) *Marmorata*. Vide pag. 226. not. (6), & App. num. XVIII. XIX. XXI. XXVI.

(80) Ut ex App. num. XL.

(81) *Lo Quatraro* ſeu Quadrarium, de quo App. num. LXIX. & ſup. not. (7) pag. 469.

Digitized by Google

*Sanctorum, que eſt in Altari Sacriſtie. Item unus calix argenteus. Item unus camiſſus ornatus, modicum deguaſtatus a pede, ſulcitus amicto & ſtona &c.*

Reliqua praetereo, ne ſupervacanea minutioris ſupellectilis deſcriptione legentium animos obtundam.

## LXXVIII.

CHRISTOPHORUS MARO S. R. E. Cardinalis, & Abbas *Commendatarius* SS. BONIFACII & ALEXII, aſſentitur venditioni alterius ex vineis *montis Sancti ALEXII*.

*IN nomine Domini, amen. Anno Domini .......... (82) Pape VIIII. Indictione XIIII. die VII. menſis Auguſti. Impreſentia mei Notarii &c. conſtitutus perſonaliter coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Dño, Dño Chriſtoforo Tituli Sancti Ciriaci de Urbe Presbytero Cardinali (83) habente in Commendam Monaſterium Sanctorum BONIFATII & ALEXII de Urbe a Sanctiſſimo Patre & Dño, Dño noſtro Bonifatio Papa VIIII. nec non coram Fratre Andrea Cecchi Andree de Anticulo, & Fratre Angelo Luce Vammacarii de Tranſtyberim, Canonicis ejuſdem Monaſterii, Petrus Paulus Laurentii Canetti de regione Campitelli, dicens &c. quod cum de preſenti anno, & de menſe Martii proxime preterito, die XVIIII. Johannes Octabiani de regione Ripe &c. vendiderit &c. eidem Petro Paulo &c. quandam ejuſdem Johannis vineam &c. poſitam ſub proprietate dicti Monaſterii Sanctorum ALEXII & BONIFATII intra menia Urbis in loco, qui dicitur mons Sancti ALEXII &c. pro pretio &c. viginti florenorum auri, ut de ipſa venditione patet manu mei ſupra & infraſcripti Notarii, certificati per me Notarium infraſcriptum de ſupradicta vendi-*

A.D. 1391.

(82) Supplendum A. D. 1391. Pontificat. Bonifacii Papae IX. de quo vide not. (72).

(83) De Card. Marone vide Cap. XVIII. & ſeq.

Digitized by Google

*venditione dicte vinee, & omnibus & ſingulis in ea contentis, ſponte conſentierunt nomine & vice dicti Monaſterii & pro eo, & eorum conſenſum &c. preſtiterunt dicto Petro Paulo &c. Hunc autem conſenſum &c. preſtiterunt dicti Dñs Cardinalis & Canonici* (84) *antedicti &c. pro eo quod dictus Petrus Paulus reminiſcens de locatione facta eidem per dictos Cardinalem & Canonicos de terris dicte vinee, ut patet manu Johannis Tucii Henrici publici Notarii, promiſit dictis Dño Cardinali & Canonicis dicti Monaſterii reddere & reſpondere omni anno dicto Monaſterio, in Feſto Sancti ALEXII de menſe Julii, pro conſenſu & reſponſione dictarum terrarum dicte vinee, unam faculam cere nove ponderis unius libre, juxta formam & tenorem ſupradicte locationis &c. item & pro eo quod dictus Petrus Paulus &c. ſolvit & aſſignavit dictis Dño Cardinali & Canonicis dicti Monaſterii pro conſenſu dictarum terrarum ſollos XXII. & dimidium proviſinorum Senatus &c.*

*Actum Rome in reclauſtro dicti Monaſterii, preſentibus hiis teſtibus, videlicet Romanello Buccapaſa de regione Campi Martii, Petrucio Alexii Mancini de regione Columpne, Fratre Bucio quondam Nicolai Johannis Franciſci, & Fratre Paulo Petrucii Johannis Stephani Penitenziario Ordinis Predicatorum de Sancta Maria ſupra Minervam de Urbe, ad predicta omnia vocatis & rogatis.*

*Et ego Jacobus Magiſtri Antonii, alias dictus Pino, Romanus Civis, Dei gratia Imperiali Auctoritate Notarius publicus, quia predictis omnibus & ſingulis interſui, rogatus ſcribere ſcripſi, & publicavi, meumque ſingnum appoſui conſuetum.*

Senten-

(84) *Canonici* ex Ordine Praemonſtratenſi, quorum vix duo aut tres ibi reliqui fuerunt cuſtodes Templi & Coenobii. Vide p.297.

Digitized by Google

## LXXIX.

### Sententia lata pro Card. CAJETANO Abbate Commendatario SS. BONIFACII & ALEXII contra *Nobilem Virum* GEORGIUM FRAJAPANUM.

*IN nomine Domini, amen. Nos Venantius de Durante Legum Doctor, Locumtenens Magnifici Viri Petri Franciſci de Branchaleonibus* (85) *de Durante Dei gratia Alme Urbis Senatoris Illuſtris, Judex delegatus & commiſſarius cauſe infraſcripte per eundem Dñum Senatorem, cognoſcentes de cauſa, lite, controverſia, & queſtione vertente, & que verſa fuit, & nunc vertitur coram nobis, inter Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dñum, Dñum A. Gaytanum* (86), *Epiſcopum Peneſtrinenſem, Aquilegenſem vulgariter nuncupatum, Commendatarium Venerabilis Monaſterii Sanctorum BONIFATII & ....... de Urbe, & Johannem Tutii, & Nutium Ciaffi, Procuratores & Scyndicos ipſius Dñi Cardinalis Commendatarii antedicti ........ parte una, & Nobilem Virum Georgium Frayapanem* (87) *de regione Pinee reum conventum ex parte .............. fact. & expoſit. pro parte dictorum Procuratorum & Scyndicorum, ſeu alterius eorumdem, nominibus, quibus ſupra, contra dictum Georgium ....... piſcarie poſite in flumine Tyberis, que vocatur la Peſcara de mal tiempo &c. Unde viſa ........ nullis poſitionibus & capitulis productis &c. contra dictum Georgium ......... citationibus nonnullorum teſtium examinatorum ad inſtantiam dicti Procuratoris contra ipſum Geor... ......... relatione, viſa publicatione dictorum teſtium &c. viſo termino dato ad opponendum contra ......... antiquo Pri-* A.D. 1407.

(85) *Petrus Franciſcus de Branchaleonibus* Senator Urbis, de quo diximus not. (6) pag. 285.

(86) De Card. Antonio Cajetano vide Cap. XIX. pag. 285. & ſeq.

(87) De Georgio Frajapane vide ibidem not. (7).

Digitized by Google

*Privilegio Pape Aleſandri III. ſolito more Curie Romane bullato .... viſis nonnullis conparitionibus, & proteſtationibus, & objectionibus factis pro parte ipſius Georgii &c. viſis omnibus, que videnda fuerunt hinc inde &c. habita ........ predictis & circha predicta quamplurium Sapientum, Chriſti nomine invocato, pro Tribunali ......... banchum juris, die juritica, hora cauſarum ad jura reddendum, ut moris eſt ....... Sententiam diffinitivam proferimus in hiis ſcriptis, & in hunc modum & formam, videlicet ........ decernimus & declaramus, dictum Georgium illicite & indebite inquietaſſe & turbaſſe ........ in pacifica poſſeſſione dicte piſcarie &c. ac etiam condempnamus .... dictis turbatione & inquietatione piſcarie antedicte, & ad dandum & ſatisfa .......... dampna & intereſſe per ipſum Dnum Commendatarium paſſa & occurſa ........... inquietationis facte per dictum Georgium in piſcaria antedicta, & predicta ſententiamus .......... declaramus omni modo, via, jure, & forma, quibus melius poſſumus & debemus ......... Ciaſſi, & Nicolao de Perleonibus, Procuratoribus dicti Dni Cardinalis.*

*............ in hiis ſcriptis ſententialiter promulgata fuit dicta Sententia, pronumptiatio, interlocutio .......... ine cenſeatur per dictum Dnum Venantium Locumtenentem & Commiſſarium prefatum ........... (88) quatercenteſimo ſeptimo, Pontificatus Dni Gregorii Pape XII. ............ (89) Aprilis die XXX. preſentibus hiis teſtibus, videlicet Johanne Paulo Anthonii Goyoli Notario de regione Arenule ........... de regione Tranſtiberim, ad hec vocatis & rogatis &c.*

Char.

(88) Supplendum milleſimo quatercenteſimo ſeptimo.

(89) Gregorius XII. Angelus Corrarius Venetus, electus R. P. IV. Non. Decembr. An. 1406. exauctoratus in Concilio Piſano VIII. Id. Junii 1409. demum Pontificatu ſe abdicavit in Concilio Conſtantienſi IV. Non. Julii A. D. 1415.

Digitized by Google

# LXXX.

## Charta locationis factae a PETRO Card. STEPHANESCHI Abbate Commendatario SS. BONIFACII & ALEXII de piſcina quadam ad ripam Tyberis.

*IN nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo CCCCXVII. Sede Apoſtolica Paſtore vacante* (90), *Indictione decima, menſis Martii die XXIII. In preſentia mei Notarii & teſtium infraſcriptorum ad hec ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dñs, Dñs Petrus* (91) *Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, ac Commendatarius Venerabilis Monaſterii Sanctorum ALEXII & BONIFATII de Urbe, pro ſe & eorum ſucceſſoribus in dicta Abbatia, durante vita infraſcripte Dñe, & pro utilitate dicti Monaſterii, ſponte locavit, & titulo locationis in emphiteoſim per modum infraſcriptum dedit &c. Dñe Perne uxori Magiſtri Johannis Antonii de Roccha Siniballi Barbitonſoris de regione Tramſtiberim &c. ad vitam ſuam, & vita ipſius Dñe Perne tantum durante, videlicet quamdam piſcariam dicti Monaſterii, que eſt ſita in flumine Tiberis, que dicitur la Peſcara de mal tempo, que eſt in oppoſitum ......... ſuptus Eccleſiam Sancte Sabine juxta pontem fractum* (92) *inter hos fines: ab* A.D. 1417.



(90) *Paſtore vacante*. Nam ad tollendum Schiſma trium Pontificum, Seſſione X. Conſtantienſis Concilii die 14. Maji 1415. Pontificatus jure privati fuerunt Joannes XXIII. Balthaſſar Coſſa Neapolitanus, & Benedictus XIII. Petrus de Luna, Gregorio XII. eadem Dignitate ultro ſe abdicante. Quare vacavit Apoſtolica Sedes uſque ad diem XI. Novembris 1417. qua die Martinus V. Pontifex Maximus electus eſt, *temporum ſuorum felicitas*.

(91) *Petrus* Cardinalis Stephaneſchi, de quo egimus Cap. XIX. pag. 289. & ſeq.

(92) *Juxta pontem fractum*, hoc eſt, pontem Sublicium, cujus veſtigia etiamnunc in Tyberi apparent *ſubtus Eccleſiam S. Sabinae*. Nam qui nunc dicitur *ponte rotto*, tunc *pons S. Mariae* vocabatur, ut diximus not. (35) pag. 479.

Digitized by Google

*uno latere deſuper eſt piſcaria, que dicitur la Poſta; ab alio latere verſus dictam Eccleſiam eſt ripa fluminis & via publica &c. Hanc autem locationem &c. fecit dictus Dñs Cardinalis Commendatarius predictus eidem Dñe &c. pro reſponſione & mercede octo florenorum currentium anno quolibet ad rationem XLVII. ſolidorum proviſinorum pro floreno &c.*

*Actum Rome in regione Tramſtiberim in camera paramenti domorum ſupradicti Dñi Cardinalis, preſentibus hiis teſtibus, videlicet Cola filio naturali quondam Bonifatii Gaytani, & Jannutio Antónii Butii Colecte, Camerariis dicti Dñi Cardinalis, ad predicta vocatis, habitis, & rogatis.*

*Et ego Antonius Nutii Catarini Civis Romanus, Dei gratia publicus Imperiali Auctoritate Notarius, quia predictis omnibus & ſingulis interfui & preſens fui.. ea ſcripxi & publicavi rogatus, meumque ſignum appoſui conſuetum.*

## LXXXI.

Fernandus de Ubeda Hieronymianus Prior Sancti Petri ad Vincula, nomine tum ALPHONSI Cardinalis CARILLII Abbatis Commendatarii, tum ſuorum Alexianae Familiae Monachorum, in antedictae piſcinae poſſeſſionem immittitur.

A.D. 1427. *IN nomine Domini, amen. Anno a Nativitate ejuſdem Domini milleſimo CCCCXXVII. die vero Lune octava menſis Decembris, Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſſimi in Christò Patris & Dñi noſtri, Dñi Martini divina providentia Pape Quinti (93) anno undecimo. In mei Notarii, & teſtium infraſcri-*

(93) Martinus V. Oddo Columna Romanus in Concilio Conſtantienſi electus (vid. not.90.), in Italiam redux ubi Romam pervenit, *in Eccleſia B. Mariae de Populo pernoctavit, & civibus acclamantibus omnibus Martino Papae ſalus & vita, per publicas vias, & aulaeis ſplendidas domus, hilaria & fauſta omnia, & novam Urbi faciem praenun-*

Digitized by Google

